Ex Libris
Jacobi Annibalis
Claret Delatourrette
Equitis, Regi à consiliis
in Supremâ Lugdunensi
monetalium Judicum
curiâ præsidis,
capitalium rerum
Prætoris Primarii.
1759


Dulcedine Cantus
Trahitur
C.PLINIVS.
CL. MAMER-
TINVS &c.
L. Cousin sculp.

PANEGYRICI VETERES.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JACOBUS DE LA BAUNE SOC. JESU.

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS.

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.



PARISIIS,
Apud SIMONEM BENARD, via Jacobæa, e regione Collegii Claromontani Societatis JESU.

M. DC. LXXVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMO

DELPHINO.

JACOBUS DE LA BAUNE, SOC. JESU.

VETERUM *Imperatorum laudes ab oratoribus ſuorum temporum clariſſimis conſcriptas offero tibi*, SERENISSIME DELPHINE. *Munus eſt plane regium, quod magnorum Principum res*

præclare gestas complectitur: & hac ætate tua tibi convenientissimum, cui veræ laudis viam ingredienti egregia in omni genere virtutum exempla sufficiet. Habebis in Trajano virum paterna in populos bonitate, liberalitate in homines literatos, in publicis monumentis magnificentia, fortitudine in proferendis imperii finibus insignem: in Constantino Magno Christianæ religionis defensorem ac propagatorem nunquam satis laudatum: in Theodosio item Magno Imperatorem justitia, probitate, sapientia, bellica virtute, regnandi arte præstantissimum: Denique quas in uno Parente tuo admirabiliter collectas virtutes soles intueri, has in singulis sparsas dissipatasque non sine jucunditate recognosces.

Par est igitur, SERENISSIME DELPHINE, *sub augusto nomine tuo apparere illud opus, quod & in tuos usus Regis jussu*

exit in lucem, & eo nomine tuum est, quod tibi in veterum Principum laudibus adumbratam Maximi Parentis imaginem exhibebit.

Hujus quidem virtutes ad formandos consequentium ætatum Heroas toti orbi proponentur: verumtamen ad te proprio quodam jure pertinent, quia domesticæ: in his, ubicunque occurrerint, perpetuo contemplandis defixum te esse oportet: harum te ad similitudinem fingi ac formari.

Ac profecto jam est, cur invictissimo Parenti tuo, cur nobis, totique Galliæ gratulemur. Nam oris illa suavitas, teneræ adhuc frontis majestas, pietas in Deum, candorque animi, indefessum literarum studium, in literatos viros humanitas, acres ad rei militaris gloriam impetus, spem faciunt nobis certissimam, futurum olim ut paternarum æmulatione virtutum, non modo

veteres illos Imperatores, ſed, quod ad felicitatem Galliæ multo eſt optatius, nobis LUDOVICUM MAGNUM, *quantus quantus eſt, perfectiſſime repræſentes.*

Id unum mihi reſtat optandum, ut hæc mea qualiſcunque opera iis adjumento eſſe poſſit, quibus ipſe aliquando longe uberiora & præſtantiora panegyricorum ſuppeditabis argumenta.

LUTETIÆ PARISIORUM.
KAL. NOVEMB. ANNO M. DC. LXXVI.

PRÆFATIO.

PANEGYRICOS duodecim, a Plinio, Mamertino, Eumenio, Nazario, & Pacatô conſcriptos, liber iſte complectitur: qui quidem, ſi unam aut alteram Ciceronis orationem excipias, unica in eo genere eloquentiæ apud Latinos reſtant exempla. Etſi autem ineſt in ſingulis & genus dicendi floridum quod delectet, & altum quiddam, vividum, exaggeratum quod rapiat animos; in primis tamen Plinianus, quem divinum Joſephus Scaliger appellat, ſupra ceteros longe multumque eminet.

Variæ porro panegyricorum editiones extiterunt. Prima, quam quidem ego viderim, Beati Rhenani, quæ a Frobenio, cujus typis anno Chriſti 1520. Baſileæ excuſa eſt, Frobeniana dicitur. Hæc omnium judicio parum ſincera eſt: ac Rhenanus ipſe operis initio profitetur ſe manuſcriptis codicibus caruiſſe, quorum collatione editionem emendaret. Secuta eſt editio Joannis Livineii, quam is anno Chriſti 1594. Antuerpiæ typis Plantinianis cum notis publicavit. Hæc etſi priore emendatior, adhuc tamen multis in locis corrupta eſt. Huic poſt 17. annos ſucceſſit ea, quam Janus Gruterus in lucem extulit Francofurti, cum Livineii, Rittershuſii, Valentis Acidalii, & ſuis ipſius notis. Sed hæ ſi Livineianas excipias & multo breviores erant, quam par eſſet, & in variis ſuppeditandis lectionibus potiſſimum verſabantur. Quod cum ſenſiſſet Claudius Puteanus ſenator Pariſienſis vir doctiſſimus de nova editione cogitavit: quam cum variis manuſcriptis diligenter collatam, &

Joannis Mariæ Catanæi, Hermandi Rayani, Francisci Balduini, Joannis Livineii, Justi Lipsii, & Jani Gruteri notis, ac Valentis Acidalii conjecturis auctam, item Petri Fabri Sanjoriani, Francisci Jureti, Theodori Pulmanni, & Antonii Schonovii, suisque imprimis notis & emendationibus antea non editis locupletatam, cum esset proxime editurus, præmatura morte absumptus est. Exemplum illud Cl. Puteani manu exaratum anno 1643. editum est. quo circa eam editionem appello Puteanam.

Non ausus essem post tantos viros opus illud attingere, nisi & accessisset auctoritas Regis, & novam quandam commentandi rationem præscripsisset vir tam doctrinarum cognitione, quam bellica laude præstans Carolus Sanctamauræus, illustrissimus Montauserii Dux: cui quantum universa Gallia propter felicem serenissimi Delphini institutionem, tantum res literaria debet propter singulare ejus in excolendis disciplinis studium.

Id igitur præstare conatus sum. Primum, ut textus quam fieri posset emendatissimus ederetur, in quo Puteanam editionem omnium meo judicio accuratissimam secutus sum, quandiu manifesta labes non apparuit: ac ne tum quidem ab ea discessi, nisi editionis alicujus adductus auctoritate. Deinde ut locutionis difficultas, quæ ex verborum aut duritate, aut impeditiore situ oriri poterat, suffectis molloribus aliis vocibus, iisque in naturalem ordinem revocatis tolleretur. Notæ vero adjectæ breves, sed tamen ejusmodi, ut complecterentur quidquid ad lucem rebus afferendam alicujus momenti videretur.

Singulis

Singulis panegyricis Imperatorum, quibus inſcripti ſunt, vitam accurate a nobis per annos digeſtam, nec non deprompta ex Huberto Goltzio numiſinata præfiximus: ſimul panegyrici ſynopſin ad artem totam & ſeriem rerum ſub uno aſpectu ponendam. Nec omiſſum quo quiſque loco ac tempore pronunciatus eſſet, & quidquid ad auctoris notitiam colligi undecunque potuit. Ordo vero panegyricorum alius in aliis editionibus eſt: hic eo collocantur ordine, quo dicti. Denique index vocabulorum omnium duplex adjectus eſt: alter quidem Plinii ſeorſum, cujus longe probatior eſt, quam ceterorum latinitas: alter aliorum ſimul omnium, qui Plinio multo inferiores, inter ſe vero ætate prope ſuppares ſunt.

Etſi autem Sereniſſimi Delphini cauſa totum hoc opus a me ſuſceptum eſt: tamen vereor ne tam curioſa explicatione, non tam ipſius, quam publicæ utilitati conſultum voluiſſe videar. Nam cum ipſe pro ſingulari ingenii perſpicacia, & præmatura eruditione tot adjumentis non egeat: tum ſtudiorum moderatorem habet Jacobum Benignum Boſſuetium, Epiſcopum Condomienſem, qui ut eſt excultiſſimus omni genere doctrinæ, idemque in perſcrutandis ſcriptoribus ſagaciſſimus, quod alii commentariorum ope vix aſſequuntur, præſtare per ſe facile poſſit.

Ceterum iniquus ſim, niſi meritam clariſſimo editis doctrinæ monumentis viro, Petro Danieli Huetio gratiam, quantum in me eſt, rependam: qui cum ob præſtantem eruditionis & ingenii famam Delphini quoque inſtitutioni fuerit præpoſitus, in his etiam promovendis elucubrationibus operam non mediocrem poſuit.

INDEX
PANEGYRICORUM.

VITA
M. ULPII TRAJANI.



Anno V. C. 807. *Christi* 54. *Claudii imp.* 14.

M. ULPIUS TRAJANUS, Ulpius ab avo, Trajanus a Trajo paterni generis auctore, vel potius a Trajano patre appellatus, nascitur 7. Kal. Julii, Italicæ, quæ civitas est Tuditanæ, vel, ut alii legunt, Turditanæ Provinciæ in Hispania. Quo factum ut aliqui affinitate nominis decepti existimarint eum Tuderti, quæ urbs est Italiæ, natum.

Adhuc privatus cum esset, ut ex panegyrici n. 83. manifestum est, Pompeiam Plotinam duxit, fœminam prudentem & gravem; quam Plinius in epistolis appellat *sanctissimam*, sororem, ut Tristanus in Commentariis historicis suspicatur, aut certe affinem Pompeii Plantæ, illius Ægypti Præfecti, quem Trajanus in epistolis ad Plinium *amicum* appellat *suum*. Fuit illa fortunæ non nimium fidens: quæ, ut refert Dio, palatium ingressa primum, & adhuc in gradibus consistens, ad multitudinem conversa: *Talis*, inquit, *huc ingredior, qualem me exire cupio*. Panegyrici vero n. 83. *Quid illa sanctius? quid antiquius? nonne si Pontifici maximo eligenda sit conjux, aut hanc, aut similem (ubi est autem similis!) elegerit? ... Quam modica cultu! Quam parca comitatu! Quam civilis incessu!* Extat de ea numus, cujus in altera parte puella stans, dextra coronam lauream, sinistra pilum sine ferro præfert. Titulus ara *lætitiæ*; quo nimirum sincera bonæ conjugis de marito a Nerva adoptato lætitia significaretur. Extat item numus alter Plotinæ aræ incumbentis. Titulus *Ara pudicitiæ*: quo ejus pudicitia commendaretur. His & aliis virtutibus *incredibile dictu est*, inquit Victor in Juliani vita, *quanto auxerit gloriam Trajani, cujus procuratores cum provincias vexarent; illa conjugem corripuit: atque increpans quod laudis esset incuriosus; talem reddidit, ut postea exactiones improbans, & detestans, fiscum lienem vocaret; quod eo crescente artus reliqui tabescant.* Nullos quidem Trajano liberos peperit Plotina, sed successorem ipsi providit, Hadrianum: a quo deinde consecrata est.

Soror Trajani fuit Marciana, si Tristano credimus, M. Julii Montani uxor, tum cum Trajanus imperator factus est, jam vidua, eaque senior. Quare de novis nuptiis ab eo tempore non cogitavit. Fuit illius Matidiæ mater, cujus filia Sabina Hadriano imperatori conjux a Plotina data est. Obiit Marciana ante sextum Trajani consulatum, ut ex fornice Anconitano

constat: de cujus nomine Trajanus Marcianopolim Mœsiæ urbem appellavit. *Ammian. l. 27. Jornand. c. 16.* Eidem pro consuetudine Marcianales flaminicæ institutæ. Utriusque, Plotinæ nimirum & Marcianæ, candorem, concordiam, prudentiam, & in deprecando Augustæ nomine, quandiu Trajanus patris patriæ appellationem recusavit, modestiam laudat Plinius *paneg. n.* 84.

Trajani vero patrem, etsi *ex familia magis antiqua, quam clara ortum* ait Eutropius, neque ulla in fastis ejus mentio est, Plinius tamen multis in locis, aliique Trajani vitæ scriptores patricium appellant, consularem, & triumphalem, id est, qui triumphalia ornamenta consecutus fuerat, *paneg. n.* 89. Triumphum enim nemini post Agrippam concessum esse, observavimus in notis ad eum locum, ubi plura diximus de discrimine triumphum inter & ornamenta triumphalia. Credo is ei honos delatus, post bellum adversus Parthos gestum a Domitiano Corbulone; cui Nero duodecimo imperii anno *insignia triumphi indulsit*. Tac, Annal. 11. 20. Primarios autem exercitus duces, ut in triumphi, sic & in triumphalium honorum partem solitos venire notum est. Idem, cum Vespasianus an. V. C. 830 ex Parthicis, Illyricis, Germanicisque copiis exercitum contra Judæos contraheret, huic se adjunxit, in eoque bello decimæ legionis præfectus, quam strenue præsertim in expugnatione Japhæ & Jotapatæ se gesserit, tradit *Josephus de bello Jud. l. 3. c. 11. & 16.* Utrique bello una cum patre interfuisse minorem Trajanum indicare videtur Plinius paneg. n. 14. *Nonne incunabula hac tibi, Cæsar, & rudimenta, cum puer admodum parthica lauro gloriam patris augeres?* Et n. 15. *Tribunus vero disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti*, n. 16. *Tanto magis prædicanda moderatio tua, quod innutritus bellicis*: & n. 89. ad Trajanum patrem cœlo, ut aiebat ille, fruentem conversa oratione: *Quantam percipis voluptatem, cum illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem cernis?*

Quamobrem recte observavit doctissimus Baronius Trajanum hominem externum, Nervæ nullatenus affinem, neque, ut supra dictum est, claro admodum genere, cum ab aula procul abesset, singulari Dei providentia, quod antea Vespasiano, & Tito contigerat, ideo provectum esse ad culmen imperii, quod adhuc puer, itidem ut illi, puniendis Judæis operam Deo navasset.

Hoc loco refellendus videtur Joa. Sarisberiensis, Fr. Petrarchæ, aliorumque opinio, qui ex Plutarchi ad Trajanum epistola, quæ pro supposititia ab eruditis habetur, existimarunt Trajani præceptorem fuisse Plutarchum. Primum enim vix quinque annis Trajano ætate superior fuit Plutarchus, isque sub Vespasiano vix ullum habebat nomen, si Vossio fides est. Deinde hoc ipso tempore jam Trajanus sub patre militabat. Ejus tamen consiliis semper usus est: hunc, teste Suida, consularibus ornavit fascibus. Atque adeo Hadrianum successorem suum ei tradidit instituendum: cujus opera tantopere & Latinis, & quod magis mirum videbatur, Græcis literis excultus est, ut is postea *Græculus imperator*, si Spartiano credimus, appellaretur. Cumque Hadriano Trajani cognomen esset, hinc fortasse factum est, ut Plutarchus Trajani præceptor vulgari errore habitus sit.

An. V. C. 839. *Chr.* 86. *Domitiani* 6. *ætatis* 32.

Trajanus vir prætorius Hadriani tum decennis, tutelam gerit, ut refert Ælius Spartianus, qui, quo anno præturam gesserit Trajanus, non adjecit.

An. V. C. 841. *Chr.* 88. *Domitiani* 8. *ætat.* 34.

Trajanum hoc anno consulem fuisse Domitiano XIV. collega tradit Cuspiniani anonymus. De quo consulatu nullibi præterea mentio est.

An. V. C. 844. *Chr.* 90. *Domitiani* 11. *ætat.* 37.

Trajanus fit consul Acilio Glabrione collega. Is Acilius, quod notandum videtur, quinto post anno Domitiani jussu Leonibus primum expositus in theatro, ab iisque minime læsus, pro Christo interfectus est. *Euseb.* Quo anno utrique signa obtigisse tradit Dio, quibus Glabrioni

quidem mors, Trajano vero portendebatur imperium.

An. V. C. 845. *Chr.* 92. *Domitiani* 12. *ætat.* 38.

Concedit Trajanus in Hispaniam: nam Hadrianus eo fertur apud Spartianum hoc anno abiisse, opinor ego cum Trajano tutore suo, & velut altero parente, a quo *non multo post Romam abductus* dicitur, cum scilicet Trajanus ad Germanicum bellum a Domitiano inde cum legionibus evocatus est. Paneg. n. 14. *Nec dubito quin ille* (Domitianus) *qui te inter Germaniæ bella ab Hispania usque ut validissimum præsidium exciverat &c.*

An. V. C, 850. *Chr.* 97. *Nervæ imp.* 2. *ætat.* 43.

Cum Trajanus Germaniæ adhuc præesset, Nerva imperator propter senium spretus, erat enim sexagenario major, & impar regendo imperio, nisi præclari alicujus viri juventute & robore ejus senectus fulciretur; ascendit Capitolium, quam modo Trajanus ad se e Pannonia lauream miserat, in gremio Jovis Capitolini depositurus: & ibi ante Pulvinar Jovis, inter aras & altaria, populis nihil tale expectantibus: *Quod felix*, exclamavit, *faustumque senatui, populoque Romano, mihique sit, M. Ulpium Trajanum adopto.* Quod incredibili omnium alacritate & plausu exceptum est. Compressi illico prætorianorum tumultus, quos Calpurnius Crassus, & Ælianus Casperius Prætorianis præfectus excitarant: aucta Nervæ auctoritas. Verumtamen violatæ a Prætorianis majestatis non immemor, Homericum illud, Dione teste, ad Trajanum scripsit Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν, quo eum ad hanc ulciscendam injuriam hortaretur. Atque ut magis excitaret, visum est omnes simul honores etiam absenti conferre pan. n. 9. *Eidem cum Germaniæ præsideret, Germanici nomen hinc missum.... Jam Cæsar, jam imperator, jam Germanicus, absens & ignarus*, n. 8. *Simul filius, simul Cæsar, mox imperator, & consors Tribunitiæ potestatis, & omnia pariter & statim factus est.*

Hæc adoptio contigit xiv. Kal. Octob. quem diem Plinius pan. n. 92. *triplici gaudio lætum* appellat: *Qui pessimum principem abstulit*, Domitianum: *dedit optimum*, Nervam: *meliorem optimo genuit*, Trajanum adoptione illa quasi genitum, & ad imperium evectum.

Hadrianus illico missus in Germaniam superiorem ad gratulandum exercitui Germanico de adoptione Trajani Ducis, & Præsidis sui. Ita Salmasius explicat hæc Spartiani de Hadriano verba: *Trajano a Nerva adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est.* Casaubonus vero sic interpretatur, ut Hadrianus accepto in Mœsia adoptionis Trajani nuncio, statim ab ipso Præside, vel ab ipso exercitu missus sit Romam, qui seni Imperatori consensum & gratulationem exercitus deferret. Ubi potestate a Nerva ipsi facta in Germaniam superiorem, quo propius a Trajano abesset, sese transferendi: vix eo pervenerat, cum de morte Nervæ audit. Igitur itinere statim in inferiorem Germaniam ad Trajanum converso, gratiam aucupatus læti adeo nuncii, Trajanum invenit apud Agrippinam Coloniam, ubi suscepisse imperium apud Victorem, aliosque auctores dicitur.

An. V. C. 851. *Chr.* 98. *Nervæ* 3. *Trajani* 44.

Trajanus fit consul secundum, Nervæ collega. Nerva autem mortuo 6. Kal. Feb. solus imperat Trajanus. Atque inde ejus imperii anni numerantur, cum Tribunitiæ potestatis tempus a xiv. Kal. Octobris anni superioris numerentur. Atque imperium quidem auspicatus est illustri exemplo & pietatis in Nervam, quem statim consecrari per senatum voluit, & singularis humanitatis in senatum, ad quem scripsit, se nullum virum bonum nece aut ignominia affecturum, uti reipsa præstitit pan. n. 57. *Secundum* consulatum *imperator quidem, sub imperatore tamen inisti.*

An. V, C. 852. *Chr.* 99. *Trajani* 2. *ætat.* 45.

Tertium consulatum recusat pan. n. 56. *Secundum consulatum recepisti, quia princeps & pater deferebat. At postquam ad te imper-*

rii summam, & cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem dii transtulerint; tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses. Et mox: *Hoc ergo honore privatis cessisti.* Itaque contra morem caeterorum imperatorum, *altero anno ab imperii auspicio*, ut Sidonius notat lib. 1. ep. 9. *consulatum ineuntium*, hunc annum aperuerunt privati.

Trajanus sub medium annum (inquit Plinius) e Germania in Urbem redux, Æliamum Casperium seditionis adversus Nervam excitatae ducem, atque adeo ipsius Nervae percussorem ad se evocatum puniri morte jubet. Venit ad comitia tanquam candidatus tertii consulatus. Nomen patris patriae aegre admodum sumit, quod in publicis monumentis nonnisi post sextum consulatum inseri permittit. Dat populo spectacula.

An. V. C. 853. *Chr.* 100. *Trajani* 3. *ætat.* 46

Cum Trajanus tertium esset consul Cornelio Frontone collega, C. Plinius Caecilius secundus, & Cornutus Tertullus honorarium consulatum accipiunt in mensem Septembrem. Ille primo consulatus sui die hanc gratiarum actionem Trajano dixit, ut fusius in vita Plinii demonstrabitur.

An. V. C. 854. *Chr.* 101. *Trajani* 4. *ætat.* 47.

Trajanus Decebalo Dacorum regi pendi a Romanis tributa aegre ferens, trajecto per pontem Danubio imposito exercitu, illum adoritur, & territum ad petendam pacem adigit. *Dio.*

An. V. C. 855. *Chr.* 102. *Trajani* 5. *ætat.* 48.

Decebalus violatis pacis conditionibus, atque adeo detectis quas saepe Trajano struxerat insidiis; veritus ne regno amisso vivus insuper ipse caperetur, mortem sibi ipse consciscit. *Dio.*

An. V. C. 856. *Chr.* 103. *Trajani* 6. *ætat* 49.

Trajanus mortuo Decebalo Daciam in Romanae provinciae formam redigit.

An. V. C. 857. *Chr.* 104. *Trajani* 7. *ætat.* 50.

Trajano post Dacicam victoriam in Urbem reverenti variarum gentium legationes occurrunt, ipse de Dacis triumphavit, & Dacicus dictus est. 120. continuis diebus magnificentissima populo spectacula edidit, aedificia multa instauravit, insignem bibliothecam, quae ab ejus nomine *Ulpia* dicta est, excitavit. Celebrem illam columnam erigi jussit 128. pedes altam, ad cujus fastigium per 183. gradus conscenderetur, lucem fenestris 43. praebentibus, quod opus octavo tantum post anno absolutum esse, ex ejus inscriptione patet.

An. V. C. 858. *Chr.* 105. *Trajani* 8. *ætat.* 51.

Trajanus Armenis & Parthis bellum indicturus: sive quod, ut ipse dicebat, rex Armenorum non ab ipso, sed a rege Parthorum diadema accepisset, sive potius ut novam gloriae segetem foris quaereret; in itinere Athenis transiit, ubi Osrhois, seu Cosrhois Parthi legatis cum muneribus sibi occurrentibus in Syria responsurum se esse dixit. Interim Cilicia finitimisque provinciis peragratis Euphratem flumen ponte jungit, & ad Orientis fines progreditur. *Dio.*

An. V. C. 859. *Chr.* 106. *Trajani* 9. *ætat.* 52.

Armeniam devictis Parthis recipit. Parthamaspatae vero eorum regi indignanti, quod depositum ultro ad Trajani pedes diadema non sibi redderetur; commiseratione motus imperium reddit. *Eutrop.*

An. V. C. 865. *Chr.* 112. *Trajani* 15. *ætat.* 58.

Trajano sextum consule absoluta est celebris illa Trajani columna, futurum ejus de Dacis triumphi perenne monumentum. Romae in medio Trajani foro posita est, ubi hodieque extat.

An. V. C. 867. *Chr.* 114. *Trajani* 17. *ætat.* 60.

Optimus & Parthicus cognominatur. *Dio.*

An. V. C. 868. Chr. 115. Trajani 18. ætat. 61.

Ingens terræ motus Antiochiam penè subruit. Qua in ruina plane luctuosa, Pedo hujus anni consul cum infinitis prope aliis obrutus est; ipsum vero Trajanum ignotus quidam inusitatæ & plusquam humanæ magnitudinis prehensum manu, ex ædibus in quibus erat per fenestram eduxit: quod hyeme contigisse refert *Petavius*. Ineunte autem vere ultra Tigrim, transgressus Adiabenem amnem, Arbella, Gaugamela, inde Babylonem, Ctesiphontem, aliasque urbes expugnat. Quamobrem *imperator* appellatur. Confirmato ei *Parthici* nomine, decernit senatus, ut quot vellet, triumphos ageret: & cum alia multa, tum vero arcum triumphalem ei erigi jubet. Ultra sinum Persicum navigabat, iturus ut dictitabat in Indiam, si junior fuisset; cum propter earum gentium quas devicerat defectionem regredi cogitur. Interim cum jam senior deficere viribus inciperet, & imperiumRomanum amplitudine sua laboraret; Judæi Cyrenenses omnium primi jugo excusso Romanos atque Græcos cædunt ad cc. M Hæc *ex Dione*.

An. V. C. 869. Chr. 116. Trajani 19. ætat. 62.

Iidem Judæi Cyrenenses in Ægypto & Cypro grassati gentilium circiter CCXL. M cædunt. Sed & Antiochiæ a Martio Turbone, in Mesopotamia & Cypro a Quinto Lucio internecione delentur: quam in insulam appellere etiam tempestate delatis ab eo tempore capitale Judæis fuit. In rebelles reliquos Lucius & Maximus Duces a Trajano mittuntur. Hic prælio victus interiit, ille felicior Nisibim recepit, Edessam & Seleuciam incendit. Trajanus autem veritus ne Parthi quoque aliorum exemplo inducti deficerent, satius esse duxit, suum iis regnum relinquere: atque unum ex iis sibi tamen fidum nomine Parthamaspaten huic regno imponere; inde in Arabiam adversus Agarenos profectus, Agaram primariam eorum urbem oppugnat. Mox tonitru, fulguribus, fulminibus, & grandinibus quasi cœlo pro iis militante ab ejus mœnibus repulsus re infecta discedit, & quidem vulneratus, cum ex canitie & oris majestate agnitus sagittis undecunque appeteretur. *Dio*.

An. V. C. 870. Chr. 117 Trajani 20. ætat. 63.

Parthi rege quem Trajanus dederat Parthamaspate expulso, jugum penitus excutiunt. Quamobrem Hadrianum consobrinum, hoc anno designatum consulem ordinarium, in Syria cum exercitu relinquit: dum ipse in Mesoporamiam trajicere exercitum constituit. Sed morbo correptus iter in Italiam flectere necesse habuit. Quo quidem ingravescente, cum salutis spes nulla superesset, hæredem adscivit Hadrianum. Quanquam negat Spartianus Trajano fuisse unquam in animo Hadrianum adoptare, sed potius Neratium Priscum, cui olim ad bellum proficiscens. *Commendo*, inquit, *tibi provincias meas, si quid mihi fatale contigerit*. Fortasse etiam ea in re Alexandro Magno similis esse voluit, ut successorem nullum sibi eligeret. A. Victor addit *fuisse qui putarent* (Hadrianum) *Plotinæ Trajani conjugis favore imperium esse assecutum, quæ viri testamento hæredem illum simularet*. Quod quidem Dio a patre suo Aproniano, qui tum Ciliciæ præerat, quique ea omnia certo nosset, accepisse se confirmat. In primis Trajani mortem aliquot dies occultam fuisse, dum adoptio rata esset, idque ex literis ejus ad senatum cognitum fuisse: quibus literis non ipse, sed Plotina subscripsit, quod alias factum fuerat nunquam. Addit hoc ideo factum a Plotina & Arriano (seu Tatiano) quod ipsi charus esset in primis Hadrianus, quodque non procul abesset cum magno exercitu. Ut ut est, Hadrianus Antiochiæ, ubi tum erat literas adoptionis sive a Trajano, sive a Plotina accipit v. Idus Aug. Postero vero die ad Selinuntem urbem (Seleuciam Isauriæ vocat Eutropius) quæ urbs inde Trajanopolis appellata est, Trajanus obit, aut morbo, ut plerique volunt, aut, ut ipse existimabat, veneno. Uni ex omnibus imperatoribus & triumphus mortuo decretus & sepulchrum intra Urbem datum. Ejus cineres in urna aurea procurante Ha-

driano conditi, & imago Romam triumphali curru magnificentissime invecta, praeeunte Plotina, Matidia, & Titiano, bonis omnibus lugentibus: ossa in foro posita sub columna ab eo dicta, ipse inter Divos ab Hadriano relatus est. *Dio. Epit. Vict. Spart. in Hadriano.* Quod spectat ad annos Trajani, constat primo eum obiisse anno Chr. 117 quarto. Id. Aug. Deinde imperare cœpisse an. 98 sexto Kal. Februarii. Denique imperasse annos 19. M. 6 dies 15. Quo vero anno natus sit, etsi difficile est statuere, sicut & quo aetatis anno imperare cœperit: propterea quod Eutropius 62. M. 9. D. 4. Victor. 64 Euseb. Cassiod. & post illos noster Labbeus 63. M. 9. D. 4 Petav. Briet, 63. M. 1. D. 15. vixisse illum tradant. Hos postremos secutus sum.

Quod addunt de Trajani anima Gregorii Magni precibus ab inferis erepta, plane commentitium cuilibet videretur, nisi Joan. Damascenus, cujus auctoritati plurimum tribuendum est, id ipsum tanquam toti Orienti & Occidenti contestatum referret. Hujus rei meminit Euchologium Graecorum, c. 19. ac Joan. Diaconus in magni Gregorii vita, ut huic rei fidem faciat, eam aliquot ex Anglicana Ecclesia repetitis testimoniis firmare utcunque nititur. Sed quoniam non satis apparet ex quo vetere scriptore Joannes Diaconus, aut porro Damascenus Gregorio 150. annis posterior id sumpserit: fortasse haec opinio una fuerit ex iis quae jactari dicuntur ab omnibus, diligentius examinatae nullum habent auctorem. Theologi quidem post magistrum sententiarum in 4. dist. 45. id si factum est, explicant quomodo fieri potuerit, sed utrum factum sit, plerique eorum valde dubitant. Plura in hanc rem Baronius.

Fuit Trajanus firmo, proceroque corpore, specie prorsus imperio digna, vultu amabili. Quod autem dotes animi spectat, dubitari potest utrum domi, an militiae; privatis, an imperatoriis virtutibus fuerit clarior. In foro assiduus, in castris frequens: hic militaris disciplinae vindex perpetuus, illic legum defensor comiter severus, nec dissolute clemens: utrobique bonus consul, imperator fortis, sanctus pontifex, & *talis in suos* (ut dictitabat ille amicis nimiam ejus comitatem accusantibus) *quales sibi esse imperatores privatus optasset.* Eutrop. Qui praetorii praefecto gladium porrigens. *Pro me*, inquit, *si bene atque ex ratione imperavero, distringes. sin minus, eo ad interitum meum utere.* Dio, & Victor. Nemo imperator bellicae laudis avidior fuit, nemo Romani imperii fines tam late propagavit. Ipse enim ultra Tigrim & Euphratem progressus. Nemo aerarii custos magis sedulus fuit, nemo ad locupletandum fiscum minus attentus, non minus ab aliena pecunia, quam a caedibus abstinens, in aedificiis, in spectaculis, in largitionibus, in conviviis publicis magnificus, parce & contente vivens domi. Constans amicus, nec suspicax. Ita nobilitatem fovens, ut plebem non sperneret. Pius erga Deos, erga parentem modestus, ut statuam non nisi unam alteramve, eamque aeream, neque in Jovis Capitolini templo, quemadmodum ceteri imperatores, sed in porticu tantum sibi erigi voluerit: Quibus bellicis, domesticisque virtutibus, quam metuendus hostibus, tam civibus suis charus erat. A Dione, fortasse ex odio in Romanum imperatorem Graecis insito, ebrietatis & praeposterae libidinis notatus. Juxta Dionem & Victorem *partae quidem scientiae, moderateque eloquens*: Juxta Vossium ex Prisciani loco in 6. Dacicae historiae scriptor fuit. Juxta omnes certe eruditorum patronus. Silium Italicum poetam ter consulem fecit, Plinio, & Plutarcho consulatum dedit: praecipiens Illyricis, ne quid, nisi ex hujus consilio gererent. *Suidas.* Illi vero Bithyniae praeterea proconsulatum, augurratum, aliosque honores concessit. Ejus commendatione Suetonio jus trium liberorum indulsit. *Plin. l. 10. ep. 96* Dionem Prusaeum insignem sophistam, & Philosophum, cui sua eloquentia Chrysostomi nomen fecit, ita complexus est, ut in curtum triumphalem assumpto has voces iteraret: φιλῶ σε ὡς ἐμαυτόν. *Philostratus.* Celso Jurisconsulto statuam erigi jussit. Ut de illo non immerito Juvenalis Sat. 7. *Et spes, & ratio studiorum in Caesare tantum, solus enim tristes hac tempestate camenas respexit*: & Corn. Tacitus, in procemio, vitae Jul. Agricolae. *Trajani seculum beatissimum dixerit.* Et *ejus principatum uberiorem & securiorem materiam senectutis sepositam.* ita in proaemio hist. Ac demum Florus in Praefatione affirmarit *imperium, quod inertia Caesarum quasi consenuerat, statim movisse*

visse lacertos, & prater spem omnium senectutem imperii, quasi reddita juventute revixisse. Merito sane Trajanus appellatus optimus, ut postea in acclamationibus, & votis non optaretur princeps *Trajano melior.* Ac *talem se præbuisse dicatur, qualem vix ægreque exprimere valuerunt summorum scriptorum miranda ingenia.* Et, *princeps in quo dii effecerant, ne quid desideraretur.* Victor Schotti.

Utique nihil ferme in eo desiderandum, si Christianus fuisset. Quod si ejus tempore persecutio contra Christianos commota est, hoc ejus procuratoribus tribuendum, qui quidem severius usi sunt edicto illo, quo hæterias seu conventicula, in quibus ad seditiones excitandas audierat homines novitatis studiosos convenire, inconsultius prohibuerat. Qua de re monitus a Plinio, tum Bithyniæ proconsule, simul & ab eo edoctus, qua essent morum integritate Christiani, ipse persecutionem, ut notat post Eusebium Orosius, rescriptis levioribus mitigavit.

VITA
C. PLINII CÆCILII
SECUNDI.

Anno V. C. 815. Christi 62. Neronis 9.

C. PLINIUS CÆCILIUS SECUNDUS. Patre L. Cæcilio, & matre Plinia C. Plinii majoris sorore, nascitur in Provincia Transpadana, Novocomi.

Nam quod aiunt *Catullum*, qui Veronensis erat, a Plinio *suum* appellari *l.* 4. *ep.* 27. vehementer errant: neque enim a Plinio, sed a Senrio Augurino eo modo appellatur. *Veronenses* vero ultima epistola *l.* 6. dicit *suos*, seu quod maternum inde genus duceret, seu quod ejus urbis esset patronus; seu propter Veronæ & Comi viciniam; vel eo sensu quo *ep.* 18 *l.* 6 *ad Sabinum* scribens, Firmanos *suos* appellat, & *Catullus epigram in Ægnatium* Transpadanos suos vocat: nimirum ut suum erga Veronam affectum exprimeret; seu demum (ut ait *Onuphrius Panvin. de illustr. Veron.*) quod adoptatus ab avunculo Plinio Veronensi lege adoptionis, non modo ejus nomen, uti mos erat, acceperit; sed factus sit quoque, itidem ut ille, Veronensis.

Quod enim majorem Plinium alio errore Novocomensem faciunt nonnulli ex Eusebii loco: cujus hæc verba sunt ab Hieronymo Latine reddita ad annum Trajani duodecimum: *Plinius secundus Novocomensis, orator & historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii monumenta extant. Periit dum invisit Vesuvium*, falluntur illi. Nam hic de Juniore Plinio haud dubie agi, ut cetera argumenta desint, hoc unum evincit, quod omnium consensu major Plinius ad hæc Trajani tempora nunquam pervenit. Atenim junior Plinius ad Vesuvium non periit. Sit ita sane: sed dicendum cum Arnaldo Pontaco, aut librariorum errore voces aliquot excidisse: cum legendum esset, *nepos illius qui periit*; aut ab iisdem perperam additum, quod delendum esse, nec in scriptis manu codicibus reperiri testatur Scaliger, nec parum confirmat quod Cassiodorus, Honorius, & Beda, qui hunc locum uti ab iis repertum est, exscripsere: hæc verba non habeant. Quod autem is de quo agitur hoc loco Plinius, *historicus* appellatur: nihil hoc prohibet quominus de juniore Plinio intelligi possit: cum is ipse in elogio quod sub ejus statua cernitur Comi, hoc nomine donetur. Et vero historiam a se conscriptam testari videtur, cum *ep.* 8. *l.* 5. scribendæ historiæ studio flagrare se ait, & *ep.* 4. *l* 8. Caninium docet quomodo belli Dacici historia sit ab eo conscribenda: ac demum *ep.* 3. 13. 15. *l.* 8 & *ep.* 13. 18. 20.

l. 9. conscriptorum a se libellorum complurium mentionem facit. Fortasse Eusebii hallucinatio est Plinium alterum ab altero non satis distinguentis. Fortasse etiam id Hieronymo a quo Eusebius latinus factus est tribuendum, quem Plinii junioris epistolas nunquam legisse inde colligit Josephus Scaliger. Idque ut credat eo magis adduci se ait, quod ante Hieronymum simili errore Sammonicus Serenus deceptus sit, ut apud *Macrobium Saturn. l. 2. c.* 12. videre est. Ut ut est, non mirum si Plinianæ vitæ, quæ ab imperitis Suetonio attribuitur, verus auctor, sequioris ut ait Scaliger, haud dubie seculi, atque adeo Hieronymo posterior; non mirum si Macrobius, si nonnulli alii tantorum virorum auctoritate decepti in eundem errorem impegerunt Etsi autem in vulgaribus majoris Plinii editionibus idem error irrepsit; negat esse in veteribus codicibus doctissimus Pellicerius in eo Plinio, quem ejus manu scriptis aliquot notis auctum in bibliotheca nostra Claromontana servamus. Et vero quomodo in præfatione sua Catullum, ut omnes sciunt, Veronensem, *conterraneum suum vocat*; nisi idem fuisset Veronensis? Sic itaque maneat Plinium majorem Historiæ naturalis scriptorem Veronensem fuisse; nunc ad Plinium nostrum Novocomensem redeamus.

Cum esset adhuc puer ad Fabium Quintilianum, & Niceam seu Niceten, ut alii legunt, sacerdotem se contulit, ut ab illo quidem eloquentiæ, ab hoc philosophiæ præceptis imbueretur, *ep.* 6. *l.* 6. Sic exacta in his studiis pueritia. Vix ingressus adolescentiam a mansuetioribus musis ad arma se conferens, fuit in Syria tribunus militaris *ep.* 10. *l.* 1. & *ep.* 11. *l.* 3.

An. V. C. 833. *Chr.* 80. *Tit.* 2. *ætat.* 18.

Hoc anno cum a matre deductus esset ad avunculum Romanæ apud Misenum classi præfectum: is 9. Kal. Sept. Vesuviano incendio opprimitur, *ep.* 16. *l.* 6. Tum ut ipse de se ait *ep.* 20. *l.* 6. *annum agebat duodevicesimum.* Ex quo loco manifestum est Plinium nostrum an. Chr. 62. natum esse.

An. V. C. 834. *Chr.* 81. *Tit.* 3. *ætat.* 19.

Statim ab avunculi morte Romam redit, ad forenses causas, quam videbat animum ad honores viam esse tutissimam, adjuncturus. Ita ipse de se l. 5. ep. 8. *Undevicesimo ætatis anno dicere cœpi.* Causam, opinor, Julii, seu Junii Pastoris, de qua *ep.* 18. *l.* 1. ad Suetonium, quem ominoso quodam somnio a dicendo deterritum, exemplo suo confirmat. *Causam*, inquit, *susceperam, cum mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genibus, ne agerem obsecrare; & eram acturus adolescentulus adhuc; eram in quadruplici judicio: eram contra potentissimos civitatis, atque etiam Cæsaris amicos: quæ singula excutere mentem mihi, post tam triste somnium poterant. Prospere cessit. Atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit.* Qua quidem celebritate nominis factum, ut & unus omnium sæpe eligeretur a senatu, qui afflictarum provinciarum, aliasque id genus illustres causas susciperet: & a variis oppidis patronus optaretur. Ipse Tifernii oppidi meminit *ep.* 1. *l.* 4. Ita sex ferme annis in foro magna cum laude transactis, primum imperatoris quæstor, tum tribunus plebis factus *ep.* 16. *l.* 7.

An. V. C. 842. *Chr.* 89. *Domitiani* 9. *ætat.* 27.

Tribunatum excepit prætura anno antequam per ætatem liceret hunc honorem contingere, quem magistratum Plinius gessit, cum eruditi omnes in primisque Philosophi a Domitiano imperatore pellerentur.

Sub extrema Domitiani tempora, cum Herennio Senecione advocatus datus Bæticis contra Bæbium Massam, qui eos proconsul expilarat, liberius paulo quam temporum conditio ferret, loquitur. Quod ubi audiit Nerva, qui tum Tarenti cum bonis multis, teste Philostrato l. 7. exulabat, *missis* illico ad Plinium *gravissimis literis, non ei solum, verum* etiam *seculo gratulatus, cui exemplum*, sic enim scripsit, *simile antiquis contigisset*, *ep.* 33. *l.* 7. Ibidem Cornelium Tacitum sibi amicissimum rogat Plinius, ut præclare illud factum historiæ suæ inse-

rat. Eadem libertate usus in accusatione Cæcilii Classici pro iisdem Bæticis, quos itidem iste Proconsul expilarat, Domitiani offensionem incurrit. Ipse *ep.* 9. *l.* 3. ad Minutianum. *Conjectabis ex hoc quantas con tentiones, quantas etiam offensas subierimus, duntaxat ad breve tempus. Nam fides in præ sentia eos quibus resistis, offendit; deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturque.* Herennius vero Senecio, cum Helvidii viri boni, & locupletis quem imperator ejus bona di repturus ter in exilium miserat, causam suscepisset: reus apud imperatorem factus a Metio Caro Domitiani liberto interficitur, *ep.* 5. *l.* 1. *ep.* 11. *l.* 3. *ep.* 14. *l.* 7. Sed & Plinius eandem sortem subiturum se fuisse postmodum agnovit, *si Domitianus diutius vixisset.* Nam, inquit, ep. 27 l. 7. *in scrinio ejus datus a Caro de me libellus inventus est.*

An. V. C. 849. *Chr.* 96. *Nervæ* 1. *ætat.* 34.

Simul interfecto Domitiano Nerva successit, omnibus, ut ait Dio, inimicos suos accusantibus, Plinius Helvidii quem olim defenderat interfecti, ultionem suscipit admirabili constantia contra Publicium Certum, qui paulo post vulgatam Plinii in eum orationem morbone, an mœrore decessit. Tum cum hanc causam egit Plinius tristis erat, ut ibidem ait, amissa recens uxore, Vectii Proculi privigna, de qua *ep.* 13. *l.* 9.

An. V. C. 850. *Chr.* 97. *Nervæ* 2. *ætat.* 35.

Eo circiter tempore Calpurniam Calpurnii & Pompeiæ Celerinæ clarissimæ fœminæ filiam, L. Calpurnii Fabati equitis Romani integerrimi & opulentissimi viri neptem, ex antiqua Calpurniorum familia uxorem duxit. Ex neutra conjuge liberos a se susceptos esse docet ipse Plinius *l.* 4. *ep.* 13. ad Tacitum. Ac de Calpurniæ abortu dum, ut ait ille, *se prægnantem esse puellariter nesciret*, cum ipso Fabato prosocero conqueritur, *l.* 8. *ep.* 10. Atque hinc est cur jus trium liberorum per Julium Servianum sibi ab imperatore petierit ut (quod ait ille de Suetonio cui idem jus obtinuit) *ab ejus bonitate impetraret quod si- bi fortunæ malignitas denegasset.* Ea de re gratias agit Trajano ep. 2. l. 10. Ut ut est, vixit cum Calpurnia conjunctissime: hujus sermonis suavitatem, & ingenii venustatem laudat *l.* 6 *ep.* 7. eruditionem vero commendat *l.* 4 *ep.* 19. ad ejusdem amitam Hispullam. *Summum est in ea acumen, summa frugalitas: amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium literarum, quod ex mei charitate concepit: meos libellos habet, lectitat, ediscit.* Cum ea vixit ad Bithyniæ saltem Proconsulatum. Nam cum esset in Bithynia, excusat se apud Trajanum, quod eam diplomate instructam dimiserit audita Fabati avi sui morte Romam negotiorum causa properantem ep. 121. l. 10. fortasse tempore a Corellio viro gravissimo, & summis magistratibus perfuncto plurimum una cum Cornuto Tertullo laudatur & apud Nervam commendatur. Itaque hoc ipso anno mense circiter decembri; cum magnarum in foro rerum gestarum gloria apud bonos omnes floreret, Nerva non tam Corellii commendatione inductus, quam laudatæ olim a se Plinii integritatis & constantiæ memor eum ærario præficit una cum Tertullo.

An. V. C. 853. *Chr.* 100. *Trajani* 3. *ætat.* 38.

Nondum Plinius & Tertullus *biennium in hoc officio compleverant*, paneg. n 91. cum uterque ad consulatum, non quidem ordinarium, a Trajano promovetur.

Consul *ordinarius*, erat is ex cujus nomine anni supputatio ordinaretur, id est, cujus nomen in literis, instrumentis, & fastis scriberetur: quique Kaland. Jan. honorem iniret. His qui honoris causa ad aliquot menses, aut etiam dies, sufficiebantur, dicebantur *honorarii*. Turnebus advers. l. 5. c. 10. in Suetonii locum de Domitiano c. 2. *In sex consulatibus, nonnisi unum ordinarium gessit.* Dio vero l. 43 *honorarios* consules, qui & *minores* consules dicebantur, a Cæsare primum ait institutos an. V. C. 708. Itaque Plinius cum Tertullo Honorarius consul suffectus est in mensem Septembrem. In panegyrico enim gratias agit Trajano, quod consulatui suo attribuisset eum mensem, quem natalis ipsius imperatoris, id est, ejus adoptionis

dies, qui quidem in septembrem cadebat, exornaret.

Tum Plinius agebat annum 38 Hinc *ep.* 8. *l.* 4. *Utinam*, inquit, *ut sacerdotium idem, & consulatum multo etiam junior quam ille* (nempe Cicero) *sum consecutus: ita senex saltem ingenium ejus aliqua ex parte assequi possim!* At Tullius anno ætatis 43. (ut a nobis infra observabitur pan. 12. n. 7. not. 4.) consulatum adeptus est.

Errant autem qui Plinii consulatum in sequentem annum rejiciunt. Primum enim duobus post datam ærarii præfecturam annis, consul factus est. Deinde Plinius panegyrici n. 60. meminit consulatus, quem Trajanus ante annum recusasset: recusavit autem anno imperii secundo. Loquitur etiam de quarto Trajani consulatu tanquam de re sequenti anno futura: quem ipsi quarto imperii anno delatum constat. Restat ergo ut tertio Trajani anno consul factus hanc orationem habuerit. Accedit Onuphrii mecum sentientis auctoritas. Quid quod verisimile non est Trajanum sequenti anno expeditione Dacica occupatum huic orationi Romæ interesse potuisse?

Plinius vero habuit hanc orationem non consul tantum designatus in quo etiam errant aliqui, sed primis consulatus sui diebus, &, ut ipse ait, in consulatu: *Acturus in Consulatu optimo Principi gratias &c* l. 2. ep 1. Eam autem orationem non brevem illam quidem, quomodo *ad rationem loci & temporis imperatori dicere necesse habuit*, sed, ut bono civi convenientissimum videbatur, spatiosius postea & uberius scriptis qualem habemus comprehensam, tribus continuis diebus magno auditorum applausu a se recitatam dicit *l.* 3. *ep.* 18.

An. V. C. 855. Chr. 102. Trajani 5. ætat. 40.

Lata lex erat a Julio Cæsare, inquit Dio *l* 53. *in actis anni* 726 ne quis majores magistratus continuos acciperet. Igitur Plinius altero post consulatum anno in Bithyniam a Bassa proconsule direptam proconsul a Trajano mittitur. Quo post longum iter tandem advenit xv. Kal. Octob ep. 28, l.10 De qua mora sibi *negat esse conquerendum, cum ipsi contigerit quod erat auspicatissimum, imperatoris natalem*, ipso adventus sui die *ibi celebrare*, l. 10. ep. 97. Hinc præclaram illam, & Christianæ religioni adeo gloriosam epistolam ad Trajanum scripsit, in qua homo gentilis honorificum de Christianorum integritate testimonium reddit; *ep.* 97. *l.* 10. qua epistola inductus Trajanus data adversus Christianos mandata utcunque mitigavit.

An. V. C. 856. Chr. 103. Trajani 6. ætat. 41.

In ea provincia boni, ac strenui proconsulis functus est officium: emendavit jura, acta Bassæ rescidit, pristinum Bithyniæ splendorem restituit, refecit ædificia; Nicomediæ aquæ ductus & lacum, *ep.* 47. *&* 51. *l.* 10. Nicææ balnea & theatrum, *ep* 48. *l.* 10. Prusæ item balnea instauravit, *ep.* 60. *l.* 10. Quibus rebus ita sibi Trajanum conciliavit, ut auguratum ac jus trium liberorum sibi, amicis vero jus Quiritium, civitatis, trium liberorum, senatoriam, & prætoriam dignitatem impetrarit.

An. V. C. 860. Chr. 107. Trajani 10. ætat. 45.

Plinius data ad Albinum epistola *ep.* 10, *l.* 6. conqueritur quod Virginii Rufi ante decem annos extincti sepulchrum nondum esset confectum. Et quoniam de Plinio nihil occurrit, neque in ejus epistolis, neque usquam alibi, quod ad posteriora tempora pertineat: & Eusebius duodecimo Trajani anno Plinium extinctum tradat (quo loco etsi Plinium majorem significare videtur Eusebius, non nisi de minore tamen intelligi posse supra demonstravi) facile adducor ut credam Plinium hoc anno obiisse.

Fuit in Plinio præstans & amœnum in primis ingenium, incredibile discendi studium, abundans variarum rerum cognitio. Livii capiebatur eloquentia, Demosthenem, si quid scriberet, perpetuo habebat ob oculos, nec minus Tullii imitandi studio flagrabat. Quod si acutioribus sententiis, ac metaphoris plusculum indulsit quam Ciceronis imitatorem deceret; fuit hoc illius ætatis vitium; quam degenerasse & ab optimo dicendi genere defecisse identidem dolebat. Quod autem

poeticum quid aliquando sonat ejus dictio, nimirum sua huc illum ferebat indoles: tragœdiam etiam, cum esset adhuc annorum quatuordecim, elegos, epigrammata, & hendecasyllaborum volumen conscripsit, ut ex variis eius epistolis apparet. Sed nihil horum extat præter unum & alterum epigramma ex quibus cetera ejus poemata licet æstimare, *ep* 4. *&* 9. *l* 7. Decem epistolarum libros nobis reliquit: nec desunt qui ei librum de viris illustribus attribuant, quem alii Suetonio, alii Cornelio Tacito, alii demum Quintiliano adscribunt. Incredibili immortalitatis studio tenebatur, ac ingenii, literarum cetcrarumque virtutum commendatione aditum sibi fecit ad Nervæ Trajanique gratiam, & ad summos quosque magistratus. In quibus gerendis quanta fide, integritate & prudentia versatus sit, cum ex rebus ab eo gestis, tum ex Trajani ad eum literis cognosci potest. Suetonio Tranquillo amicissimo utebatur, huicque adeo jus trium liberorum a Trajano impetravit. Silium Italicum ætatis suæ, si Martiali credimus, poetam insignem, hominem triplici consulatu clarum amavit, luxitque defunctum, *ep.* 7. *l.* 3. Martialem abeuntem viatico donavit, a quo elegantissimis hendecasyllabis redonatus est, *ep.* 21. *l.* 3. Fuit ei cum Tacito studiorum commercium, *ep.* 20. *l.* 7. Ambo mutuam sibi in recognoscendis operibus tradebant operam, & forensem laudem ita inter se partiebantur, ut quoties aliquis in foro singulare aliquod eloquentiæ specimen edidisset quæreretur *Tacitus esset, an Plinius?* ep. 23. *l.* 9. Denique nemo vel ingenio vel eruditione hoc tempore præcelluit, quicum eo conjunctissime non viveret. Quam opulentus esset, testes Thuscus ager, *ep.* 6. *l.* 4. & *ep.* 6. *l.* 5. Laurentinus, *ep,* 17. *l.* 2. Comensis, cujus fontem admirabilem celebrat *ep.* 30. *l.* 4. sacra ædes apud Tibernum suis sumptibus erecta, plures ad Larium lacum villæ amœnissimæ; quarum alteram, quod esset humili loco, *comœdiam*: alteram, quod in colle edito esset, *tragœdiam* per jocum appellabat. *ep* 7. *l.* 9. Ceterum in patriam, & amicos, supraquam dici potest, liberalis fuit Comensibus in ingenuorum ingenuarumque alimenta, quinquaginta sestertia dedit, *ep.* 18. *l.* 7. iisdem ad erigendas Novocomi scholas sestertium undecies, *ep.* 13. *l.* 4. Romano Firmo ad explendum censum Equestrem trecenta millia, *ep.* 19. *l* 1. Agrum centum millium nummum nutrici suæ: nubenti Calvinæ in dotem centum millia, *ep.* 4. *l.* 2. Fabii vero Quintiliani magistri sui filiæ Nono Celeri Consulari viro desponsatæ, *dedit quinquaginta millia nummum; plus, ut ipse ait, collaturus, nisi a verecundia Fabii, sola mediocritate munusculi impetrari posse confideret, ne recusaret*, l. 6. ep. 32. Metilio vero Crispo municipi suo abeunti quadraginta millia nummum, ad instruendum se ornandumque *l* 6. *ep.* 25.

Veteres de Plinio inscriptiones, quæ in editione Catanæi ejus vitæ subjectæ sunt visum est hic apponere.

COMI IN EXTERIORE STRUCTURA Templi maximi.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CÆCILIO SECUNDO. COS. AUG. CURAT. TIBER.

MEDIOLANI IN ÆDE D. AMBROSII in arca lapidea ex tabulis confractis.

C. PLINIUS L. F. O. V. F. CÆCILIUS AUGUR LEGAT. PRO PR. PROVINCIÆ. PON. CONSULARI POTESTA. IN EAM PROVINCIAM ET IMP. CÆSAR. NERVA TRAJANO AUG. GERMAN. CURATOR. ALVEI TIBERIS ET RIPARUM ET PRÆF. ÆRARI. SATURNI PRÆF. ÆRARI MIL. QUÆSTOR. IMP. SEVIR EQUITUM TRIB. MILIT. LEG. VI. GALLICÆ XVIR. STLITIB. JUDICAND. ADJECTIS THERM. INORNATUM HS. CC∽. ET HOC AMPLIUS IN TUTELAM. HS. CC. T. F. I. ET IN LIBERTOR. SUORUM NOMIN. HS. XVIII. LXVI. D. CLVI. REI. INCREMEN. POSTEA AD EPULUM. PLEB. URBAN. VOLUIT PERTINERE HOC AMPLIUS DEDIT IN ALIMENTA PUERORUM ET PUELLARUM. PLEB. URBAN. HS. CCC. IN TUTELAM. BIBLIOTHECÆ. HS. C.

IN SEMIDIRUTA ÆDE D. JULIANI apud Fegium agri Mediolanensis.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CÆCILIO SECUNDO COS. AUGUR. CUR. ALV. TIBER. ET CLOAC. URB. PRÆF. ÆR. MIL. QU. IMP. SEVIR. EQ. R. TR. M. LEG. VI. GALL. XVIRO. STLIT. JUD. FL. DIVI. T. AUG. RCELIENS.

ERRATA.

P, *significat paginam.* T, *textum panegyricorum.* I, *Interpretationem.* N, *Notas.*

P*Ag.* 2. *linea* 30. 77. lege 71. P. 8. N. *col.* 1. *lin.* 2. indicio, *l.* judicio. P. 12. T. *lin.* 11. si nobis, *l.* si nolis. P. 18. N. *col.* 1. *l.* 24. not 7, *l.* not. 2. *ibid. col* 2. *l. ultima.* habueran:, *l.* habuerant. P. 19. T. *l.* 6. Pyreneus, *l.* Pyreuæus. P. 22. N. *col.* 2. *l.* 8. pro prætoribus, *l.* proprætoribus. P. 23. I. *col.* 2. *l.* 2. hostrum, *l.* hostium. P. 44. N. *col. l.* 16. filii, *l.* filii. P. 47. T. *l.* 16. omneis, *l.* omnes. *ibid.* N. *col.* 1. *l.* 16. sit, *l.* fit. P. 55. N. *col.* 1. *l.* 10. feribus, *l.* foribus. P. 67 T. *l.* 6. fexies, *l.* fexties. P. 71. N. *col.* 2. *l.* 3. excipepetent, *l.* exciperent. P. 74. N. *col* 2. *l.* 14. obstingere, *l.* obstringere. P. 95. T. *l.* 23. pœne, *l.* pene. P. 99. N. *col.* 2. *l.* 10. paranur, *l* parantur P. 100. *l.* 25. avadiendum, *l.* audiendum. P. 104. N. *col.* 1. *l.* 5. Tygrim, *l.* Tigrim. P. 107 *col.* 1. *l.* 43. Zozimus, *l.* Zosimus. P. 108. N. *col.* 1. *l.* 41. affinitatus, *l.* affinitas. *ibid. col.* 2. *l.* 37. montis, *l.* mentis. P. 109. N. *col.* 1. *l.* 5. virdeantur, *l.* videantur. P. 110. T. *l* 9. a a, *l.* ara. P. 112. N. *col.* 2. *l* 6. & 7. caput sequens, *l.* caput 7. not. 5. pan. 3. n. 6. not. 7. P. 118. T. *l.* 21. viderus. Indo, *l.* videtur, Indo. P. 119. N. *col.* 2. *l.* 10. anno Christi, *l.* anno Christi 291. P. 133. T. *l.* 2. ab luxi, *l.* abduxit. *ibid.* N *col* 1. *l.* 10. tristes, *l.* tritas. P. 134. N. *col.* 2. *l.* 8. venerationis pietatis officio, *l.* venerationis officio. P. 135. N. *col.* 1. *l.* 4. pan. n. 35. 10, *l* pan 10. n. 35. P. 136. T. *l.* 4. castra, *l.* castra *ibid.* N. *col.* 2. *ultimo.* vint, *l.* vivunt. P. 137. N. *col.* 1. *l.* 17. not. 3. *l.* not. 5. P. 140. N. *col.* 2. *l.* 2. victorum, *l.* victoriam. P. 144. N. *col.* 1. *l. ultima.* Vir doctissimum, *l.* vir doctissimus. P. 149. N. *col.* 1. *l. ultima.* aeum, *l.* rerum P. 157. N. *col.* 1. *l.* 9. usu mei, *l.* usum ei. P. 159. N. *col.* 2. *l.* 12. not. 6, *l.* not. 7. P. 163. *col.* 1. *l.* 44. Tum quæ *l.* Tum castella quæ. P. 165. I. *col.* 2. *l.* 1. mea, *l.* meæ. P. 169. T. *l.* 16. piraticæ, *l* piraticæ P. 178. T. *l.* 27. ad luunt, *l.* adluunt. P. 180. N. *col.* 2. *l.* 3. Sealdim, *l.* Sealdim. P. 195. T. *l.* 6 sidentes, *l.* fidentes. P. 206. N. *col.* 2. *l.* 9. insulæ, *l.* insulæ. P. 210. T. *l.* 1. paludium, *l.* paludum. P. 221. T. *l.* 1. lurima, *l.* plurima. P. 254 N. *col.* 1. *l.* 28. in suo gloriæ mundi catalogo, *l.* in procemio comment. ad consuetudines Burgundiæ. P. 235. T. *l.* 16. pro, *l.* proh. P. 237. N. *col.* 2. vitro, *l.* viro. P. 241. T. *l.* 12. pio, *l* proh. *ibid.* N. *col.* 1. *l.* 11. neque, *l.* neque. P 242. N. *col.* 2. *l.* 2. Vesuro, *l.* Vesulo. P. 143. T. *l.* 17. P. 256. N. *col.* 2. *l.* 5. pan. 9. n, *l.* pan. 9. n. 18. not. 4. P. 257. T. *l.* 7. male, *l.* mali. P. 264. N. *col.* 2. *l.* 6. polloros, *l* posteros. P. 268. N. *col* 7. *l.* 11. depravasissimum, *l.* depravatissimum. P. 81. *col.* 1. *l. ultima.* transuga, *l* transfuga. P. 281. *in Synopsi. l.* 17. n. 12. *l.* n. 11. *& ibid. l.* 18. n. 11. *l.* n. 12. P. 186. T. *l* 22. frena, *l.* fræna. P. 228. *l.* 10 incliti *l.* inclyti. P. 309. *in Synopsi. l.* 33. soeleri, *l.* sceleri P. 310. N. *l. ultima.* quid timeam, *l.* quod timeam. P. 312. N. *col.* 2. *l. ultima.* Pyrænæla, *l.* Pyrenæis. P. 313. N. *col.* 1. *l.* 1. Mediterrane, *l* Mediterraneo. P. 317. T. *l.* 1. amen, *l.* tamen. P. 319. N. *col.* 1. *l.* 11. a ab Ætio, *l.* ab Ætio.

IN INDICE. Actutum, *adj.* dele *adj* agitabatur. 243. *l* 343. agmen. 348:26. *adde ibid.* 21. aliena. *adde* 245:58. Alpibus. 313 *l* 335. alterno, *verb.* lege *nom.* ambitio, *adde* 337: 25. amentia *subst.* *adde* 336: 3. amnis *adde* 339: 19. amplissime, *sing.* *l.* amplissimæ. aquis *adde* 344:4 aras. 112. *l.* 116. arte. *adde* 345. *l.* 1. artificum. *adde* 348 : 20. auferetur. *l.* aufertur. avolabat. 242 *l.* 345. beatis &c. *in indice* *Fluvii, lin.* 10. *l.* 16. bona, *adj* lege *subst.* brevissimum. 168 : 17. *dele.* cadaveribus. 339: 17 *adde ibidem* 21. cadere *l.* cedere. *lin.* 16: 17. *dele* 17. calcaribus, & campos *lege in vece*, Cæsarem. caperetur 245. *l.* 345. captum, *subst.* lege *adj* carnifice, *l* carnifex. castiensium. 218. *l.* 318. clari. *adde* 344: 13. cœleste. *adde* 344 : 9. concederetur. *l.* conderetur. concordiam. 117. *l.* 119. conflictus. 339: 7. lege *bis* consecrasis. *l.* consecraris. consulit. *adde* 333. 8. continere. 341:5. corpoas. dele *bis.* correptis 279. *l.* 179. crudelitatem *lin.* 21. *l.* 27. cultibus 326. *l.* 329. cultui. 274: 18. *dele.* cuperer. *l.* cuperet. cur. dele *bis.* data *adde* 337:9. debeaes *adde* 346 : 21. dedicisti *l.* didicisti. Dei *adde* 344:6. demus. *adde* 345:3. Deus *adde* 335:11. diadema *adde* 348. 15. dicebatur. *l.* dicebat. dicimus *adde* 334 : 9. dicta. *adde* 338. 5. disciplina *adde* 340:11. dixisse *adde* 342: 22. documentum *lin.* 46. *dele* 4. dolor 323. *l.* 223. domi *adde* 334:5. egisse 343 *l.* 344. egisses *lin.* 3. *l.* 13 emedsus *l* emensus. factionis *lin.* 25. *l.* 28. famam. *adde* 347:12 348. 4. familiare. *l.* familiari. ferri *adde* 134:6. ferro 338. 18. *l.* 17. favoris *adde* 344:7 festinata *l.* festinatæ. fides *adde* 338:2. flumina *adde* 348:21. fugæ *adde* 339:19. fugiens *lin.* 1. *l.* 15. furor *adde* 349: 15. gaudet *adde* 341: 58. geminarum *l.* gemmarum. Similiter *l* gemmas, gemmis. genus *adde* 334:17. gravius *adv.* adde 349: 17. habuit 349. *l* 346. historiis 343. *l.* 348. humanis *adde* 345: 18. hunnus *l.* Hunnus. 17. ignibus *adde* 346: 16. iminia *l.* infimis immortalis *adde* 344: 6. impiæ *adde* 339: 15. incertum *adde* 345: 21. innixam *lin.* 16. *l.* 18. innumeras. 344. *l.* 347 insignes *adde* 345. 51. interitum 347. *l.* 317. insolitum 242. *l.* 142. ire *lin.* 34 *l.* 24. Juliani 238. *l.* 588. largiuntur 586 *l.* 289. Mars 259. *l.* 256. Marti 557:13. *l.* 3. mavos *l.* mavis. metallorum rivus fluens *l.* rivis. multifida. 759. *l.* 159. obviorum *lin.* 8. *l.* 2.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Grand Conseil, Requestes de nostre Hostel, & de nos Palais, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, Lieutenans, & à tous nos amez Justiciers & Officiers qu'il appartiendra. Salut : Ne voulant rien oublier de tout ce qui peut contribuër à la bonne Education de nostre tres-cher & tres-aimé Fils le Dauphin, & considerant que son avancement dans l'Etude des bonnes Lettres en fait une partie : Nous avons jugé que rien ne luy seroit plus utile pour cela, que de luy faciliter la lecture & l'intelligence des anciens Auteurs de la Langue Latine, par des moyens plus prompts & plus commodes, que ceux dont on s'est servy jusques icy. & nous nous sommes d'autant plus portez à l'execution de ce dessein, que Nous avons compris en même temps, que le public en recevroit beaucoup d'avantages. Ainsi nous avons jetté les yeux sur plusieurs personnes sçavantes, tant de nostre Royaume, que des païs étrangers, pour travailler sur ces anciens Auteurs de la Langue Latine, y faisant des Notes & des Explications qui pussent en donner l'intelligence, sans avoir besoin d'autres Commentaires, & dans la distribution qui a esté faite de ce travail ; Nous avons chargé le Pere DE LA BAUNE de la Compagnie de JESUS, de travailler à l'explication des Panegyriques Anciens, dont il s'est acquitté à nostre satisfaction ; de sorte que son Ouvrage estant en estat d'estre imprimé, Nous avons permis & accordé, permettons & accordons à Simon Benard, Imprimeur & Libraire de nostre bonne Ville de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter lesdits Panegyriques Anciens avec l'Interpretation & les Notes dudit Pere DE LA BAUNE, dans tous les lieux de nostre obeïssance, en telles marges, tels volumes, & caracteres qu'il voudra, pendant le temps de *vingt ans*, à compter du jour qu'elles seront achevées d'imprimer, pendant lequel temps Nous faisons tres-expresses inhibitions & deffenses, à tous Imprimeurs, Libraires & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'imprimer ou faire imprimer lesdits Panegyriques Anciens, sous pretexte d'augmentation, correction, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, vendre ny debiter iceux sans la permission & consentement dudit Benard, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mil livres d'amende, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hospital general, & l'autre tiers audit Benard, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests au profit dudit Benard. A condition qu'il sera mis deux Exemplaires desdits Panegyriques en nostre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres en nostre Chasteau du Louvre, & un en celle, de nostre tres-cher & feal le sieur Daligre, Chevalier, Chancelier de France, avant que de les exposer en vente, à peine de nullité des presentes. Du contenu desquelles vous mandons faire joüir & user ledit Benard ou ceux qui auront droit de luy, pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdites Œuvres, une copie, ou Extrait des presentes, elles soient tenues pour bien & deuement signifiées à tous ceux qu'il appartiendra : Car tel est nostre plaisir. Donné à saint Germain le dix-septiéme jour d'Avril, l'an de grace 1676. Et de nostre Regne le trente. Signé, Par le Roy en son Conseil, DE LA BAUNE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, ce premier Octobre 1676. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Février 1665 D. THIERRY.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 23. Novembre 1676.

Les Exemplaires ont esté fournis.

TYPIS THEODORICI ANI.

LE



C. PLINII SECUNDI

[1]NOVOCOMENSIS [2]PANEGYRICUS

[3]TRAJANO AUG. DICTUS.

Notæ.

NOvocomensis.] Novocomum sive Novum Comum Italiæ Transpadanæ civitas in Insubria ad lacum Larium, Comum primo dicta, ac post ejus instaurationem, Novocomum; hodie *Como*.

2. *Panegyricus.*] Subauditur *sermo*. Panegyricæ orationes primum dictæ sunt, quæ habebantur in Panegyri; id est in ludis ac celebritate totius Græciæ : Sed postquam ejusmodi orationum consuetudo exolevit : quæcunque in laudem principis, aut etiam cujusvis privati hominis, sive in senatu, sive in aliquo alio nobili consessu fierent, dictæ sunt Panegyricæ. Imo si Tullio & Quintiliano credimus, suasiones ipsæ, & quæcunque oratio ad delectationem comparata abesset a civili strepitu, Panegyrici nomen obtinuit. Hæc quidem oratio gratiarum actio dicenda potius videtur : tum quod Plinius ait n. 4. *Senatusconsulto* sancitum fuisse, ut *sub titulo gratiarum agendarum* hujusmodi orationes haberentur; tum etiam quod Ausonii ad Gratianum principem pro accepto item consulatu oratio, inscripta est non Panegyricus, sed gratiarum actio. Ut hic tamen Panegyricus dicatur, facit cum Apollinaris Sidonii auctoritas, tum quod antiquæ omnes, ac novæ editiones hanc inscriptionem habent.

3. *Trajano Augusto dictus.*] Ab Octaviano Cæsare, qui omnium primus *Augustus* cognominatus est, invaluit deinde consuetudo, ut ceteri imperatores *Augusti* dicerentur. Mos autem fuit apud Romanos stante republica, ut novi magistratus populo statim gratias agerent. Ita referunt, *Plutarchus in Æmilio : Tullius initio* 1. *Agrariæ*. Verum postquam imperatores traxerunt ad se jura populi pene omnia, atque in primis creandorum consulum : tum gratiarum actiones, quæ antea populo fieri solerent; sibi ab iis quos consules fecissent fieri voluerunt : facto, ut ait Plinius n. 4. ea de re senatusconsulto: cujus quia nusquam alibi, quod sciam, mentio est, quo tempore factum sit, incertum est. Igitur Plinius a Trajano imperatore consul una cum Cornuto Tertullo designatus, ut huic sive consuetudini, sive senatusconsulto satisfaciat, hac oratione Trajano in senatu gratias agit.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Primum, reddit rationem cur initio deos precetur: quod hæc instituta sit a majoribus consuetudo, quam nemini ait potius quam sibi observandam*, num. 1. *Quia consulem decet religio, quia laudat optimum principem, qualis Deorum munus est*, n. 2. *Quia imprimis Trajanus a diis datus, cujus adoptio ante Jovis pulvinar in Capitolio facta. Deinde ostendit hanc laudationem non tam ut principi serviliter obsequatur a se susceptam, quam ut senatusconsulto pareat; utque boni principes, quæ facere debeant, in laudatis Trajani virtutibus recognoscant. Quare abesse oportere adulationis suspicionem. Haret in commendatione ejus humanitatis*, n. 3. *Hucusque exordium.* DISTRIBUTIO *videtur hæc esse.* I. *Vita Trajani publica.* II. *vita ejusdem privata laudatur*, n. 4.

I. PARS. *Universas Trajani laudes primum ponit sub uno aspectu quas postea sigillatim persequatur. Adoptatur a Nerva*, n. 5. *Quam gratus erga eum fuerit*, n. 10. *Quam metuendus esset hostibus*, n. 12. *Quam carus & venerabilis militibus suis*, n. 13. *Traducta in bello prima ejus pueritia*, n. 14. *iam tum signa dedit victoriarum ab eo referendarum. Plinius quasi vaticinans triumphum describit*, n. 15. *Trajanus disciplinam militarem emendat*, n. 18. *Romam redit*, n. 20. *Patris patriæ appellationem accipit a senatu*, n. 21. *Describitur placidus ejus reditus*, n. 22. *Romam redux primum tributa remittit: congiaria, donativa, alimenta dat*, n. 25. *Ubertatem in Urbem invehit*, n. 28. *Inde Ægypti sterilitati succurrit*, n. 30. *Ludos dat populo*, n. 33. *Delatores punit*, n. 34. *Vicesimale tributum temperat*, n. 37. *Testamentis securitatem inducit*, n. 43. *Bonis & maxime nobilitati favet*, n. 44. *Censoris nomen recusat*, n. 45. *Literarum studia promovet: honorem dicendi magistris habet. Ejus comitas & humanitas*, n. 47. *In publicis ædificiis ejus magnificentia, domi frugalitas*, n. 50. *Tanto major ceteris imperatoribus, quanto illis modestior*, n. 52. *Secundum consulatum admittit sub Nerva*, n. 56. *Quo mortuo, jam sui juris factus, tertium recusat*, n. 57. *Exoratus tandem a republica eum suscipit anno sequenti, servatis tamen quasi in privati hominis electione comitiorum legibus*, n. 59. *In tertio consulatu nobiles viros promovet ad magistratus, maxime quos provinciæ commendarent*, n. 69. *Quam fuerit comis in candidatos; in cives*, n. 77. *Quas acclamationes modestia meruerit*, n. 74. *Assiduus in foro, ibi omnes boni consulis partes agit*, n. 76. *Rogatur, ut quartum consulatum accipiat*, n. 77. *Quicquid supererat ab reip. rebus otii, non luxu aut desidia consumi:, sed venatione cæterisque corporis exercitationibus impendit*, n. 81.

II. PARS. *Hactenus qualis in imperio fuerit: nunc qualis in privata vita. Laus Plotinæ Trajani conjugis, Marcianæ sororis, quas exemplo suo instituit*, n. 84. *Quanta esset in colendis amicitiis ejus constantia*, n. 85. *Quanta ipsius procuratorum integritas*, n. 87. *Neque libertis plus quam par esset tribuit: ob quæ omnia merito dicitur optimus a senatu*, n. 88.

IN FINE. *Compellat Nervam & Trajanum patrem; quibus de filii virtutibus gratulatur*, n. 89. *Senatores; a quibus dicendi munus sibi impositum erat*, n. 90. *Trajanum imperatorem; cui & pro se & pro collega gratias agit*, n. 91. *Custodes imperii deos, præcipue Capitolinum Jovem, quem orat pro æternitate imperii & principis*, n. 94. *Iterum senatores, quibus obsequium & reverentiam pollicetur*, n. 95.

C. PLINII
PANEGYRICUS
TRAJANO DICTUS.

I. BEne ac ſapienter, [1] Patres Conſcripti, majores inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil recte, nihilque providenter homines, ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore [2] auſpicarentur. Qui mos cui potius, quam conſuli? aut quando magis uſurpandus colenduſque eſt, quam cum imperio ſenatus, auctoritate reip. ad agendas optimo principi gratias excitamur? Quod enim præſtabilius eſt, aut pulchrius munus deorum, quam caſtus, & ſanctus, & diis ſimillimus princeps? Ac ſi adhuc dubium fuiſſet, forte caſuque rectores terris, an aliquo numine darentur: principem tamen noſtrum liqueret [3] divinitus conſtitutum. Non enim occulta poteſtate fatorum, ſed ab Jove ipſo coram ac palam repertus, electus eſt. Quippe [4] inter aras & altaria, [5] eodemque loci, quem deus ille tam manifeſtus ac præſens, quam cœlum ac ſidera inſedit. [6] Quo magis aptum piumque eſt, te, Jupiter [7] optime, antea [8] conditorem, [9] nunc conſervatorem imperii noſtri precari, ut mihi digna [10] conſule, [11] digna ſenatu, digna principe

NOTÆ.

1. P*Atres conſcripti.*] Senatores *patres* dicti ſunt: vel *ætate*, ut ait Salluſtius, erant enim ſeniores; vel *curæ ſimilitudine*. Nam eam reipublicæ, quam patres ſuæ familiæ, curam habebant. *Conſcripti* vero primum dicebantur ij, qui, ut certum numerum explerent, ad alios aſcribebantur: poſtea uno & eodem nomine omnes æque ſenatores, dicti ſunt *patres conſcripti*.

2. *Auſpicarentur.*] Id moris erat apud veteres, ut nihil ferme niſi deos precati, atque adeo captatis auſpiciis, inciperent. De qua conſuetudine videri poteſt *Tullius pro Rabirio. & 2. de Divinat. & Valer. Maxim. l. 2. c. 1.* Atque hinc factum eſt ut, *auſpicari*, dixerint pro *incipere*. Auſpicari autem, ſeu auſpicia conſulere; eſt aves, aut potius avium volatum inſpicere.

3. *Divinitus conſtitutum.*] De hac Trajani electione, diximus in ejus vita.

4. *Inter aras, & altaria.*] Differunt *Aræ* enim diis ſuperis, æque & inferis; *Altaria* vero diis tantum ſuperis conſecrabantur. Sic Servius in illud Virgilii Ecl. 5. 64. *En quatuor aras, ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.*

5. *Eodemque loci.*] In Capitolio.

6. *Quo magis*] Deorum invocatio eſt, qua non poetas tantum, ſed & oratores uti ſolere, docet *Quintil. in præfat. libri* 4.

7. *Optime.*] Ant. Schonovius ex veteri codice addit *maxime*: itaque eſt in edit. Lugdunenſi.

8 *Conditorem.*] Annon Romæ conditor Romulus? ſane: ſed eo ſenſu id intelligendum eſt, quo apud Virgilium Æ. 12. 829. Jupiter dicitur *rerum repertor*; licet alii quoque dii multarum rerum uſum invenerint. Quia nempe nihil ejuſmodi fit ſine Jovis ope atque conſilio. Quid quod Romæ conditor dici poteſt, qui ejus conſervator fuerit, cum Romuli fugientem ſtitit exercitum.

9. *Nunc conſervatorem.*] Poſtquam ſpreto propter affectam ætat Nem erva, nutans eam ob rem imperium ad Trajanum per ſummam bonitatem tranſtuliſti.

10. *Digna conſule.*] Plinium fuiſſe tum conſulem, cum hanc orationem dixit, in ejus vita oſtendimus.

11. *Digna ſenatu.*] Quem intueor. Unde patet orationem hanc habitam in ſenatu,

contingat oratio : utque omnibus, quæ dicentur a me, libertas, fides, veritas conſtet : tantumque [12] a ſpecie adulationis abſit gratiarum actio mea, quantum abeſt a neceſſitate.

II. Equidem non conſuli modo, ſed omnibus civibus enitendum
5 reor, ne quid de principe noſtro ita dicant, ut idem illud [1] de alio dici potuiſſe videatur. Quare abeant ac recedant [2] voces illæ, quas metus exprimebat. nihil [3] quale antea dicamus, nihil enim quale antea patimur. nec eadem de principe palam, quæ prius, prædicemus : neque enim eadem ſecreto loquimur, quæ prius. Diſcernatur orationibus noſtris diverſitas tem-
10 porum, & [4] ex ipſo genere gratiarum agendarum intelligatur, cui quando ſint actæ : nuſquam ut deo nunc, nuſquam ut numini blandiamur. [5] Non enim de tyranno, ſed de cive, [6] non de domino, ſed de parente loquimur. Unum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat : [7] nec minus hominem ſe, quam hominibus præeſſe meminit.
15 Intelligamus ergo bona noſtra, dignoſque nos [8] illis uſu probemus : atque identidem [9] cogitemus, ſi majus principibus præſtemus obſequium, qui ſervitute civium, quam qui libertate lætantur. Et populus quidem

NOTÆ.

12. *A ſpecie adulationis.*] A ſuſpicione adulationis. Nota hujus loci artificium : amolitur a ſe quantum poteſt adulationis ſuſpicionem.

1. *De alio dici.*] Martial. l. 10. Ep. 72. de Trajano. *Hoc ſub principe, ſi ſapis, caveto verbis Roma prioribus loquaris.*

2. *Voces illæ.*] Adulatoriæ.

3. *Quale antea.*] Sub Nerone, Domitiano, ceteriſque malis principibus.

4. *Ex ipſo genere*] Ita emendarunt hunc locum Lipſius, & Gruterus: ſenſus vero eſt. Ex hoc gratiarum agendarum genere intelligatur, cui principi, & quo tempore ſint actæ gratiæ. Nullo hujus orationis loco ipſi, ſic tanquam deo, adulemur. Si quis tamen malit, textum, uti legitur in aliis editionibus, hunc repræſento. *Cui quando ſint hactenus ut deo, nunc nuſquam ut numini blandiamur.*

5. *Non enim de tyranno.*] Confert Trajani humanitatem, cum Domitiani arrogantia : *Neque enim bonum virum proprie, & copioſe laudari ſine virtutum; nec improbum notari ac vituperari ſine vitiorum cognitione ſatis inſigniter atque aſpere poſſe*, teſtatur Cicero 2. de Orat. 349. *Tyranni* autem vox in bonam partem accipiebatur pro quocunque rege. Unde illud Æneid. 7. 266. *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.* Senſim tamen abiit nomen illud in invidiam, ut violentum dominatorem ſignificaret.

6. *Non de domino.*] *Appellationem illam odioſam Auguſtus exhorruit.* Suetonius. Sic etiam Tiberius cuidam ſe dominum vocanti ſuccenſuit, vetuitque ne hoc deinceps nomine compellaretur. Non ita verecundus fuit Domitianus, qui *dominus*, &, quod extremæ dementiæ eſt, *deus* appellari voluit. Hanc Trajani modeſtiam, nomen illud *Domini* averſantis, notat Martial. l. 10. Ep. 72. *Fruſtra blanditiæ venitis ad me, attritus miſerabiles labellis. Dicturus dominum, deumque non ſum : jam non eſt locus hac in urbe vobis, non eſt hic dominus, ſed imperator.*

7. *Nec minus hominem ſe.*] Abſimilis Alexandro, qui ſe Jovis Hammonis filium haberi : Auguſto, qui ſibi Flamines decerni : Caligulæ, qui deorum ſtatuis caput ſuum imponi : Neroni, qui Apollo dici : Domitiano, qui dominus, deuſque appellari voluit.

8. *Illis uſu.*] Id eſt, utendo, ut par eſt, his bonis, haud indignos nos iis eſſe oſtendamus. In aliquot editionibus eſt *illius uſu.*

9. *Cogitemus, ſi.*] *Si* pro *an.* Terent. Heaut. 1 3. *Viſam ſi domi eſt.* Propert. l. 3. *Illa mihi referat, ſi noſtri mutua cura eſt.* Ho-

Romanus [10] dilectum principem servat, quantoque paulo ante [11] concentu [12] formosum alium, [13] hunc fortissimum personat: quibusque aliquando clamoribus [14] gestum alterius, & vocem; hujus pietatem, [15] abstinentiam, [16] mansuetudinem laudat. Quid nos ipsi? divinitatem principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, ut amor & gaudium tulit, celebrare universi solemus? Jam quid [17] tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis [18] Optimi cognomen? quod [19] peculiare hujus & proprium, arrogantia priorum principum fecit. Enimvero [20] quam commune, quam ex æquo, quod felices nos, felicem illum prædicamus, alternisque votis, hæc faciat, hæc audiat, quasi non dicturi, nisi fecerit, comprecamur! Ad quas ille voces lacrymis etiam, ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim [21] sentitque [22] sibi, non principi dici.

III. Igitur quod temperamentum omnes in [a] illo subito pietatis

INTERPRETATIO.

[a] *In repentino illo acclamationum* nostrarum *æstu.*

NOTÆ.

rat. l. 1. Ep. 2. *Inspice si possum donata repenere Letus.* Livineius ex Cuspin. codice legit, *Cogitemus quam sit indignum si &c.*

10. *Dilectum principem.*] Lege cum Lipsio *dilectum principum servat*. Id est, populus quidem Romanus scit apte discernere, quibus principibus, & quanta laus debeatur.

11. *Concentu.*] Bene admodum plausus ille *concentus* dicitur. Nam, ut ait Tacit. Annal. 16. 4. *In plausibus illis theatralibus, plebs certis modis, plausuque composito personabat.* Fuit hæc ars malorum imperatorum; atque in primis Domitiani, ut robustos quosdam juvenes ad plausum sibi dandum certis in theatri partibus disponeret.

12. *Formosum alium.*] Domitianum puta, *quem pulchrum ac decentem fuisse*, ait Suetonius.

13. *Hunc fortissimum.*] Robustissimum. De Trajani robore *Dio* & *Victor*.

14. *Gestum alterius, & vocem.*] Neronem intelligit, qui in arte histrionica exercitatissimus vocem suam *divinam* dici, & *cælestem* volebat: Sueton.

15. *Abstinentiam.*] *Abstinebat ab aliena pecunia, non minus quam ab magnis cædibus.* Dio.

16. *Mansuetudinem.*] Notum illud Ausonii epigramma. *Comis hic in cives Trajanus at hostibus asper, &c.* Amicis eum culpantibus, quod nimis erga omnes comis esset, respondit, *Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatus optasset.* Eutrop.

17. *Tam civile.*] Tam dignum bono cive.

18. *Optimi cognomen.*] Si Dioni, Zonaræ, & veteribus numis fides est, cognomen illud non ante subactam Armeniam Trajano additum est: hoc est, anno ejus imperii nono. Quid ergo? utrumne errarunt illi, an noster Plinius? Conciliari poterunt, si dicamus; hoc quidem anno Optimi cognomen ei a senatu inditum; verumtamen non ante Armeniam subactam in titulis fuisse usurpatum.

19. *Peculiare.*] Adeo ut ad Valentiniani usque tempora imperatoribus acclamari solitum sit: *Felicior Augusto, Trajano melior.* Eutrop.

20. *Quam commune.*] Quam communis est & illi, & nobis felicitas, quam prædicamus! *Felices nos*, quod hunc imperatorem habeamus. *Felicem illum*, quod tot tantisque ornatus sit virtutibus. Idque alternatim optamus: *Hæc faciat*, qualia huc usque fecit. *Hæc audiat*, qualia hucusque a nobis audiit; nempe laudes, quas pro concessa nobis ab humanissimo principe libertate, non daremus; nisi iis dignus esset.

21. *Sentitque.*] Forte inducenda est illa vox.

22. *Sibi, non principi.*] Suis virtutibus, non principis dignitati.

calore servavimus, hoc singuli quoque meditatique teneamus: sciamusque, nullum esse neque sincerius, neque acceptius genus gratiarum, quam quod illas acclamationes æmuletur, quæ fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet laborabo, ut orationem meam ad modestiam 5 principis moderationemque [b] submittam, nec minus considerabo [1] quid aures ejus pati possint, quam quid virtutibus debeatur. Magna & inusitata principis gloria, cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium putet. hæc me cura, hæc difficultas sola [2] circumstat. Nam merenti gratias agere, facile est, Patres Conscripti. 10 [3] non enim periculum est, ne cum loquar de humanitate, [4] exprobrari sibi superbiam credat; cum de frugalitate, luxuriam; cum de clementia, crudelitatem; cum de liberalitate, avaritiam; cum de benignitate, livorem; cum de continentia, libidinem; cum de labore, inertiam; cum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratusve 15 videar, prout satis, aut parum dixero. Animadverto enim etiam deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem; quam qui [5] meditatum carmen intulerit.

IV. Sed parendum est [1] senatusconsulto, quo ex utilitate publica pla-20 cuit, ut consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes quæ facerent recognoscerent; mali, quæ facere deberent. Id nunc eo magis solenne ac necessarium est, quod parens noster [2] privatas gratiarum actiones cohibet & comprimit: intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetare, quod senatus juberet. Utrumque, Cæsar Auguste, mo-25 derate, & quod alibi gratias agi non sinis: & quod hic sinis. [3] Non enim a te ipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur. Cedis affectibus nostris, [c] nec nobis munera tua prædicare, sed audire tibi necesse est. Sæpe ego mecum, P.C. tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cujus

INTERPRETATIO.

b *Deprimendo accommodem.*

c *Neque necesse habemus laudare tua beneficia, sed tu eorum prædicationem audire.*

NOTÆ.

1. *Quid aures ejus.*] Teretes & religiosæ, quæ quidquid assentatorium est, respuunt. Sic Horat. de Augusto Serm. l. 2. 1. *Cui male si palpere, recalcitrat.*

2. *Circumstat.*] Urget, premit.

3. *Non enim periculum est.*] Quam scite velut aliud agendo virtutes Trajani omnes enumerat.

4. *Exprobrari sibi.*] Ut mali principes qui, dum laudantur, sua sibi vitia tacite exprobrari, ac sua ulcera illo sale defricari, aut suspicantur, aut suspicari debent.

5. *Meditatum carmen.*] Παθητικῶς sumitur, ut in Terent. Phormione. *Meditata mihi sunt omnia incommoda.* Tullius off. 1. n. 4. *Leviora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur.* Ovid. Metam. 9. 105. *Verba meditata componere.*

1. *Senatusconsulto.*] Quandonam factum sit, nullibi, quod sciam, proditum est. Fortasse sub Augusto, qui multa nova in remp. induxit.

2. *Privatas.*] A privatis hominibus factas, rejecturus etiam, quæ a consule fieri solent reip. nomine, si &c.

3. *Non enim a te ipso.*] Non enim aucuparis, & quasi emendicas hunc honorem;

ditione nutuque maria, terræ, pax, bella regerentur: cum interea fingenti formantique mihi principem, quem [a] æquata diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videmus. [4] Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non & arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: postremo adhuc nemo extitit, cujus virtutes [b] nullo vitiorum confinio læderentur. At principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit! nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahitur. Jam firmitas, [5] jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris; ad hoc, ætatis [6] indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deûm [7] festinatis senectutis insignibus, ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonne longe lateque principem ostentant?

V. Talem esse oportuit, quem non [1] bella civilia, nec armis oppressa respublica, sed pax & adoptio, & tandem exorata terris numina dedissent. An fas erat nihil differre inter imperatorem, quem homines, & quem dii fecissent? Quorum quidem in te, Cæsar Auguste, judicium & favor, tunc statim [2] cum ad exercitum proficisceris, & quidem inusitato

INTERPRETATIO.

a *Dignitas par deorum immortalium potestati.* b *Nulla vitiorum affinitate corrumperentur.*

NOTÆ.

sed is pene tibi invito offertur.

4. *Enituit aliquis in bello.*] Sudant hic Plinii interpretes omnes, ut mysterium in his vocibus aliquod deprehendant: quas alii de Annibale, de Mario alii, alii de alio intelligendas volunt: quorum argutam perspicaciam etsi non vitupero, pace tamen illorum dixerim, merum hoc esse schema oratorium. Hunc locum, quemadmodum & multos alios, quos referre abstinebo, magnus Plinii imitator Claudianus, qui trecentos post annos vixit, transtulit in poema de Stiliconis laudibus l. 1. 28. *Quem vultus honestat, decorant mores: animus quem pulchrior ornat, corpus destituit... quæ sparguntur in omnes, in te mista fluunt, & quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes &c.*

5. *Jam proceritas corporis.*] De procera Trajani statura Martialis, Dio, Suidas, & alii.

6. *Indeflexa maturitas.*] Matura ætas, quæ tamen careat senectutis incommodis: flexa enim ætas dicitur, quæ vergere, & inclinari incipit.

7. *Festinatis senectutis insignibus.*] De calvitie id interpretatur Rayanus. At properata calvities, si Aristotelem audimus, vitio potius, quam laudi vertenda: quod fere sit intemperantiæ argumentum. De canitie potius, cum aliis interpretibus id intelligam. Nam Tacitus Imp. apud Vopiscum: *Trajanus*, inquit, *senex ad imperium venit.* Non senex, inquit Casaubonus in hunc locum, sed senili specie; erat enim canus. Qua in re etsi Casaubono assentior; risum tamen movit lepidus error Livineii qui, ut probet Trajanum natum annos 44. canum fuisse, Xiphilini locum affert, Trajanum ex canitie fuisse agnitum in expeditione contra Agarenos, quam suscepit sexagenario major. Unde nec mihi, nec sapienti cuivis sat recte videtur inferri posse, tum canum eum fuisse, cum annum tantum 44. attigisset.

1. *Bella civilia.*] Augustum puta, *qui cuncta bellis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.* Tacit. Annal. 1. cap. 14.

2. *Cum ad exercitum.*] A Domitiano in

indicio [3] enituit. Nam ceteros principes aut [4] largus cruor hostiarum, aut [5] sinister volatus avium consulentibus nunciavit: tibi ascendenti [6] de more Capitolium, quanquam non id agentium civium clamor, ut jam principi occurrit. Siquidem omnis turba quæ limen insederat, ad ingressum tuum
5 foribus reclusis, illa quidem ut tunc arbitrabatur deum, ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem. Nec aliter a cunctis omen acceptum est: nam ipse intelligere nolebas. [7] Recusabas enim imperare; recusabas, quod bene erat [8] imperaturi. Igitur cogendus fuisti. Cogi porro non poteras, nisi [9] periculo patriæ, mutatione reip. Obstinatum enim tibi non
10 suscipere imperium, nisi servandum fuisset. Quare ego illum ipsum furorem [10] motumque castrensem reor extitisse, quia magna vi magnoque terrore modestia tua vincenda erat. [11] Ac sicut maris cœlique temperiem turbines tempestatesque commendant; ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, ut
15 adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque

NOTÆ.

Germaniam inferiorem legatus consularis missus, ut notat *Lipsius*.

3. *Insuetato indicio.*] Livineii editionem sequor. In aliis enim abest *indicio*.

4. *Largus cruor hostiarum.*] Alludit, ut Casaubonus putat, ad id quod Suetonius ait de Augusto c. 95. *Ei immolanti duodecim se vultures ostenderunt, & omnium victimarum jecinora replicata paruerunt.* Quod omnibus visum est, certum futuræ illius magnitudinis omen.

5. *Sinister volatus.*] Felix. Qui enim nobis sinister, dexter est ratione deorum habita, proindeque & felix. Sic Virgilius Æn. 2. 693. *Intonuit lævum.* Quanquam sinister sæpe quoque sumitur pro infelici. Sic Virg. Ecl. 1. 16. *Si mens non læva fuisset.* Videri in eam rem potest Plutarchus de quæstionibus Romanis.

6. *De more.*] Ituri olim in provincias cum aliqua potestate veniebant in Capitolium, quo Jovi Opt. Max. vota nuncuparent. Ibi autem præter *Jovis Capitolini* statuam, colebatur etiam simulacrum *Jovis imperatoris*. Quod, ut ait Tullius Verr. 6. 114. a Tito Quinctio Flaminio, e Macedonia, vel, ut asserit Livius, a T. Quinctio Cincinnato Præneste allatum, inter sellam Jovis & Minervæ collocatum est. Ergo Trajano, juxta hunc morem, antequam legatus iret in Germaniam, Capitolium ingredienti, turba, quæ ibi frequens adstat, *salve imperator* exclamavit. Quæ salutatio ad Jovem imperatorem pertinebat quidem, sed tamen, quia tum Trajanus, ingrediebatur templum, res visa est belle in eum cadere, qui re ipsa non multo post factus est imperator. Quare Plinius id accipit tanquam omen ejus imperii.

7. *Recusabas enim.*] Vere, & ex animo. Absimilis iis principibus, qui ea nolle se simulant, quæ impensissime cupiunt, eo videlicet, ut in accipiendis honoribus, obsequi potius populorum studio, quam suæ ambitioni videantur.

8. *Imperaturi.*] Melius quam, ut aliqui legunt, *imperaturo*. Sensus est: cum recusares imperium, ostendebas, quam bene esses imperaturus. Nemo enim imperio dignior, quam qui illud refugit. Atque inde imperatoris cujusdam illa vox tam celebris: *invitos ad remp. admovendos esse.* Lipf.

9. *Periculo patriæ.*] Conclamatum enim, ut supra diximus, erat de republica, nisi Nervæ propter nimiam ætatem spreto successisset Trajanus.

10. *Motumque castrensem.*] Prætorianorum militum qui, contra quam prohibuerat Nerva, Domitiani interfectoribus occisis tumultus excitarunt.

11. *Ac sicut maris.*] Amœnior videtur serenitas post turbines ac procellas.

semina

ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumque cauſæ[a] ſub diverſa ſpecie latent.

VI. Magnum quidem illud ſeculo dedecus, magnum reipub. vulnus impreſſum eſt. [1] imperator, & [2] parens generis humani, [3] obſeſſus, captus, incluſus: ablata mitiſſimo [4] ſeni [5] ſervandorum hominum poteſtas; [6] ereptumque principi illud in principatu beatiſſimum, quod nihil cogitur. Si tamen hæc ſola erat ratio, quæ te publicæ ſalutis gubernaculis admoveret: prope eſt ut exclamem, [7] tanti fuiſſe. Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres: inductum [8] peſſimum exemplum, [9] ut optimum opponeretur: poſtremo coactus princeps, quos nolebat occidere, ut daret principem, qui cogi non poſſet. Olim tu quidem adoptari merebare: ſed neſciſſemus, quantum tibi deberet imperium, ſi ante [10] adoptatus eſſes. [11] Expectatum eſt tempus in quo liqueret, non tam accepiſſe te beneficium, [12] quam dediſſe. [13] Confugit in ſinum tuum concuſſa reſpublica, ruenſque imperium ſuper imperatorem, imperatoris tibi voce delatum eſt. [14] Imploratus adoptione, & accitus es: [15] ut olim duces magni,

INTERPRETATIO.

a *Sub contraria forma.*

NOTÆ.

1. *Imperator.*] Nerva.

2. *Parens generis humani.*] Huc pertinet illud Auſonii: *Proximus extincto moderatur ſceptra tyranno Nerva ſenex, princeps nomine, mente parens.*

3. *Obſeſſus.*] In Palatio, a Prætorianis, eorumque duce Æliano.

4. *Seni.*] Annum tunc agebat Nerva, Dione teſte, 66. juxta Eutropium vero 71.

5. *Servandorum hominum.*] Eorum, qui Domitianum interfecerant.

6. *Ereptumque principi &c.*] Id quod ad principis dignitatem pertinet potiſſimum, ut nulla in re cogatur; ut, quos velit, morti poſſit eripere. Notum eſt illud Scipionis, & poſt eum Antonini Pii: *Malle ſe unum civem ſervare, quam mille hoſtes occidere.*

7. *Tanti fuiſſe.*] Vel cladium tantarum pretio nobis redimendum erat, ut tu eſſes noſter imperator. Cui hoc legenti ſtatim non venit in mentem Lucani locus plane ſimilis, l. 1. 34. *Quod ſi non aliam venturo fata Neroni invenere viam.... Jam nihil e ſuperi querimur: ſcelera ipſa, nefaſque hac mercede placent.*

8. *Peſſimum exemplum.*] Violata Nervæ imp. auctoritas.

9. *Ut optimum opponeretur.*] Cum tu rebellibus occiſis, ſuam imperatoribus auctoritatem reſtituiſti.

10. *Adoptatus eſſes.*] Ante turbas illas.

11. *Expectatum eſt.*] Nerva ſecundo imperii anno Trajanum adoptavit, idque 6 Kal. Novembres: non, ut ait Onufrius 14. Kal. Octob. Obiit enim Nerva 6. Kal. Febr. poſtquam, Eutropio teſte, menſes tres cum adoptato vixiſſet. Sed de his ſupra in vita Trajani.

12. *Quam dediſſe.*] Quum ſuam ei auctoritatem reſtituiſti, & quod pene ipſi ablatum erat, imperium reddidiſti.

13. *Confugit in ſinum tuum.*] Hunc locum legenti ſuccurrit dictum illud Themiſtoclis: *Platanis ſe ſimilem eſſe, ſub quas populi confugiunt, quando ſæva tempeſtas eſt, cum vero ſerenitas eſt, eas additis convitiis convellunt.* Plutarch. in Apophthegm.

14. *Imploratus es.*]A Nerva, qui, ſi Dioni fides, ad Trajanum ſcripſit Homericum illud Iliad. α. 42. *τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν. Pendant pœnas Danai ob meas lacrymas tuis ſagittis*: quo nimirum ad illatam ſibi a prætorianis injuriam vindicandam filium adoptivum impelleret.

15. *Ut olim duces magni.*] Utrumne Sul-

a peregrinis externisque bellis, ad opem patriæ ferendam revocari solebant. Ita filius ac parens, uno eodemque momento, rem maximam invicem præstitistis: ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo ad hoc ævi, qui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, imo [16] ultro dantem obligasti: communicato enim imperio, sollicitior tu, ille securior factus est.

VII. O novum atque inauditum ad principatum iter! non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor, principem fecit. [1] Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus inter homines; felicius tamen erat illud, quod reliquisti: sub bono principe, [2] privatus esse desiisti. Assumptus es in laborum curarumque consortium, nec te læta & prospera [3] stationis istius, sed aspera & dura, ad capessendam eam compulerunt. Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat. Nulla adoptati cum eo qui adoptabat [4] cognatio, nulla necessitudo: nisi quod uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non ut prius [5] alius atque alius, in uxoris gratiam: adscivit enim te filium non [6] vitricus, sed princeps, eodemque animo divus Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium assumi, si assumatur a principe. An senatum populumque Rom. exercitus, provincias, socios transmissurus uni: successorem e sinu uxoris accipias? summæque potestatis hæredem, tantum intra domum tuam quæras? non per totam civitatem [7] circumferas oculos? & hunc tibi proximum, hunc conjunctissimum existimes, quem optimum, quem diis simillimum inveneris? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. Non enim servulis tuis dominum, ut possis esse contentus quasi [8] necessario hærede, sed principem civibus daturus imperator. Superbum istud & regium, nisi adoptes eum, quem constet impera-

NOTÆ.

la, quem respublica in Italiam? an potius Annibal, quem Carthago prope deleta ad sui tutelam revocavit? Livius l. 30. c. 9.

16. *Ultro.*] Torquent se hoc loco interpretes: alii *ultra*, alii *ultro* volunt legi. Ego steterim pro *ultro*. Sed tamen utrovis modo legatur, ad sensum, opinor, parum refert.

1. *Videaris licet &c.*] Supremam quidem omnium dignitatem, nempe imperium, consecutus es: melius tamen erat quod dimisisti, nempe otium, & securitas.

2. *Privatus esse desiisti.*] Hinc disce *privatos* dici, quicunque principes non sunt. Trajanus enim & senator erat, & consularis, & provinciæ Germanicæ præses, ut notat *Lips.*

3. *Stationis istius.*] Id est, status, & conditionis; quo sensu vox hæc apud ejus ævi scriptores frequens est. Sed & Tullius: *De statione vitæ discedere*, dixit pro *mori*.

4. *Cognatio.*] Nerva nulla ratione cognatorum, quos habebat plurimos, habita, Trajanum genere Hispanum, ob præstantem ejus virtutem adoptavit.

5. *Alius atque alius &c.*] Tiberius, & Nero: quorum ille instante Livia matre, ab Augusto: hic vero opera & arte Agrippinæ matris, a Claudio imperatore adoptatus est. *Sueton.*

6. *Vitricus.*] Ut Augustus Tiberium, & Claudius Neronem.

7. *Circumferas oculos.*] Simile est illud apud Vopiscum, ubi senator nescio quis, ad præclarum aliquid Tacitum Imperatorem cohortatus, *Circumspice*, inquit, *imitare Nervas, Trajanos, Hadrianos.*

8. *Necessario hærede.*] Quem lex & natura hæredem faciant; ut hæreditatem recusare non possit. Vide infra n. 37. not. 3.

turum fuiſſe, etiam ſi non adoptaſſes. Fecit hoc Nerva; nihil intereſſe arbitratus, genueris, an elegeris; ſi proinde ſine judicio adoptentur liberi, ac naſcuntur. niſi tamen quod æquiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit.

VIII. Sedulo ergo vitavit hunc caſum,[1] nec judicium hominum, ſed deorum etiam in conſilium aſſumpſit. Itaque non tua in cubiculo, ſed in [2] templo; nec ante [3] genialem torum, ſed [4] ante pulvinar Jovis optimi maximi adoptio peracta eſt: qua tandem non ſervitus noſtra, ſed libertas, & ſalus, & ſecuritas fundabatur. Sibi enim dii gloriam illam vindicaverunt: horum opus, horum illud imperium, Nerva tantum miniſter fuit. Uterque qui adoptaret tam paruit, quam tu qui adoptabaris. Allata erat ex [5] Pannonia laurea, id [a] agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriæ inſigne decoraret. Hanc imperator Nerva [6] in gremio Jovis collocarat: cum repente ſolito major & auguſtior, advocata hominum concione deorumque, te filium ſibi, hoc eſt unicum auxilium [b] feſſis rebus aſſumpſit. Inde quaſi depoſito imperio, qua ſecuritate, qua gloria lætus ([7] nam quantulum refert deponas, an partiaris imperium: [8] niſi quod difficilius hoc eſt?) [9] non ſecus ac præſenti tibi innixus: tuis humeris ſe patriamque ſuſtentans,[10] tua juventa, tuo robore invaluit: ſtatim conſedit omnis tu-

INTERPRETATIO.

a *Ita providentibus diis ut, &c.* b *Ruenti reipublicæ.*

NOTÆ.

1. *Nec judicium hominum &c.*] Supple *tantum.* Simile quid habet Eumenius pro reſtaur. ſchol. n. 19. Imperatores ſuorum *temporum ſtatum ita demum redintegrari putant, ſi non potentia, ſed etiam eloquentia Romana revireſcat.*

2. *In templo.*] Jovis Capitolini.

3. *Genialem torum.*] Qui nempe in nuptiis, & Genio, qui præſidet nuptiis, ſterni ſolet. *Tuque genialis tori Lucina cuſtos.* Seneca in Medea.

4. *Ante pulvinar.*] Pulvinaria dicebantur lectuli, quibus deorum ſimulacra imponebantur.

5. *Pannonia.*] Regio Europæ, inter Danubium, ad ſeptentrionem & ortum; Noricum, ad occaſum; & Illyricum, ad meridiem. Duplex fuit: ſuperior verſus occaſum, ubi nunc pars Auſtriæ, Stiriæ, Marchiæ Vindorum, Sclavoniæ, & Carniolæ; inferior ortum verſus, ubi nunc magna pars Hungariæ, & Sclavoniæ.

6. *In gremio Jovis*] Nota piam Romanorum conſuetudinem, qui cum inſignem aliquam victoriam reportaverant, lauream, id eſt, coronam e lauro contextam, in gremio Jovis ſui Capitolini deponebant. Stat. *Laurumque ſuperbam in gremio Jovis exciſis deponere Pœnis.* Plinius l. 15. cap. ultimo de lauro. *In gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.* Plura vide *apud Lipſ. excurſu ad Tacit. Annal 2. & Caſaub. ad Suet. Domit. c. 6.*

7. *Nam quantulum &c.*] Id eſt, minimi refert. Idem lib. 4. ep. 13. *Quantulum eſt collata pecunia conducere præceptores!* Curtius l. 7. *Quantulo contenti eſſe deberent?*

8. *Niſi quod difficilius hoc &c.*] Nempe conſortem imperii aſſumere: vel propter eligendi difficultatem, vel propter ſucceſſus periculum.

9. *Non ſecus ac præſenti*] Tum enim verſabatur apud Agrippinam. *Eutrop. Oroſius.*

10. *Tua juventa*] Attigerat quidem annum 42. ſed quicunque annum 46. non exceſſerant in deſcriptione cenſus a Servio

multus. Non adoptionis opus iſtud fuit, ſed adoptati: atque adeo temere [11] fecerat Nerva, ſi adoptaſſet alium. Oblitine ſumus, [12] ut nuper poſt adoptionem non deſierit ſeditio, ſed cœperit? Irritamentum iſtud irarum, & [13] fax tumultus fuiſſet, niſi incidiſſet in te. [14] An dubium eſt, ut dare poſ-
5 ſet imperium imperator, qui reverentiam amiſerat, auctoritate ejus effe-ctum eſſe cui dabatur? Simul filius, ſimul Cæſar, mox imperator, & conſors [15] tribunitiæ poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proxime [16] parens verus tantum in alterum filium contulit.

IX. Magnum hoc tuæ moderationis indicium, quod non ſolum ſuc-
10 ceſſor imperii, ſed particeps etiam ſociuſque placuiſti; nam ſucceſſor etiam ſi nobis, habendus eſt, non eſt habendus ſocius, niſi velis. Credentne poſteri, [1] patricio & conſulari & [2] triumphali patre genitum, cum fortiſſimum, ampliſſimum, amantiſſimum ſui exercitum regeret, imperatorem non [3] ab exercitu factum? eidem cum [4] Germaniæ præſideret, [5] Germanici
15 nomen hinc miſſum? nihil ipſum ut imperator fieret agitaſſe, nihil feciſſe, niſi quod meruit, & paruit? Paruiſti enim Cæſar, & ad principatum

NOTÆ.

Tullio rege facta, juniores appellabantur. *A. Gellius l. 10. 28. Varro.* Martialis vero l. 12. 8. Trajanum *Fortem juvenemque martiumque militem* vocat.

11. *Fecerat.*] Pro *feciſſet.* Quomodo Virgil. Æneid. 4. 603. *Anceps belli fuerat fortuna.* Livius 34. 29 8 *Difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius ſupervenisset.*

12. *Ut nuper poſt adoptionem.*] Piſonis, a Galba Imp. factam. Simul enim Otho, qui adoptandum ſe ſperaverat, ſpe ſua decidit; movit arma ut imperio per vim potiretur.

13. *Fax tumultus.*] Seditionum cauſa.

14. *An dubium eſt &c.*] Hunc locum alii alio modo legunt. Ego Livineii emendationem ſecutus ſum.

15. *Tribunitiæ poteſtatis.*] Quia enim ſumma erat tribunorum plebis auctoritas, Auguſtus ut ne haberet hujuſmodi æmulum, qui ſuis forte cœptis obſiſteret, hanc dignitatem omnium primus uſurpavit, & perpetuam ſibi fecit, atque ab eo ceteri deinceps imperatores.

16. *Parens verus.*] Veſpaſianus Titi non adoptione, ſed verus parens. *In alterum filium,* id eſt, Titum quem triumphi ſocium, cenſorem, tribunitiæ poteſtatis conſortem, collegam in conſulatu fecit, nulla prorſus ratione habita Domitiani alterius filii. *Plin. in præf. hiſt. natur.*

1. *Patricio & conſulari.*] Vix crederem, niſi hoc ipſum iterum Plinius infra, & Victor disertis verbis affirmarent. Nam ſi Eutropio fides: *Trajanus ex antiqua magis familia, quam clara natus.* Et in faſtis ejus temporis de Trajano patre nulla mentio eſt.

2. *Triumphali.*] Utrum poſt expeditionem Judaicam, ubi, ſi Joſepho fides eſt, decimæ legioni præfectus urbem Japham & Jotapatam expugnavit? An apud Parthos, ſub Nerone, duce Corbulone, cujus expeditionis ſocium filium duxerat. De quo Plinius infra n. 14. *Cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres.*

3. *Non ab exercitu.*] Qui facile in primo victoriæ impetu inducebatur, ut quos habebat duces, imperatores conſalutaret, quemadmodum Galbæ, Othoni, Vitellio, & Veſpaſiano contigit.

4. *Germaniæ.*] Germania Provincia Europæ maxima, à Gallia, Rheno fluvio; Danubio, a Rhætia, Vindelicia, & Norico; a Sarmatia, Viſtula ſeparatur; Oceano Germanico, & mari Baltico, ad Arctos definita.

5. *Germanici nomen hinc miſſum.*] Eodem anno, ut ex numis videre eſt. Quod teſtatur Juvenalis Sat. 6. 205. ubi de Trajano: *Dacicus & ſcripto radiat Germanicus auro.* Hic autem *nomen* ſumitur pro cognomine,

obſequio perveniſti : nihilque magis ad te [a] ſubjecti animo factum eſt, quam quod imperare cœpiſti. Jam Cæſar, jam imperator, jam Germanicus, abſens & ignarus, & poſt tanta nomina, quantum ad te pertinet, privatus. [6] Magnum videretur ſi dicerem, neſciſti te imperatorem futurum : eras imperator, & eſſe te neſciebas. Ut vero ad te fortunæ tuæ nuncius venit, 5 malebas quidem [7] hoc eſſe quod fueras, ſed non erat liberum. An non obſequereris principi civis, [8] legatus imperatori, filius patri? Ubi deinde diſciplina, ubi mos a majoribus traditus, quodcunque imperator munus injungeret, æquo animo paratoque ſubeundi? Quid enim [9] ſi provincias ex provinciis, ex bellis bella mandaret? eodem illum uti jure poſſe putes, cum 10 ad imperium revocet, [b] quo ſit uſus cum ad exercitum miſerit : nihilque intereſſe, ire legatum, an redire principem jubeat, niſi quod major ſit obſequii gloria in eo, quod quis minus velit.

X. Augebat auctoritatem jubentis in ſummum diſcrimen auctoritas ejus adducta : utque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, 15 quod [1] ab aliis minus parebatur. Ad hoc audiebas [2] ſenatus populique conſenſum. non unius Nervæ judicium illud, illa electio fuit : nam qui ubique ſunt homines, hoc idem votis expetebant; ille tantum jure principis occupavit, primuſque fecit, quod omnes facturi erant. Nec [3] hercule tantopere cunctis factum placeret, niſi placuiſſet ante quam fieret. At quo, dii boni, 20 temperamento poteſtatem tuam fortunamque moderatus es? [4] imperator tu titulis, & imaginibus, & ſignis : ceterum modeſtia, labore, vigilantia, dux, & legatus, & miles, cum jam tua vexilla, [5] tuas aquilas magno gradu

INTERPRETATIO.

a *Subditi.* b *Quo uſus eſt cum te legatum ad exercitum miſit.*

NOTÆ.

ut ſæpe pro prænomine, atque agnomine.

6. *Magnum videretur &c.*] Magnum quidpiam videri deberet, ſi dicerem te, cum vir tantus eſſes, adeo tamen modeſte de te ſenſiſſe, ut non cogitaris, futurum unquam, ut adſciſcereris ad imperium : verumtamen majus quidpiam dico : vel cum eras imperator, ne tum quidem videbaris id ſcire.

7. *Hoc eſſe quod fueras.*] Privatus.

8. *Legatus.*] Apud Romanos in re bellica *legatus dicebatur*, qui ſub imperatore, aut quovis duce exercitus, copiis præerat; ita ut penes eum, ſi imperator, aut dux abeſſet, ſumma eſſet auctoritas. Alii conſulares legati, qui ſub conſule toti exercitui præerant, alii prætorii, qui ſub prætore ſingulis legionibus. *Lipſ. de milit. Rom. l. 2. Dial, 11.*

9. *Si provincias ex provinciis &c.*] Si poſt unam adminiſtratam provinciam, alterius adminiſtrationem tibi committeret, & uno bello confecto, alteri te præficeret, an non obtemperares?

1. *Ab aliis.*] Prætoriani enim, & eorum exemplo complures alii adverſus Nervam rebellarant.

2. *Senatus populique conſenſum.*] Senatum, populumque hanc tuam adoptionem communibus votis poſtulantem.

3. *Hercule.*] Vel *Hercle*, quaſi *per Herculem.* Terent. Eunucho. *Hercle hoc factum eſt.* Et ubi non ejus rei exempla?

4. *Imperator tu titulis.*] Tu quidem titulis, imaginibus, & ſignis imperator eras, ſed idem modeſtia, & vigilantia dux, legatus, & miles.

5. *Tuas aquilas.*] Aquilas Romanarum

anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium adsereres, longamque [c] huic nomini ætatem, longam gloriam precarere. Jam te providentia deorum [7] primum in locum provexerat, tu adhuc in secundo resistere atque etiam senescere optabas: privatus tibi videbaris, [a] quandiu imperator & alius esset. [8] Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi & sanctissimo seni utile fuit, quem dii cœlo [b] vindicaverunt, ne quid post illud divinum immortale factum mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc quoque venerationem, ut novissimum esset, auctoremque ejus statim consecrandum, ut [c] quandoque inter posteros quæreretur, an illud jam deus fecisset. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quam quia tuus, ingens gloria, ingensque fama, cum abunde expertus esset, quam bene [d] humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit, eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat ne desideraretur.

XI. Quem tu lacrymis primum, ita ut filium decuit, [1] mox templis honestasti, non imitatus illos qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. [2] Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed [3] ut majestatis crimen induceret: Claudium Nero, [4] sed ut irrideret: [5] Vespasianum

INTERPRETATIO.

a *Quandiu imperii socium haberes.*
b *Induxerunt.*
c *Aliquando.*
d *In te incumberet.*

NOTÆ.

legionum signum fuisse notum est. Id vero sub C. Marii secundo consulatu primum contigisse refert Plinius l. 10. c. 4. Itaque Aquilæ imago aurea, vel argentea, præferebatur longiori hastæ imposita, atque ut plurimum in sacello inclusa; ut ex numis apparet. De his infra n. 14. not. 12.

6. *Huic nomini.*] Filii nomen optabas, ut tibi diuturnum esset, id est, ut tarde succederes patri, sed dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicæ, quam susceperas, admovere. *Plin. l.* 10. *ep.* 1.

7. *Primum in locum.*] Ad imperium.

8. *Audita sunt vota tua.*] Aliqua saltem ex parte, nam tres menses una cum Nerva imperasti.

1. *Mox templis &c.*] Pro more: simul enim obierant imperatores Romani, consecrabantur, habebantur in deorum numero, templa iis ac sacerdotum collegia statuebantur.

2. *Dicavit cœlo Tiberius.*] Augusto adhuc vivo, divini honores habebantur: sed tamen post ejus obitum, id majori cum pompa factum est; in primis postquam vir prætorius effigiem cremati Augusti euntis in cœlum sibi visam esse cum jurejurando asseverasset; quod quidam Senator acceptis eam ob rem cc. sestertiis confirmavit. *Dio.*

3. *Majestatis crimen.*] Id est, ut imperatoribus numen conciliando, eos qui in se delinquerent, tanquam læsæ majestatis atque ἀσεβείας posset accusare. Alii legunt *majestatis numen.* Sensus erit, ut majorem imperatorio nomini venerationem conciliaret.

4. *Sed ut irrideret.*] Vel deos, quorum in numerum tam fatuum imperatorem contra omnium expectationem adscribebat: quem sensum confirmant quæ mox consequuntur verba. *Non in contumeliam numinum*: vel Neronem ipsum, quem *morari inter homines desiisse*, producta prima syllaba jocabatur, hoc est, morionem agere. *Eutrop.*

5. *Vespasianum.*] Is factus a militibus

[6] Titus, [7] Domitianus Titum, ſed ille ut dei filius, hic ut frater videretur.[a] Tu ſideribus patrem intuliſti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, ſed quia deum credis. Minus[8] eſt hoc, cum fit ab iis, qui & ſeſe deos putant. Sed licet illum aris, [9] pulvinaribus, [10] flamine colas, non alio magis tamen deum 5
& facis & probas, quam quod ipſe talis es. In principe enim, qui electo ſucceſſore fato conceſſit, una itemque certiſſima divinitatis fides eſt, bonus ſucceſſor. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiæ acceſſit? num hos proximos, divinitate parentum deſides ac ſuperbos, potius, [11] quam illos veteres & antiquos æmularis? qui hoc ipſum imperium 10
peperere, [12] quod modo hoſtes invaſerant contempſerantque: cujus pulſi fugatique, non aliud majus habebatur indicium, quam ſi triumpharetur. Ergo [13] ſuſtulerant animos & jugum excuſſerant, nec jam nobiſcum de ſua libertate, ſed de noſtra ſervitute certabant, ac nec [14] inducias quidem, niſi æquis conditionibus inibant, legeſque ut acciperent dabant. 15

INTERPRETATIO.

a *Tu parentem in deorum numerum adſcripſiſti.*

NOTÆ.

apud Palæſtinam Imperator, Vitellio ſucceſſit; cum Tito filio expugnata Hieroſolymitana urbe triumphavit; cunctis amabilis. Obiit anno ætatis 69. imperii 10. minus diebus 6. relicto imperii hærede Tito, filiorum natu ma ore. Si Dioni fides eſt, cum in eo eſſet ut extremum ſpiritum efflaret, *Jam Deus*, inquit, *fio*.

6. *Titus.*] Hic amor, & deliciæ generis humani dicebatur. Erat omnium virtutum genere mirabilis. Magno omnium luctu obiit an. ætatis 41. imperii 2. menſe 2. die 20. relatuſque eſt inter deos a Domitiano. *Dio. Eutrop* Quomodo autem hæc conſecratio fieret, *Herodianus* docet *l* 9.

7. *Domitianus.*] Veſpaſiani & Domitillæ libertæ filius, Tito ſucceſſit, non ſine ſuſpicione fratris ab ipſo interfecti. Moderatus utcunque initio fuit: tum Neroni, Caligulæ, aut Tiberio, quam patri aut fratri ſimilior. Interſectus eſt ſuorum conjuratione an. ætatis 45. imperii 15. *Eutrop.*

8 *Minus eſt hoc &c.*] Minus honorificum eſt, referri inter Deos, cum illud fit ab eo, qui ita impudenter inſoleſcit, ut dei nomen ſibi per fas & nefas arroget; quemadmodum Domitianus, a quo Titus conſecratus eſt. Longe honorificentius Nervæ fuit, quod a Trajano modeſto principe divinis eſt honoribus conſecratus.

9. *Pulvinaribus.*] Supra n. 8. not. 4.

10. *Flamine.*] Sacerdote. Sic enim dicti ſunt ſacerdotes quod æſtivo tempore, ne nudo capite eſſent, filo comam præcingerent. Cognomen habebant flamines, ab eo numine cui ſacra faciebant. Sic qui conſecrati Quirino, dicebantur *Quirinales*: qui Jovi, *Diales*: qui Marti, *Martiales*: qui Auguſto, *Auguſtales*, *&c.*

11. *Quam veteres illos.*] Camillos, Decios, Fabricios, Papyrios, Fabios, Scipiones, Marcellos &c.

12. *Quod modo hoſtes &c.*] Lege cum Livineio juxta veterem codicem. *Quod modo hoſtis invaſerat, contempſeratque, cujus pulſi fugatique, &c.* Victoriæ non aliud ſignum fuit, quam triumphus arrogans Domitiani: neque enim ſpolia aut captivi videbantur. Tacit. in Germ. cap. 37. *Proximis temporibus*, (Domitiani,) *triumphati magis quam victi ſunt.* Et Dio falſe de vano illo Domitiani triumpho, ait eum pro defunctis in Dacia militibus ſuis triumphum egiſſe.

13. *Suſtulerant animos.*] Daci, Sarmatæ, Catthi, ſub Domitiano.

14. *Inducias.*] Varro *Pacem caſtrenſem paucorum dierum & belli ferias*, Gellius *ceſſationem belli pactitiam* vocat.

XII. At nunc rediit omnibus terror & metus, & [a] votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem, unum ex illis veteribus & priscis; quibus [1] imperatorium nomen [b] addebant contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obsides ergo, [2] non emimus, nec [3] ingenti-
5 bus damnis immensisque muneribus paciscimur, ut [c] vicerimus. [4] Rogant, supplicant; [5] largimur, negamus, utrumque ex imperii majestate: agunt gratias qui impetraverunt, [6] non audent queri, quibus negatum est. An audeant? qui sciant te [7] adsedisse ferocissimis populis, eo ipso tempore, quod [8] amicissimum illis, difficillimum nobis: cum [9] Danubius [d] ripas gelu
10 jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat: cum feræ gentes, non telis magis, quam suo cœlo, suo [10] sidere armantur. Sed ubi in proximo tu, non secus ac si mutatæ temporum vices essent, [e] illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas & [11] aliena occasione, si permitteres, uti, ultroque hyemem suam barbaris inferre gau-
15 debant.

INTERPRETATIO.

a *Voluntas exequendi jussa* nostra.

b *Conciliabant repleti cadaveribus campi, & tincta cæsorum sanguine maria.*

c *Ut vicisse videamur.*

d *Ripas* habet perpetua *glacie conjunctas, & gelu concretus, sic tanquam ponte traducit numerosos exercitus.*

e *Germani quidem in* sylvarum *suarum recessus se abdebant.*

NOTÆ.

1. *Imperatorium nomen.*] Duces exercituum re bene gesta, gaudio & impetu victoris exercitus imperatores conclamabantur: quam appellationem senatus confirmabat, si modo justa victoria certum hostium numerum interfecissent. Sed alio postea sensu imperatores dicti sunt, penes quos summa rerum omnium esset potestas, ut notat *Appianus in proœm. histor.*

2. *Non emimus.*] Ut Domitianus, qui, teste Tacito in Agricolæ vita: *emptis per commercia, quorum habitus, & crines in captivorum speciem formarentur*, de Dacis, a quibus victus fuerat, falsum & ridendum omnibus triumphum egit.

3. *Ingentibus damnis.*] Pecuniariis, ut videremur vicisse. De hac summa quam Domitianus in singulos annos se daturum Decebalo promisit, ut pacem emeret, fuse *Dio in Domitiano.*

4. *Rogant.*] Fortasse ad hunc locum respexerit Claudianus in lib. 3. De laudibus Stiliconis 210. *Illi terribiles, quibus otia vendere semper mos erat &c.*

5. *Largimur, negamus.*] Ad arbitrium tuum quod recuperatæ per Trajanum auctoritatis nostræ non parvum indicium.

6. *Non audent queri.*] Adeo fortitudinem tuam aut extimescunt, aut venerantur, *ut qui putant rem sibi fore non cum Domitiano, sed cum principe justitia, robore, & militia claro.* Dio.

7. *Adsedisse.*] Te castris ad Danubium positis ferocissimos populos compressisse.

8. *Amicissimum illis.*] Ad res gerendas opportunissimum: utpote cœli sui asperitate assuetis.

9. *Danubius.*] Propter Alpes oritur: Germaniam, Illyricum, & Daciam transgressus, acceptis sexaginta fluminibus, in Pontum Euxinum sex ostiis evolvitur: ubi primum Illyricum attigit, *Ister* dicitur. Hic autem fluvius ita per hyemem gelascit, Herodiano teste *l. 6. ut camporum in morem perequitetur, nec ex eo aqua nisi cum dolabris & securibus hauriri possit.*

10. *Sidere.*] Climate, aut anni tempestate, quomodo Taciti Annal. l. 7. 70. *sidere æquinoctii, quo maxime tumescit oceanus*, &c.

11. *Aliena occasione.*] Gestiebant nostri milites uti opportunitate temporis qua hostes tam sæpe usi essent, atque hyeme pu-

Hæc

XIII. Hæc tibi apud hostes veneratio, quid apud milites? quam admirationem, quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum ferrent sitim; cum in illa [1] meditatione campestri, militaribus [2] turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres, nihil a ceteris nisi robore ac præstantia differens, cum [3] libero Marte nunc cominus tela [4] librares, nunc vibrata [a] susciperes, alacer virtute militum & lætus, quoties aut cassidi tuæ aut clypeo gravior ictus incideret; laudabas ipse ferientes, hortabarisque ut auderent & audebant jam; cum spectator moderatorque incuntium certamina virorum, [5] arma componeres, tela tentares, ac si quod [b] durius accipienti videretur, ipse vibrares. Quid cum solatium fessis, [6] ægris opem ferres? [c] Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante [7] lustrasses, nec requiem corpori, nisi post omnes, dare. Hac mihi admiratione dignus imperator non videretur, si inter [8] Fabricios, & [9] Scipiones,

INTERPRETATIO.

a Scuto *exciperes*. b *Gravius*. c *Non solebas*.

NOTÆ.

gnare solitis hyemale bellum inferre.

1. *Meditatione campestri.*] *Exercitationem campestrem* vocat. Suetonius, cum milites maxime in hybernis & stativis, ut fit hodieque, tanquam in umbra veram ad pugnam proluderent. De quo exercitio videri potest Lipsius *de militia Romana libro quinto dialogo decimo quarto*.

2. *Turmis.*] Id est militibus. Quanquam centuria & manipulus peditum, turma proprie equitum erat. Constabat vero equitibus omnino 32. juxta Varronem & Isidorum: 31. juxta Vegetium: 113. juxta Ælianum. Huic qui præerat, Decurio nominabatur. *Veget.*

3. *Libero Marte.*] Omnibus aperto ad exercitationem campo.

4. *Librares.*] Aut, ut suspicatur Livineius, *vibrares*; id est, totis viribus contorqueres.

5. *Arma componeres.*] Id est, aptares unicuique, & explorares utrum paria essent resistendo: quod imperatoris boni officium esse docet *Vegetius*.

6. *Ægris opem.*] In Dacico quidem bello cum propter cæsorum, & vulneratorum numerum fasciæ ad obliganda vulnera deficerent, Trajanus ne suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in fomenta, & ligamenta discidit *Dio. Suidas*. Sed quia bellum Dacicum anno post habitam hanc orationem altero contigit: alio pertinent hæc verba.

7. *Lustrasses.*] Haud absimile est, quod habet Auson. de Gratiano. *Vidi te circumire tentoria; satin' salva? quærere, tractare vulnera sauciorum.*

8. *Fabricios.*] Multitudinis numero utitur qui significantior est. Fabricius adversus Pyrrhum Epirotarum regem, & Samnites missus anno V. C. 476. Medicum regis, de ejus nece pacisci volentem, vinctum Pyrrho remisit, his verbis: *Romam aurum non habere, sed habentibus aurum imperare.* Aurel. Victor.

9. *Scipiones.*] Plures hujus nominis fuere. Omnium clarissimi, P. Cornel. Scipio Africanus major, & P. Cornel. Scipio Æmilianus Africanus minor, Pauli Æmilii filius a P. Cornel. Scipione Africani majoris filio adoptatus. *Duo fulmina belli*, a Lucretio & Virgilio appellantur; quanquam non desunt, qui id de fratribus Publio, & Cn. Scipionibus interpretentur. Africanus major, cum adhuc prætextam gereret, patrem suum ad Trebiam ab Annibale circumventum, extremo discrimine liberavit. Idem anno ætatis 24. proconsul in Hispaniam ad necem patris & patrui ibidem cæsorum ulciscendam missus Carthaginem cepit; Asdrubalem & Magonem variis prælius vicit, & pulsis ex Hispania tota Carthaginiensibus

&[10] Camillos talis esset. Tunc enim illum [e] imitationis ardor semperque melior aliquis accenderet. [f] Postquam vero studium armorum a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore translatum est; postquam exercitationibus nostris non [11] veteranorum aliquis, cui [12] decus muralis aut [13] civica, sed
5 [14] Græculus magister assistit; quam magnum est unum ex omnibus [15] patrio more, patria virtute lætari, & sine æmulo ac sine exemplo secum certare, secum contendere, ac sicut imperat solus, solum ita esse qui debeat imperare?

XIV. Nonne incunabula hæc tibi, Cæsar, & rudimenta cum [1] puer
10 admodum [2] Parthica lauro gloriam patris augeres, nomenque [3] Germanici jam tum mererere? cum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo

INTERPRETATIO.

e *Imitandi* alterius *studium.*
f *Postquam a gerendo, ad spectandum; a laboribus, ad oblectamenta exercitium armorum translatum est.*

NOTÆ.

consul factus est an. V. C. 549. Mox trajecto in Africam exercitu, iterum Asdrubale & Syphace victis, postquam Annibalem regredi ex Italia coactum profligasset, Carthaginem victor ingressus est. Attamen vir tantus de accepta ab Antiocho ob dandam pacem pecunia accusatus, in Liternum sponte concessit an. V. C. 567. ubi obiit. *Africanus minor* consul an. V. C. 607. ante ætatem renunciatus, bellum Punicum tertium gessit: Carthaginem anno sequenti captam, re in senatu agitata, & pervincente Catonis sententia, diruit: de eaque eodem anno triumphavit. Iterum consul capta & deleta 15. obsidionis die Numantia, triumphavit: ac tribus post annis mortuus in lecto repertus est. *Appianus.*

10. *Camillos.*] Marcus Furius Camillus Veios expugnavit an. V. C. 358. Gallis ex urbe Roma, quam occupaverant, pulsis, patriam liberavit octavo post anno. Obiit an. V. C. 389. vir bellica laude clarissimus. Plura de illo vide *Pan.* 2. *n.* 14. *not.* 7.

11. *Veteranorum aliquis.*] Unus aliquis in arte bellica exercitatissimus, quales esse solent qui hujusmodi exercitationibus præerant. Veterani autem dicebantur qui viginti annos militaverant.

12. *Decus muralis.*] Supple coronæ: *quæ donabatur ei qui primus murum conscendisset.* A Gellius. Erat ex viridi gramine.

13. *Civica.*] Supple corona: *qua donabatur qui cives servaverat.* Addit A. Gellius, si modo hostem occiderat. Erat ex quercu, aut ilice.

14. *Græculus.*] Per contemptum, potius quam Græcus, ut Juvenalis Satyra 3. 78. *Græculus esuriens in cælum jusseris, ibit.* Romani scriptores passim Græcorum mollitiem, & levitatem notant.

15. *Patrio more.*] Id est, Romano. Nam etsi Trajanus natione Hispanus erat, imperator tamen & civis Romanus cum esset, ceteros imperatores Romanos debebat tanquam majores suos agnoscere.

1. *Puer admodum.*] De Trajani pueritia nihil, quod quidem meminerim, ab Historicis proditum est, nisi quod Suidas cum moderate juventutem traduxisse dicit. Ex hoc tamen Plinii loco suspicari libet patris comitem eum fuisse in expeditione Parthica, quæ sub Nerone suscepta est. Hæc supra in Trajani vita.

2. *Parthica lauro.*] Victoria apud Parthos relata. Parthi populi confines Mediæ, Hyrcaniæ, Carmaniæ. Vide Ptolemæum l. 5. c. 5. Hi quidem Trajani temporibus imperio tenebant quidquid ultra Euphratem Persæ tenuerant.

3. *Germanici*] Magnum & illustre cognomen, quod ambiebant omnes ferme imperatores, propterea quod Romani vix ullos hostes habuerant Germanis acriores ac

[4] auditus magno terrore cohiberes, [5] Rhenumque & Euphratem admirationis tuæ fama conjungeres? cum orbem terrarum, [6] non pedibus magis, quam laudibus peragrares, apud eos semper major & clarior, [a] quibus postea contigisses? & necdum imperator, [7] necdum dei filius eras. [8] Germaniamque, cum plurimæ gentes, ac prope [b] infinita vastitas interjacentis soli, tum [9] Pyreneus, [10] Alpes, immensique [11] alii montes nisi his compararentur, muniunt dirimuntque. Per hoc omne spatium cum [12] legiones duceres, seu potius (tanta velocitas erat) raperes: non vehiculum unquam, non equum 5

Interpretatio.

a *Quibus posterius visus esses.* b *Immensa magnitudo terræ inter utramque interjecta.*

Notæ.

difficiliores. Trajano autem an. ætatis 42. adhuc in Germania bellum feliciter gerenti missum est hoc nomen ab imperatore Nerva, a quo paulo ante fuerat adoptatus.

4. *Ex proximo auditus.*] Id est, adventus tui fama. Huc autem pertinere videtur illud Martialis l. 12. ep. 8. de Trajano. *Parthorum proceres, ducesque Serum, Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, possum ostendere Cæsarem, venite.*

5. *Rhenumque & Euphratem.*] Id est, orientem & occidentem. *Rhenus* oritur ex Alpibus, in parte occidentali Rhætiæ. Ex duplici fonte, per lacum Constantiensem transiens, Constantiam, Basileam, Novoburgum, Brisiacum, Argentoratum, Moguntiam alluit, ubi Mœnum recipit; tandem prope Schenkiam arcem in duo brachia scinditur: quorum alterum Vahalis, alterum Rheni servat nomen, ubi Lugdunum Batavorum alluit, & in mare influit. De *Euphrate* dicetur Pan. 2. n. 2.

6. *Non pedibus magis.*] Respexerit ad illud Tullii pro Marcello n. 5. *Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt.*

7. *Necdum dei filius.*] Nerva enim nondum adscriptus erat inter deos, quod Trajani primo imperii anno factum. *Dio.*

8. *Germaniamque.*] Deesse hic aliquid nemo non videt. Quid autem illud sit, huc usque nullus divinare potuit. Crediderim excidisse *Hispaniam*, quam vocem prope abfuit, ut in contextum reciperem; est enim conjectura meo quidem judicio sat probabilis. Sensus erit: Hispaniam, & Germaniam cum dirimunt plurimæ gentes, atque imprimis Galliæ, Pyreneusque: tum muniunt Alpes, & infiniti alii montes, qui immensi viderentur, nisi cum Alpibus, & Pyreneis compararentur. Quare hic agit de Hispania, unde a Domitiano, ut mox dicetur, accitus, ad bellum Germanicum sic properavit, ut neque Pyrenei, neque Alpes ejus celeritatem retardarint.

9. *Pyreneus.*] Montium series Galliam ab Hispania dividens. Hujus quoque nominis mons est Italiam inter & Germaniam. Seneca consol. ad Helvidiam n. 6. *Pyreneus Germanorum transitum non inhibuit.* Idipsum disertis verbis aiunt Appianus de bello Hispan. Dionysius, Cluverius in Germania antiqua, Ortelius &c.

10. *Alpes.*] Series altera montium, qui Italiam a Germania sic separant, ut, pro varia locorum diversitate, varia sortiantur nomina. Aliæ enim maritimæ, aliæ Cottiæ, Grajæ, Rhæticæ, Noricæ, Juliæ dicuntur.

11. *Alii montes.*] Ut Sarmatici, & Carpathii. Alios vide apud Cluverium.

12. *Legiones.*] Legio dicebatur, quod constaret ex lectis militibus. Varius autem & incertus militum ex quibus constabat numerus fuit. Vegetius legionem in decem cohortes, cohortem in quinquaginta manipulos, singulos 25. militum, dividit. Aquilam præferebat primæ cohortis miles, isque Aquiliferdicebatur. *Vegetius*, Dio l. 40.

respexisti, [c] levis hic, non subsidium itineris, sed decus, & cum ceteris subsequebatur: ut cujus nullus tibi usus, nisi cum [13] die stativorum [d] proximum campum alacritate, discursu, pulvere attolleres. Initium laboris mirer, an finem? multum est quod perseverasti, plus tamen quod non timuisti, ne perseverare non posses. Nec dubito quin [14] ille, qui te inter illa Germaniæ bella ab Hispania usque, ut validissimum præsidium exciverat, iners ipse alienisque virtutibus tunc quoque invidus imperator, cum ope earum indigeret, tantam admirationem tui non sine quodam [15] timore conceperit, quantam ille [16] genitus Jove, post labores duraque imperia, [17] regi suo indomitus semper indefessusque referebat: cum aliis super alias expeditionibus [18] munere alio dignus invenireris.

XV. [1] Tribunus vero, [2] disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti: jam tunc [3] præmonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. Neque enim prospexisse castra; brevemque militiam quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. Cognovisti [4] per decem stipendia mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, & diversam aquarum cœlique temperiem, ut patrios fontes patriumque sidus ferre consuevisti. [5] Quoties equos, quoties [6] emerita arma mutasti? Veniet ergo tempus quo posteri visere, visendumque tradere minoribus suis gestient, [d] quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnium saxa prætexerint, quod denique tectum

Interpretatio.

c *Subsequebatur equus agilis cum ceteris, non tam ad usum tuum, quam ad pompam.*

d *Alacriter discurrendo proximam planitiem pulvere oppleres.*

e *Quæ planities tuo sudore maduerit, qua sub arbore ceperis cibos, in quibus saxis ad dormiendum recubueris.*

Notæ.

13 *Die stativorum.*] Id est, quo die positis, ac munitis castris aliquid moræ faciebat exercitus.

14 *Ille.*] Domitianus, qui adversus L. Antonium, superioris Germaniæ præsidem, ex Hispania Trajanum evocavit.

15. *Timore.*] Ne, quo dignus eras, imperium, tanquam virtutum tuarum merces ad te transferretur.

16. *Genitus Jove.*] Hercules Jovis filius ex Alcmena. Fabula notissima.

17. *Regi suo.*] Eurystheo, qui cum Domitianum imp. Trajani virtutum æmulum scite admodum confert.

18. *Munere alio*] Id est, novo honore,

1. *Tribunus.*] Militaris. Ex tribunis alii equitum; alii peditum erant. Hi post 5. stipendia, illi post 10. tantum. *Polyb.* & *Veget.* Hanc autem dignitatem postremis temporibus adolescentibus tribui solitam referunt historiæ Romanæ scriptores, donec Hadrianus instituit, *neminem tribunum nisi plena barba fieri.* Spartianus.

2. *Disjunctissimas terras.*] Utrum Hispaniam, Parthiam, & Germaniam?

3. *Præmonente fortuna*] Alii *præmoliente.* Ita *Lipsius.* Sed quid opus emendatione, sine qua sensus est integer?

4. *Per decem stipendia.*] Per 10. annorum militiam. De stipendiis militum Romanorum multa refert Budæus.

5. *Quoties equos &c.*] Aliis post alios suffossis.

6. *Emerita arma.*] Usu detrita, & multis jam bellis defuncta. Metaphora ducta a militibus qui impleto militiæ tempore di-

magnus hoſpes impleveris : ut tunc ipſi tibi ingentium ducum ſacra veſtigia, iiſdem in locis, monſtrabantur. Verum hæc olim : in præſentia quidem, quiſquis paulo vetuſtior miles, hic [7] te commilitone cenſetur : quotus enim quiſque, cujus tu non ante commilito, quam imperator ? Inde eſt, quod [8] prope omnes nomine appellas ; quod ſingulorum fortia facta commemoras : nec habent annumeranda tibi pro rep. vulnera, quibus ſtatim laudator & teſtis contigiſti. 5

XVI. Sed tanto magis prædicanda moderatio tua, quod [1] innutritus bellicis laudibus pacem amas: nec quia vel [2] pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi [3] laurus, idcirco ex occaſione omni quæris triumphos. Non times bella, nec provocas. Magnum eſt, Imperator Auguſte, magnum eſt ſtare in [4] Danubii ripa, ſi tranſeas, certum triumphi, nec decertare cupere cum recuſantibus : quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam ut ipſe nolis pugnare, moderatio ; fortitudo tua præſtat, ut neque hoſtes tui velint. Accipiet ergo aliquando [5] Capitolium, non [6] inanes currus, nec [7] falſæ ſimulacra victoriæ, ſed imperatore veram ac ſolidam gloriam reportante, pacem, tranquillitatem, & [a] tam confeſſa hoſtium obſequia, ut vincendus nemo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis, neque enim unquam, [b] niſi ex contemptu imperii 10 15

INTERPRETATIO.

a *Tam ſpontaneam deditionem, ut nemo ex iis deinceps prælio ſubigendus ſit.*

b *Niſi quia ſpernebant noſtrum imperium.*

NOTÆ.

cuntur *emeriti.*

7. *Te commilitone.*] Nulla certior nota ut dignoſcatur, an quis ſit vetus miles, quam ſi te commilitonem ſemper habuerit.

8. *Prope omnes nomine &c.*] Pulchrius illud quod de Cyro Plinius, Quintilianus, & alii latini ſcriptores referunt, illum tenuiſſe omnium omnino militum ſuorum nomina ; ſed haud ſcio an verius. Nam, ut recte annotant Lipſius, & Muretus, Xenophon, a quo illi vel uno, vel præcipue, quæ de Cyro dicebant, accipere potuerunt, illud certe non dicit ; ſed tantum tenuiſſe nomina τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων, quod ut in imperatore laudabile eſt, ita non excedit fidem. Videri poteſt Xenoph. l. 5. παιδείας. Certe quidem *Themiſtoclem omnium civium ſuorum nomina memoriter tenuiſſe* dicit Tullius l. 2. de finibus. Sed quomodo id accipiendum ſit, ſapientes intelligunt.

1. *Innutritus bellicis laudibus.*] Sane: ſiquidem puer admodum jam Parthicas lauros patris augebat, ut ſupra n. 14.

2. *Pater tibi triumphalis.*] Supra n. 9. not. 2.

3. *Laurus.*] Miſſa ex Pannonia ſup. n. 8. not. 6.

4. *In Danubii ripa.*] De Danubio fluvio ſupra n. 12. not 17.

5. *Capitolium.*] Templum erat Jovis in clivo Tarpeio, ita dictum, a capite Toli neſcio cujus, in ejus fundamentis, cum a Tarquinio inſtauraretur, reperto. Hic erat terminus pompæ omnis, qua triumphantes in Urbem ingrediebantur. Hic in gremio Jovis Capitolini laureas deponebant.

6. *Inanes currus.*] Spoliis vacuos, quod turpe eſt triumphanti.

7. *Falſæ ſimulacra victoriæ.*] Ferebantur in triumphis captarum urbium imagines. Hic autem Domitianum carpit, qui cum urbes nullas expugnaſſet, falſas hujuſmodi icones ad ornatum triumphi adhibuerat.

nostri factum est, ut vinceremus. Quod si quis [8] barbarus rex eo insolentiæ furorisque processerit, ut iram tuam indignationemque mereatur, næ ille, sive interfuso mari, seu [9] fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur, omnia hæc tam [c] prona tamque cedentia virtutibus tuis sentiet,
5 ut [d] subsedisse montes, flumina exaruisse, [e] interceptum mare, [10] illatasque sibi non classes nostras, sed [f] terras ipsas arbitretur.

XVII. [1] Videor jam cernere non spoliis [2] provinciarum, & extorto [3] sociis auro, sed hostilibus armis, [4] captorumque regum catenis triumphum gravem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus
10 corpora noscitare. [5] Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta [g] fercula, & sua quemque facta vinctis manibus sequentem; mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis. Nec tibi [6] opima defuerint, si quis regum [h] venire in manus audeat; nec modo telorum tuorum, sed etiam oculorum,

INTERPRETATIO.

c *Pervia.*
d *Complanatos esse montes.*
e *Mare obstructum aggeribus.*
f *Sed urbes ipsas.*
g *Videor videre pegmata captorum barbaricorum imagines portantia.*
h *Singulari prælio tecum certare.*

NOTÆ.

8. *Barbarus rex.*] Decebalus Dacorum rex, adversus quem jam tum bellum parabatur, quod anno sequenti inchoatum, ac tertio post anno confectum est. *Dio.*

9. *Fluminibus immensis.*] Ut Danubio. *Monte.*] Nam Dacia montibus abundat. *Trajanus montes Daciæ emunitos cepit.* Dio.

10. *Illatasque sibi.*] Malim quam *allatas*, ut alii habent.

1. *Videor jam cernere.*] Ita Horatius Od. l. 2. 1. *Audire magnos jam videor duces, &c.* Elegans ὑποτύπωσις triumphi post expeditionem Daciam Trajano decernendi, quem hic Plinius, cum fierent adhuc ad id bellum apparatus, tanquam divinando describit, prope uti contigit anno sequenti. In quo, etsi futura prædicere, non tam oratorum videtur esse, quam poetarum, qui propterea vates appellantur: fuit tamen Ovidio felicior, qui Tristium l. 4. El. 2. Tiberii, de cujus in Germaniam expeditione rumore nuncio cognoverat, triumphum spe atque opinione conceptum describit, quem tamen nunquam egit Tiberius. Quare satis habere debent poetæ, quæ gesta sunt, more suo quasi vaticinando narrare.

2. *Provinciarum.*] Iis omnibus regionibus, quæ aut vi, aut quacunque alia ratione subigebantur a Romanis, leges adimebantur domesticæ, dabantur Romanæ: tumque dicebantur redactæ in provinciæ formam. Quæ administrabantur a proconsulibus, eæ consulares appellabantur: quæ vero a pro prætoribus, dicebantur prætoriæ, videri potest *Notitia provinciarum Imp. Rom.*

3. *Non extorto sociis auro.*] Intellige aurum coronarium, quod socii populi Romani, aut provinciæ novo imperatori muneris loco mittebant.

4. *Captorumque regum.*] Captus est reipsa Dacorum rex Decebalus.

5. *Fercula.*] Proprie pegmata, in quibus captarum, vel defensarum urbium, montium, fluviorum, cæsorum hostium vel fugatorum imago ebore, citro, argento, vel auro expressa imponebatur, ferebaturque ad triumphi pompam.

6. *Opima.*] Spolia, quæ dux duci sua manu occiso detrahit. Liv. 4. 20. Plutarchus tria tantum hujusmodi spolia ad sua usque tempora relata esse dicit. 1. a Romulo post Acronem Ceninensium regem ejus manu

minarumque conjectum toto campo, totoque exercitu opposito, perhorrescat. Meruisti [7] proxima moderatione, ut quandocunque te vel inferre, vel propulsare bellum coegerit imperii dignitas, non ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed triumphare, quia viceris.

XVIII. Aliud ex alio mihi occurrit, quam speciosum est enim, 5 quod [1] disciplinam castrorum lapsam extinctamque refovisti, depulso [2] prioris seculi malo, inertia & contumacia, & [3] dedignatione parendi? Tutum est reverentiam, tutum [a] caritatem mereri; nec ducum quisquam, aut [4] non amari a militibus, aut amari timent [5] & inde offensæ gratiæque pariter securi, [b] instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, [6] mœnia, 10 viros aptant. Quippe non is princeps, qui sibi imminere, sibi intendi putet, quod in hostes paretur: quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia cum facerent, [7] timebant. Eodem tempore militaria studia, nec animos modo, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam in curia hebetari retundique gaudebant. Duces porro nostri, non tam regum exterorum, 15 quam [8] suorum principum insidias, nec tam hostium, quam commilitonum manus ferrumque metuebant.

XIX. Est hæc natura sideribus, ut parva & exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu [1] legatorum dignitas inumbratur.

INTERPRETATIO.

a *Benevolentiam sibi conciliare.*
b *Urgent opera* militaria.
c *In suam perniciem exerceri, qui in perniciem hostium exercentur.*

NOTÆ.

interfectum. 2. a Cornelio Celso post cæsum Lartem Tolumnium Hetruscorum ducem. 3. a Claudio Marcello postquam Gallorum regem Virdomarum peremisset. Vide *Propertium* l. 4 *eleg.* 11. & Beroaldi in eum notas.

7. *Proxima moderatione.*] *Cum stetisti in Danubii ripa, si transisses certus triumphi*, ut supra dixit n. 16.

1. *Disciplinam.*] De disciplina militari feliciter a Trajano emendata plura habet *Dio.*

2. *Prioris seculi.*] Aculeate dictum in Domitianum, cujus taxat tempora, *cum suspecta virtus, inertia in pretio; cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam obsequium, omnia soluta, &c.* Plin. l. 8. ep. 14.

3. *Dedignatione.*] Rara vox, neque ab aliis, quod sciam, præterquam a Fabio Quintiliano Plinii magistro usurpata.

4. *Non amari.*] Utrumque autem sub Domitiano bonis civibus periculosum erat, & non amari, ne a militibus apud principem accusarentur: & amari, ne venirent in invidiam.

5 *Et inde &c.*] Et hinc fit ut nulla ratione habita aut conciliandæ sibi militum benevolentiæ, aut colligendi eorumdem odii &c. hæc enim vis est illius vocis *securi.* Ut Æneid. 1. 354. *Securus amorum Germanæ &c.*

6. *Mœnia.*] Alii legunt *munia*, alii nulla mutatione facta *mœnia* dici putant, pro *munia* sicut apud Lucretium: *belli fera mœnera Mavors*, & *pœnio* pro *punio.*

7. *Timebant.*] Ne cum hostili more se gererent, secum tanquam cum hostibus ageretur.

8. *Suorum principum.*] Sic Germanicus Germanorum, contra quos pugnabat, impetus repressit quidem, at Tiberii principis sui insidias effugere non potuit; ejus enim jussu, per Pisonem interfectus est.

1. *Legatorum.*] De legatis supra dictum est n. 9. not. 8.

Tu tamen major omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione major: eandem auctoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat: quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. Itaque perinde summis atque infimis carus, [a] sic imperatorem commilitonemque miscueras, ut studium omnium laboremque, & tanquam exactor [b] intenderes, & tanquam particeps sociusque [c] relevares. Felices illos, quorum fides & industria, non per internuncios & interpretes, sed ab ipso te, [2] nec auribus tuis, sed oculis probabantur! [3] Consecuti sunt ut absens quoque de absentibus nemini magis quam tibi crederes.

XX. Jam te civium desideria [1] revocabant, amoremque castrorum superabat caritas patriæ. Iter inde placidum ac modestum, ut plane a pace redeuntis. Nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus [2] expavit: affectata aliis [3] castitas, tibi ingenita & innata, interque ea quæ [4] imputare non possis. Nullus in exigendis [5] vehiculis tumultus, [a] nullum circa hospitia fastidium; [6] annona, quæ ceteris. [b] Ad hoc comitatus [7] accinctus, & [8] parens, diceres magnum aliquem

INTERPRETATIO.

a *Ita imperatoris & commilitionis partes in te conjunxeras.*
b *Augeres.*
c *Minueres.*
a *Ne vilissima quidem hospitia dedignabaris.*
b *Præterea.*

NOTÆ.

2. *Nec auribus tuis.*] Oculis major est habenda fides, quam auribus. Ut enim ex Rudolpho Agricola ingeniose notat Rayanus: *Aures aliis, oculi sibi credunt.* Unde vetus est illud. *Plus est testis oculatus unus, quam auriti decem.*

3. *Consecuti sunt.*] Post exhibitam sæpe tuis oculis suam fortitudinem, hoc tandem consecuti sunt, ut in æstimanda absentium virtute, non tam iis, quæ ad te perferrentur, quam tuæ de illis jam pridem conceptæ opinioni crederes.

1. *Revocabant.*] E Germania, in Urbem Romanam. Quantopere populus Romanus reditum illum Trajani appeteret aptissime describit Martialis l. 10. ep. 6. *Felices, quibus urna dedit spectare coruscum solibus arctois sideribusque ducem. Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis lucebit latia culta fenestra nuru? Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis, totaque Flaminia Roma videnda via* &c.

2. *Expavit.*] Veritus, ne aut liberis suis, aut uxori vis inferretur.

3. *Castitas tibi ingenita.*] Ne tam quidem, si Dioni credimus.

4. *Imputare.*] Uox apud ejus ævi scriptores frequens: infra n. 24. *topiam tui, non tu imputes, facis.* n. 39. *Ex quo intelligi potest quantæ benignitatis fuerit.... ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam.* Itaque *imputare* dicitur, qui id, quod facit, beneficii loco poni, eoque nomine obstrictos sibi alios esse vult.

5. *Vehiculis.*] Imperatoribus ad expeditionem aliquam proficiscentibus, præstare vehicula debebant provinciæ per quas iter erat, ut impedimenta bellica exportarentur, veheretурque eorum comitatus. Hinc erat illud Palatinum munus, *ab vehiculis*, ut patet ex numis. Vide *Casaubon. in Spart. Hadrianum. p.* 15.

6. *Annona.*] Varias hujus vocis significationes vide apud argutiores grammaticos. Hic autem sumitur pro victu: sententia est, nullas ciborum lautitias consectabaris, communibus cibis contentus.

7. *Accinctus.*] Expeditus ad deproperandum iter, nec nimium in provinciis subsistens, cum popularium incommodo. Inf. n. 30. *In omnia pariter intenta bonitas & accincta*, id est, expedita & ad juvandum celeris.

8. *Parens.*] Lege cum aliis *parcus*, id est, parce & contente vivens.

ducem,

ducem,[9] ac te potissimum, ad exercitum ire: adeo nihil aut certe parum intererat, inter imperatorem factum, [10] & futurum. Quam dissimilis nuper [11] alterius principis transitus! si tamen transitus ille, non populatio fuit, [a] cum [12] abactus hospitum exerceret, omniaque dextera lævaque perusta & attrita, ut si vis aliqua, vel [13] ipsi illi barbari, quos fugiebat, inciderent: 5 persuadendum provinciis erat illud iter Domitiani fuisse, [14] non principis. Itaque non tam pro tua gloria, quam pro utilitate communi, [15] edicto subjecisti, quid in utrumque vestrum esset impensum. Assuescat imperator [16] cum imperio calculum ponere, sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus; edicat quid absumpserit, ita fiet ut non absumat, quod pudeat 10 edicere. Præterea futuri principes, velint nolint, sciant [17] tanti tuum constat: propositisque [18] duobus exemplis, meminerint perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc vel illud elegerint.

XXI. Nonne his tot tantisque meritis, novos aliquos honores, novos titulos merebare? At tu etiam [1] nomen patris patriæ recusabas. Quam longa nobis cum modestia tua pugna! quam tarde vicimus! Nomen illud quod 15 [2] alii primo statim principatus die ut imperatoris & Cæsaris receperunt,

INTERPRETATIO.

a *Cum hospites e domibus suis abigeret.*

NOTÆ.

9. *Ac te potissimum*] Artem nota: Plinio enim quasi aliud agenti, & ducem aliquem egregium, quem in exemplum afferat quærenti videtur Trajanus statim occurrere.

10. *Et futurum.*] Mirifice enim obsequentes sunt & modesti, quicunque imperio imminent, dum adhuc egent populi gratia & favore: votorum autem compotes facti, quam dissimiles sæpe mores induunt! Nihil vero fuit tale in Trajano.

11. *Alterius principis.*] Domitiani, quem vellicare non cessat, ut Trajani laus magis elucescat.

12. *Abactus.*] Proprie de grege dicitur, qui per furtum abducitur. Hoc loco sumitur pro violenta hospitum expulsione.

13 *Ipsi illi barbari.*] Daci, Getæ, Sarmatæ, a quibus etsi Domitianus victus fuerat, vicisse tamen voluit videri, gesto eam ob rem triumpho, ut supra n. 11. not. 13. diximus.

14. *Non principis.*] Ut invidia hujus facti non in principis nomen, aut personam, quæ sancta esse debet, sed tota in Domitianum refundatur.

15. *Edicto.*] A te post reditum in Urbem sancito, in quo extremo quid Domitianus, quid tu in itinere tuo impendisses, subjecisti.

16. *Cum imperio.*] Id est, discat expensarum rationem subducere μετὰ τῶν ἀρχομένων, cum republica, inquit Livineius; vel, licet sit imperator; vel, quod malim, discat cum imperii opibus computare, ita ut ex iis suas expensas metiatur, neque majores faciat, quam pati possint.

17. *Tanti tuum constat.*] Rittershusius legit: *Tanti tuum iter constat.* Quæ lectio clariorem sensum efficit.

18. *Duobus exemplis.*] Domitiani, & Trajani.

1. *Nomen patris patriæ.*] Primum datum est Romulo: tum Camillo ab militibus, relatam a Gallis victoriam imperatori suo gratulantibus: post Ciceroni ex decreto senatus, cum Catilinariam conjurationem patefecisset: inde Augusto ac deinceps aliis imperatoribus delatum est.

2. *Alii primo.*] Non quidem omnes. Nam nec Augustus nisi sero illud recepit, inquit Lipsius, & Tiberius per modestiam distulit, Nero per ætatem. Verum id de aliis dici potest.

usque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, ut pater patriæ esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in judiciis nostris, nec publicæ pietatis intererat quid vocarere, nisi quod ingrata sibi videbatur, si
5 te imperatorem potius vocaret & Cæsarem, cum patrem experiretur. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces? ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens vivis? [3] Ut reversus imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris? eosdem nos, eundem te putas, par omnibus, & hoc tantum ceteris major, quo melior.

10 XXII. Ac primum [1] qui dies ille, quo exspectatus desideratusque Urbem tuam ingressus es? Jam hoc ipsum quod ingressus es, quam mirum lætumque? nam priores invehi, & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat. [2] Tu sola corporis proceritate elatior aliis & excelsior, [3] non de patientia
15 nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem [4] sanitatemque prorepere. Inde alii [5] se satis vixisse te viso,
20 te recepto, alii nunc magis esse vivendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui principi cives, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem [a] vacantem locum, qui non nisi suspensum & instabile vestigium caperet; oppletas undique vias, angustumque tramitem
25 relictum tibi, alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium paremque clamorem. Tam [b] æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia

INTERPRETATIO.

a *Vacuum locum, qui non poterat sustinere pedem nisi suspensum, & vacillantem.*

b *Omnes de adventu tuo tam æqualiter lætati sunt, quam tu omnium causa ad imperium venisti.*

NOTÆ.

3. *Ut reversus.*] Ut rèversus in Urbem cum imperatoria dignitate, unde privatus sub legati tantum nomine discesseras: præclare agnoscis tuos, idemque agnosceris, nihilo factus tumidior.

1. *Qui dies ille.*] Etiam mortuo Nerva, Trajanus hac morte solus imperator relictus, annum integrum, & eo amplius in Germania restitit: omnibus ut cito in Urbem rediret optantibus, ut habet *Martialis l.10. ep. 6. & 7.* rediit autem an. Christi 99. ætatis 44.

2. *Tu sola.*] Elegans in primis & ex arte facta ὑποτύπωσις Trajani in Urbem redeuntis. Locus illustris & ad imitandum insignis. Vide Theodosii paneg. n. 47.

3. *Non de patientia.*] Quia non eras importandus nostris humeris; sed de aliorum principum arrogantia, quam singularis tua humanitas condemnabat.

4. *Sanitatemque.*] Adulatorie fortasse magis, quam vere. Etsi poterant ægroti illi audivisse sic ad Vespasiani conspectum sanatos esse cæcum & alterum cui imbecilla manus erat. *Xiphilinus. Tacitus Hist. 4. c. 81. Sueton. c. 7.* Simile quid de Hadriano refert Spartianus.

5. *Se satis vixisse.* [Notandum illud, in summis bonis, primam hanc cogitationem

percepta est, quam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

XXIII. Gratum erat cunctis, quod senatum [1] osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras: gratum, quod [a] equestris ordinis decora [2] honore nominum, sine monitore, signares: gratum, [b] quod tantum non ultro [3] clientibus salutatis, quasdam familiaritatis notas adderes. Gratius tamen, quod sensim & placide, & quantum respectantium turba pateretur, incederes: [c] quod occursantium populus te quoque, te imo maxime astaret; quod primo statim die latus tuum crederes omnibus. Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus, nunc equestris ordinis flore, [d] prout alterutrum frequentiæ genus invaluisset, silentes quietosque [4] lictores tuos subsequebare, nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate, modestia differebant. Ubi vero cœpisti [5] Capitolium ascendere, quam læta omnibus [6] adoptionis tuæ recordatio! quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant imperatorem! quin etiam [7] deum ipsum tuum præcipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim. Ut quidem iisdem vestigiis institisti, quibus [8] parens tuus ingens illud deorum prolaturus arcanum, quæ circumstantium gaudia? [9] quam recens clamor? quam similis illi [10] dies, qui hunc genuit diem? ut

INTERPRETATIO.

a *Equestris ordinis clarissimos absque nomenclatore nomine suo appellares.*

b *Quod prope ante quam salutareris* ipse *clientes tuos salutares.*

c *Quod vulgus* vel *te ipsum, imo te* omnium *maxime circumstaret.*

d *Prout alterutrius multitudo conferta propius ad te* poterat *accedere.*

NOTÆ.

incidere: satis nos vixisse; in malis vero: plus satis vixisse. Sic apud Virg. Æneid. 11. 159. *Tuque o sanctissima conjux felix morte tua.... contra ego vivendo vici mea fata.*

1. *Osculo exciperes.*] Infra n. 71. solebant peregre abeuntes, vel redeuntes imperatores senatum osculo impertire. Hinc apud Dionem Caligula, apud Tranquillum Nero, Domitianusque arrogantiæ accusantur, quod eo pietatis urbanitatisque officio, aut non omnino, aut superbe perfuncti essent *Lips. 2. elect.*

2. *Honore nominum.*] Sic Suetonius Augustum laudat, *quod patres in curia salutaverit, sedentes, & quidem nominatim singulos nullo submonente.* Ea de te fusius diximus n. 15. not 7.

3. *Clientibus.*] Clientes dicebantur qui principum virorum, quos patronos elegerant, fidei se suaque omnia committebant, addicebantque, seu prosperam, seu adversam fortunam secuturi. Eos autem patroni sua auctoritate tuebantur.

4. *Lictores.*] Numero 12. ante consulem virgarum fasciculos cum securibus manu præferebant: idque tum ad pompam, tum etiam ut qui a magistratu damnarentur, eos ligatos (unde lictores dicti) cæderent virgis, tum securi ferirent.

5. *Capitolium.*] Supra n. 16. not. 5.

6. *Adoptionis tuæ.*] Ut ingeniose hoc loco adoptionis memoriam revocat!

7. *Deum ipsum tuum.*] Jovem Capitolinum: cujus opus est adoptio illa tua. In aliis pro *tuum* est *tunc.*

8. *Parens tuus.*] Nerva.

9. *Quam recens clamor.*] At tota via acclamaverant, & ingredienti applauserant. Hic tamen ad Capitolii conspectum quasi recentes, plausum & acclamationes iterarunt.

10. *Dies, qui hunc genuit.*] Dies adoptionis tuæ, qui in causa est, cur imperator hodie tanta cum pompa redeas.

[11] plena altaribus, augusta victimis cuncta? ut in unius salutem collata omnium vota? cum sibi se ac liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur. Inde [12] in palatium quidem, sed eo vultu, sed ea moderatione, ut si privatam domum peteres: ceteri [13] ad penates suos, quisque iteraturus
5 gaudii fidem, ubi nulla necessitas gaudendi est.

XXIV. [1] Onerasset alium hujusmodi introitus, tu quotidie admirabilior & melior: talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat augetque temporis spatium, junxisti enim ac miscuisti res diversissimas, [2] securitatem olim imperantis, & inci-
10 pientis pudorem. Non tu civium amplexus [3] ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis, manet imperatori [4] quæ prior oris humanitas, dextræ verecundia. Incedebas pedibus? incedis: lætabaris labore? lætaris, eademque omnia illa circa te, [5] nihil in ipso te fortuna mutavit. Liberum est ingrediente per publicum principe subsistere, occurrere, comitari, præteri-
15 re. Ambulas inter nos, [6] non quasi contingas: & copiam tui, [7] non ut imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit. Regimur quidem a te, & subjecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus, nam & illæ cupiditates nostras, libidinesque moderantur; nobiscum tamen, & inter nos versan-
20 tur. Emines, excellis, ut honor, ut potestas, quæ super homines quidem,

NOTÆ.

11. *Plena altaribus.*] Ita exceptus est Romæ Vitellius: *Extructis altaribus, cæsisque victimis, regium in morem.* Tacit. 11. c. 70. sic in Caligulæ adventu *supra centum sexaginta millia victimarum cæsa* Sueton.

12. *In palatium.*] Triumphantes, si *Dioni* fides, per forum adibant Capitolium, inde eadem populi frequentia, & pompa in palatium deducebantur.

13. *Ad penates suos.*] Id est, domi: quod veræ, nec fucatæ lætitiæ indicium est, quæ qualis præfertur coram principe, talis privatim iteratur; cum sine ullis arbitris sinceri animi sensus intra domesticos parietes explicantur

1. *Onerasset.* Oneri fuisset aliis hujus introitus pompa, quibus imposuisset necessitatem dignos se hoc honore reddendi. Plin l. 8. ep. ult. *Onerat te quæstura tuæ fama, onerat testimonium principis.*

2. *Securitatem.*] Qui diu imperarunt, propter confirmatam auctoritatem suam, jam sibi fidunt, atque in tuto sibi videntur esse: in iis vero qui incipiunt, inest pudor quidam & verecundia. At, inquit Plinius, utrumque, Trajane, conjungis mirifice; ejus, qui jam diu regnat, securitatem; ejus, qui incipit, verecundiam & pudorem.

3. *Ad pedes.*] Ut Caligula, cujus superbiam ea in re notat *Suetonius.*

4. *Quæ prior oris &c.*] Nihil de ea humanitate remisisti, qua privatus eminebas, siquidem imperator cum sis, & senatum & equestris ordinis decora osculo excipere non dedignaris, nec das manum osculandam: absimilis iis principibus, qui ut ait infra n. 71 *Velut affixi curulibus suis, manum tantum, & hanc cunctanter, & imputantibus similes promebant.*

5. *Nihil in ipso te.*] Lege *nihil ipsum te,* ut Gruiero placet, vel *nihil in ipso te,* ut Petrus Faber suspicatur.

6. *Non quasi contingas.*] Id est, perinde quasi nemo te in via contingat, atque eunti obstet. Legit Lipsius *inter nos, quasi nos contingas*: sensus erit quasi unus e nobis sis: quasi nos ordine, vel affinitate contingas.

7 *Non ut imputes.*] Non quo id beneficii loco tibi apponatur. Non ut magnum quidpiam nobis concessisse videaris. *Supra n. 20. not. 4.*

hominum sunt tamen. Ante te principes, fastidio nostri & quodam æqualitatis metu, [8] usum pedum amiserant: illos ergo humeri, cervicesque servorum super ora nostra; te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas super ipsos principes vehunt: te ad sidera tollit [9] humus, ita communia & confusa principis vestigia.

XXV. [1] Nec vereor P.C. ne longior videar, cum sit maxime optandum, ut ea pro quibus aguntur principi gratiæ, multa sint: quæ quidem reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari, quam [a] carptim, breviterque perstringi, quia [b] fere sequitur ut illa quidem, [2] de quibus taceas, tanta quanta sunt, esse videantur. Nisi vero leviter attingi placet, locupletatas [3] tribus, datumque [4] congiarium populo, & [5] datum totum, cum donativi partem milites accepissent. An mediocris animi est his potius repræsentare, quibus magis negari potest? Quanquam in hac quoque diversitate, æqualitatis ratio servata est, æquati sunt enim populo milites, eo quod partem, sed priores: populus militibus, quod posterior, sed totum

INTERPRETATIO.

a *Leviter summatimque delibare.* b *Ferme accidit, ut quæ* commemorare *prætermittis &c.*

NOTÆ.

8. *Usum pedum amiserant.*] Quod lectica uterentur. Atque id non imperatores modo, sed & senatores, & equites pro jure suo faciebant; neque in eo quidquam censura dignum. Carpit tamen hoc loco eos imperatores, qui succollantium humeris cervicibusque ad fastum pro lectica uterentur.

9. *Humus.*] Humus ista, quam tuis pedibus terere non dedignaris, ad cœlum usque te evehit: ita enim nostris vestigiis communia & permixta sunt principis nostri vestigia. Alii alio modo hunc locum legunt, sed emendatione hic non videtur opus esse.

1. *Nec vereor.*] Ut apte, & juxta præceptum Aristotelis, & Tullii fessos & languentes auditorum animos in decursu orationis excitat: modo prolixitatem orationis excusans, modo multa prætermissurum se asseverans!

2. *De quibus taceas.*] Non minus artis est in rebus interdum supprimendis, quam in iisdem efferendis: imo reticere interdum aliquid multo aptius est, ad rem exaggerandam: seu quod ea in re oratori præstare velit auditor, ametque eo majus quiddam sibi fingere; quod rei exprimendæ parem se non esse orator professus sit: seu quod, ut in tenebris majora nobis fingimus omnia, quam in luce: sic quæ supprimuntur, ac veluti tenebris absconduntur ab oratore, majora semper videntur. Hinc Parrhasii pictoris singularis illa laus fuit, cujus pictura, *sic apte desinebat, ut promitteret alia post se: ostenderetque etiam, quæ occultaret.* Plinius l. 35. c. 10.

3. *Tribus.*] Urbs primum in tres partes divisa fuerat, quæ ideo *tribus* dicebantur. Qui singulis tribubus præerant, *tribuni*; pecuniæ vero, quæ tributim, id est, per tribus imperabantur, vocabantur *tributa.* Etsi autem post in 4 partes, & Ciceronis, atque, ut ex hoc loco patet, Plinii tempore in 35. distributa erat: servatum est illud nomen, & 35. *tribus* dictæ sunt

4. *Congiarium.*] Munus, quod plebi; Donativum vero, quod militibus dabatur Congiarium dictum a congio: quod vasis genus erat sextariorum sex. Munus autem illud erat initio vini, aut olei certa mensura, in plebem ab imperatore distributa. Tum extentum est nomen illud ad quasvis etiam pecuniæ donationes, sed maxime principum in plebem; demum ad quodvis munus etiam privatim & in singulos collatum.

5. *Datum totum.*] Trajanus congiarium

ſtatim accepit. Enimvero qua benignitate diviſum eſt? quantæ curæ tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? Datum eſt his qui poſt edictum tuum, [6] in locum eraſorum, ſubditi fuerant: æquatique ſunt ceteris illi etiam, quibus non erat promiſſum. Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus diſtinebatur; exſpectatum eſt proviſumque, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuiſſet, veniret quiſque cum poſſet. Magnificum Cæſar, & tuum, disjunctiſſimas terras munificentiæ ingenio velut [7] admovere, immenſaque ſpatia liberalitate contrahere, intercedere caſibus, occurſare fortunæ: atque omni ope adniti, ne quis e plebe Romana dante congiarium te, [8] hominem magis ſentiret ſe fuiſſe, quam civem.

XXVI. Adventante congiarii [1] die, obſervare principis egreſſum in publicum, inſidere vias [2] examina infantium, [3] futuruſque populus ſolebat: labor parentibus erat oſtentare parvulos, impoſitoſque cervicibus adulantia verba [4] blandaſque voces edocere: [a] reddebant illi, quæ monebantur. Ac plerique irritis precibus ſurdas principis aures adſtrepebant; ignarique quid rogaſſent, quid non impetraſſent, donec plane ſcirent, [5] differebantur. Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti, & quanquam lætiſſimum oculis tuis eſſet, conſpectu Romanæ ſobolis impleri, omnes tamen antequam te viderent, adirentve, recipi, incidi juſſiſti: ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur. Creſcerent [6] de tuo, qui creſcerent

INTERPRETATIO.

a *Edebant illi verba, quæ docebantur.*

NOTÆ.

plebi, donativum militi promiſerat. Sed cum ærarium utrique largitioni ſimul non ſufficeret, dimidium promiſſi militibus ſtatim dedit: plebi vero totum, ſed paulo ſerius. Ita illi in tempore prælati, hi in ſumma. *Lipſius.*

6. *In locum eraſorum.*] Inciſa erant in tabulis civium nomina quos congiario donari oporteret. Quorum e numero ſi qui aut occumberent, aut alio commigrarent, aſcribebantur alii. In hoc vero enituit liberalitas Trajani, quod his qui poſt factum de dando congiario edictum in eraſorum locum ſuffecti fuerant, quibus proinde edicto ſuo nihil promiſerat, congiarium tamen æquale atque ceteris datum voluerit.

7. *Admovere.*] Cum efficeres ut quamvis abſentes eſſent, tamen ſic tanquam forent præſentes, liberalitatem tuam perſentirent,

8. *Hominem magis.*] Ut non prius humanam te inter homines vitam agere quam munerum tuorum participes ſe eſſe ſentirent.

1. *Die.*] Qua dandum eſſe populo congiarium princeps edixerat.

2. *Examina.*] Proprie de apibus dicitur examen, ut ſæpe apud Virgilium: ſed & de puerorum turba dixit Horat. L. 1. od. 25. *Juvenum recens examen.* Et Epod. od. 2. *Poſitoſque vernas, ditis examen domus.*

3. *Futuruſque populus.*] Quaſi qui infantes ſint, nondum inter populum cenſeri debeant.

4. *Blandaſque voces &c.*] Quibus moveretur princeps, ut largitiones ſuas in ipſos derivaret.

5. *Differebantur.*] Ad annum 11. Suetonius enim de Auguſto: c. 41. *Congiaria populo frequenter dedit.....ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis ante non niſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent.*

6. *De tuo &c.*] De tua liberalitate, qui vitam

tibi; alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent: tantumque omnes uni tibi, quantum parentibus suis quisque, deberent. Recte Cæsar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe, immortalitatemque merituro, impendii genus dignius, quam quod [7] erogatur in posteros. Locupletes [b] ad tollendos liberos ingentia [8] præmia, & [9] pares pœnæ, cohortantur; pauperibus [10] educandis una ratio est, bonus princeps. Hic [c] fiducia sui procreatos, nisi larga manu fovet, auget, amplectitur; ut occasum imperii, occasum reipublicæ accelerat, [11] frustraque proceres princeps, plebe neglecta, [d] defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere tuetur. Facile est conjectare, quod perceperis gaudium, cum te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet. Hæc prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus [12] alimenta, hoc maximum præstitisti, ne rogarent. [e] Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat, expediat.

XXVII. Nemo jam parens filio, nisi [1] fragilitatis humanæ vices horret, nec [2] inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; majus tamen in spem libertatis, in spem securitatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, [3] dum nihil auferat; non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra largiatur &

INTERPRETATIO.

b *Ad educandos pueros.*
c *Confidentia liberalitatis suæ.*
d *Destitutum membris.*

e *Hoc tamen maxime omnium* in te *laudabile est, quod talem te præstas in imperio.*

NOTÆ.

olim suam obsequio tuo impensuri erant.

7. *Erogatur in posteros.*] Sic enim princeps nomen suum posteritati commendat.

8. *Præmia.*] Ut sunt, honestior locus in spectaculis, jus sortiendi provincias, petendi magistratus, hæreditates obtinendi. *Ex lege Julia & Papia. Dio l. 43. Sueton. in Augusto, 34. Lipsius in l. 3. Annal. Taciti.*

9. *Pares pœnæ.*] Et turpis apud Romanos & prohibitus erat cœlibatus, indicta per censores pecuniaria mulcta, quam populo pendere cœlibes tenebantur, quamque ideo Festus vocat *æs uxorium*. Præterea arcebantur ab honoribus, & dignitatibus populi Romani. Hæredes autem instituti hæreditatem adire non poterant, nisi intra centum dies uxorem ducerent, ex lege Julia & Papia Vide pan. 6. n. 2.

10. *Educandis.*] Malim *educandi*, supple liberos, ut in Viennensi editione legitur, & Grutero probatur.

11. *Frustraque proceres.*] Alludit haud dubie ad venustissimum Menenii Agrippæ apologum cujus meminit *Livius l. 2. & Quintilianus l. 5. c. 12.* Hic enim Plinius ostendit e re principis esse, ita tueri proceres, qui reipublicæ veluti caput appellari possunt, ut plebem, id est, inferiores corporis partes non negligat.

12. *Alimenta.*] Hinc Trajani numus ille, in quo Italia virginis specie pueros offert imperatori quibus ipse spicas distribuit. Titulus *alimenta Italiæ.*

1. *Fragilitatis &c.*] Nisi quod vitare non potest humana conditio, ut valetudinem & mortem.

2. *Inter insanabiles.*] Nulla enim tetrior lues, aut morbus pestilentior, quam Tyranni ferocia.

3. *Dum nihil auferat.*] Notat nefariam Domitiani liberalitatem, qui congiaria primum largiebatur pueris, tum ea ipsa ma-

auferat, alat & occidat; ne ille[4] in tam brevi tempore effecerit, ut omnes non posterorum modo, sed sui parentumque pœniteat. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque a te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine & cædibus nutriuntur. Quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, [5] quod nemini est ereptum; locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum principem tantum, quanquam nec hunc quidem: nam cujus est quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.

XXVIII. [1] Alio me vocat[a] numerosa gloria tua: alio autem? quasi vero jam satis veneratus miratusque sim, quod tantam pecuniam profudisti, non ut flagitii tibi conscius [b] ab insectatione ejus[2] averteres famam, nec ut tristes hominum, mœstosque sermones lætiore materia detineres; Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti; nec tibi benefaciendi fuit causa, ut quæ male feceras, impune fecisses: amor impendio isto, non venia quæsita est, populusque Rom. [c] obligatus a tribunali tuo, non exoratus recessit. Obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securusque securis: quodque antea principes ad odium sui leniendum[3] tumentibus plebis animis objectabant, id tu tam innocens populo dedisti, quam populus accepit. Paulo minus P. C. quinque millia[4] ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit, hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur; patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur, quibus alimentis opus non sit. Dent tibi Cæsar [d] ætatem dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt, & quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum jubebis[5] incidi? Augetur enim quotidie & crescit,

INTERPRETATIO.

a *Multiplex laus tua.*
b *Deterreres populos ab eo tibi imputando.*
c *Devinctus beneficio a palatio tuo recessit, non placatus.*
d *Longævos annos.*

NOTÆ.

gno cum fœnore, sæpe etiam cum vita repetebat.

4. *In tam brevi tempore.*] Livineius pro *in tam* legendum suspicatur *unquam*: ego malim cum Rittershusio, inducto *tam*, legere *in brevi tempore*.

5. *Quod nemini est ereptum.*] Trajanus enim ab alienis pecuniis mirum quantum abstinebat. *Dio.*

1. *Alio me vocat.*] Quam ingeniose auditorum animos excitat, dum alio se vocari simulans, in eodem tamen versatur argumento!

2. *Averteres.*] Ut Nero, in cujus largitionibus aliqui necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi conscio & veniam sperante si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. *Tacit. An.* 13. *c.* 18.

3. *Tumentibus.*] Furenti populo pecuniam, tanquam apud Virgilium Sybilla offam Cerbero, objectabant.

4. *Ingenuorum.*] Ingenui sunt, qui statim ut nati sunt, liberi sunt; sive nascantur ex duobus ingenuis; sive ex uno ingenuo, & altero libertino: sive ex duobus libertinis: sive ex patre servo & matre libera.

5. *Incidi.*] In iis tabulis, ubi erant eo-

non

non quia cariores parentibus liberi, sed quia principi cives. Præstabis alimenta si voles; dabis congiaria, si voles; illi tamen [6] propter te nascuntur.

XXIX. Instar perpetui congiarii reor affluentiam annonæ. [1] Hujus aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriæ, quam [a] [2] pulsus ambitus campo, exactus [3] hostis mari, [4] Oriens triumphis, [5] Occidensque lustratus. Nec vero ille [a] civilius, quam parens noster, auctoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, [6] itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur. Nonne cernere datur, ut sine ullius injuria [b] omnis usibus nostris annus exuberet? quippe non ut [c] ex hostico raptæ, perituræque [7] in horreis messes, nequicquam queritantibus sociis, auferuntur. Devehunt ipsi quod terra genuit, [8] quod sidus aluit, quod annus tulit; [d] nec novis [9] indictionibus

Interpretatio.

a *Ratione magis populari.*

b *His temporibus agri* præter solitum *in usus nostros fertiles sint.*

c *Ex hostili agro.*

d *Nec novorum vectigalium exactione vexati impares sunt* pendendis *veteribus tributis.*

Notæ.

rum nomina, qui congiatio donandi erant.

6. *Propter te.*] Non propter congiarium tuum: sed ut te imperatorem habeant, ut ævi tui felicitate fruantur,

1. *Hujus cura Pompeio &c.*] Constituti erant præfecti frumento in populum distribuendo, sive donaretur, sive minimo distraheretur: quam præfecturam Cn. Pompeius an. v. c. 696. in quinquennium, sed extra ordinem in summa annonæ difficultate gessit, & per se ac per 15. legatos eam ob rem ipsi datos tantam frumenti copiam in Urbem invexit, ut plus ea re sibi laudis pepererit, quam tot reportatis victoriis. *Plutarchus, Cicero pro lege Manilia.*

2. *Pulsus ambitus campo.*] Martio, ubi plebis suffragia emendicari, & effusissimis largitionibus ac blanditiarum genere omni ambiri magistratus solebant. Cui malo ut mederetur Cn. Pompeius in tertio suo consulatu gravissimam legem tulit de ambitu. *Plutarchus.*

3. *Hostis.*] Pirata Cilix: quod factum diebus non amplius 40. narrat *Plutarchus, Appianus, Florus, Tullius de provinc. consular.*

4. *Oriens.*] Ubi Mithridatem, Tigranem, Albanos, Iberos, Arabas, & Judæos vicit.

5. *Occidensque.*] Puta in Africa, ubi Domitium reliquias exercitus Marii colligentem victum interfecit: in Hispania, ubi Sertorium, Perpennam, Lectoriumque superavit.

6. *Itinera terris.*] Quia terræ sine itineribus, mare sine litoribus, litora sine mari videbantur esse; adeo omnia prædonum & piratarum latrociniis erant infesta & veluti interclusa.

7. *In horreis.*] Quæ Romani in provinciis passim habebant, ubi frumenta reponerent, & militares annonas. Erant & Romæ horrea, per omnes regiones urbis sparsa, quibus publicum conderetur frumentum. *Lips.*

8. *Quod sidus aluit.*] Sidera enim ad alendas fruges plurimum conferunt; unde observandum in primis 1 *quo sidere terram vertere conveniat.* Virg. Georg. l. 1. v. 1.

9. *Indictionibus.*] Indictiones dicebantur tributa, quæ singulis tribus lustris pendebantur, unde cœpit, ut verisimile est, sub Constantino consuetudo illa numerandi annos ab indictionibus; id est, a spatio 15. annorum. Omnino tria tributorum genera erant. 1. *Canon*, certum & ordinarium tributum. 2. *Oblatio*, voluntarium. 3. *Indictio*, novum & superindictum. *Budæus in annot. ad Pandect. Asconius in Verrinam 4.*

pressi, ad vetera tributa deficiunt. Emit [10] fiscus, quidquid [11] videtur emere: inde copiæ, inde annona, de [c] qua inter [12] licentem, vendentemque conveniat: inde hic satietas, nec fames usquam.

XXX. [1] Ægyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est, 5 ut nihil imbribus [2] cœloque deberet: siquidem [3] proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quam quas ipse devexerat, tantis segetibus [4] induebatur, ut cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret. Hæc inopina siccitate [a] usque in injuriam sterilitatis exaruit: quia piger Nilus cunctanter alveo sese ac languide extulerat, 10 ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus, fluminibus tamen conferendus. Hinc pars magna terrarum, [b] mergi palanti amne consueta, alto pulvere incanduit. Frustra tunc Ægyptus nubila optavit, [5] cœlumque respexit, cum ipse fœcunditatis parens contractior & exilior, [c] iisdem ubertatem ejus anni angustiis, quibus abundantiam suam cohibuisset. Neque 15 enim solum vagus ille, & [6] expanditor amnis, [d] intra usurpata semper collium

Interpretatio.

c *De cujus pretio inter emptorem, venditoremque* facile *conveniat.*

a *Usque ad reprehensionem sterilitatis.*

b *Tegi assueta fluvio circumquaque exundante.*

c *Iisdem terminis contraxisset, & ejus anni fertilitatem, & aquarum suarum copiam.*

d *Intra colles, quos aquis operire quondam solebat.*

Notæ.

10. *Fiscus.*] Ærarium principis.

11. *Videtur emere.*] Non ut improbe callidi imperatores, qui interdum emendi specie, aliena per vim rapiunt. Trajanus autem emebat vere, quidquid emere videbatur.

12. *Licentem.*] Id est, ementem. Liceri tamen, & licitari proprie dicitur, qui in auctione rem vænum expositam plus offerendo auferre contendit: is licitatorem apponit, qui subornat aliquem qui se velle emere simulet, & pluris liceatur, ea quæ vænum exposita sunt, quam quanti sunt: ut eo modo ceteri emptores inducantur.

1. *Ægyptus.*] Regio Africæ ad Syenen & Æthiopiam, inde ad Arabiam & Palæstinam pertinens. Abundans pascuis, frumenti frugumque feracissima. De ejus fertilitate vide *Lucretium l.* 10. *Solinum*, *in Collectaneis*, *Annæum Senecam*, *in quæstion. naturalibus*, & *Strabonem*, *in Geographia.*

2. *Cœloque.*] Quare, ut Tibullus ait, non illic *pluvio supplicat herba Jovi.* l. 1. el. 7.

3. *Proprio amne.*] Nilo: qui *veluti cœleni vice fungens* ad uberandos agros *evagari incipit a solstitio.* Plin. l. 18. c. 18. *Et cum tota æstate aquis suis Ægyptum obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque & oblimates agros ad serendum relinquit.* Cic. de Nat. Deor. 1. Ad summam ubertatem inducendam neque minus 12. cubitis, neque plus 16. exundare debet. *Plin. l.* 18. *c.* 18.

4. *Induebatur.*] Olet poeticum quiddam hæc metaphora, qua terra *indui* ac *vestiri* segetibus dicitur, pro *tegi*: sed voces hujusmodi & familiares sunt Plinio, neque videntur a panegyricarum orationum stylo valde alienæ.

5. *Cœlumque respexit.*] Præter consuetudinem. *In Ægypto* enim, ut ait Seneca, *nemo aratorum aspicit cœlum*, cujus ope sibi non videntur indigere. *In solo tanta est fiducia Nilo*, inquit Lucanus.

6. *Expanditor*] Quia vox hæc infrequentior videtur ac durior, Rittershusius legit *spatiator*; Lipsius suspicatur legendum *exspatiator.*

substiterat atque hæserat, [e] sed supino etiam ac detinenti solo non placido se mollique lapsu refugum abstulerat, necdum satis humentes terras addiderat arentibus. Igitur inundatione, id est, ubertate regio fraudata, sic opem Cæsaris invocavit, ut solet [7] amnem suum: [f] nec longius illi adversorum fuit spatium, quam dum nunciat. Tam velox, Cæsar, potentia tua est, tamque in omnia pariter intenta bonitas & [g] accincta: ut tristius aliquid seculo tuo passis, ad remedium salutemque sufficiat, ut scias. 5

XXXI. Omnibus equidem gentibus fertiles annos, gratasque terras precor: crediderim tamen, per hunc Ægypti statum, tuas fortunam vires experiri, tuamque vigilantiam [1] spectari voluisse. Nam cum omnia ubique secunda merearis, nonne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis laudibus, tuisque virtutibus, materiem campumque prosterni? cum secunda felices, adversa magnos probent. Percrebuerat antiquitus, Urbem nostram, nisi opibus Ægypti ali sustentarique [2] non posse. Superbiebat [3] ventosa & insolens natio, quod victorem quidem populum, pasceret tamen; quodque in suo flumine, [4] in suis manibus, vel abundantia nostra, vel fames esset. [a] Refudimus Nilo suas copias, recepit frumenta quæ miserat, deportatasque messes revexit. Discat igitur Ægyptus, credatque [5] experimento, non alimenta se nobis, sed tributa præstare: sciat se non esse populo Romano necessariam, [6] & tamen serviat. Post hæc, si volet, Nilus [b] amet alveum suum, & [7] fluminis modum servet: nihil hoc ad Urbem, ac ne ad Ægyptum quidem, nisi ut inde navigia inania & vacua, & [c] similia redeuntibus, hinc plena & onusta, & qualia solent venire, mittantur: conversoque munere maris, hinc potius [8] venti ferentes, & brevis 10 15 20

INTERPRETATIO.

e *Sed etiam refugiendo se subduxerat declivi & detinendis aquis accommoda terra, non sedato ac lento cursu; & necdum satis limi in sicca terra invenerat.*

f *Nec diutius duravit ejus calamitas, quam quoad nunciaret tibi.*

g *Et ad juvandos alios expedita.*

a *Reddidimus Nilo suas opes.*

b *Sese teneat in alveo suo, & fluminum fortuna contentus sit.*

c *Qualia olim redibant.*

NOTÆ.

7. *Amnem suum.*] Nilum, quem Ægyptii Jovem suum nuncupant.

1. *Spectari.*] Ita Lipsius. Juxta alios vero *expectare*, quod non ita placet.

2. *Non posse.*] Neque admodum immerito. Nam Josephus II. excidii Hierosol. *Ægyptus quatuor mensium annonam Urbi suppeditabat.* Et bello Punico secundo, cum vastata esset ab Annibale Italia, Romani per legatos a Ptolemæo petiere, ut frumenti sibi copia fieret, cujus in summa erant inopia. *Polyb.* Augustus Ægypto in provinciæ formam redacta, publicas ibi frumentationes instituit, unde, ut ait Victor in Augusto: *Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur.*

3. *Ventosa.*] Vopiscus in Saturnino: *Ægyptii viri ventosi, furibundi, jactantes.*

4. *In suis manibus.*] Alii *in suis navibus.*

5. *Experimento.*] Si alio modo abduci ab errore suo non potest.

6. *Et tamen serviat.*] Malim cum Livineio, *Et tantum serviat.*

7. *Fluminis modum servet.*] Non instar maris in Ægyptum exundet.

8. *Venti ferentes.*] Secundi. Sic Virgil.

cursus [9] optentur. [d] Mirum, Cæsar, videretur, si desidem Ægyptum, cessantemque Nilum, non sensisset Urbis annona, quæ tuis opibus, tua cura usque illuc redundavit, ut simul probaretur, & nos Ægypto posse, & nobis Ægyptum carere non posse. Actum erat de fœcundissima gente, [10] si libe-
5 ra fuisset; pudebat sterilitatis insolitæ, nec minus erubescebat fame, quam torquebatur; cum pariter a te necessitatibus ejus pudorique [11] subventum est. Stupebant agricolæ plena horrea, quæ non ipsi refersissent, quibusque de campis illa subvecta messis, quave in Ægypti parte alius amnis. [e] Ita beneficio tuo nec maligna tellus, & obsequens Nilus, Ægypto quidem sæpe,
10 sed gloriæ nostræ nunquam largior fluxit.

XXXII. Quam nunc juvat provincias omnes in fidem nostram ditionemque venisse, postquam contigit princeps, [1] qui terrarum fœcunditatem nunc huc, nunc illuc, ut tempus & necessitas posceret, transferret, referretque! qui [a] diremptam mari gentem, ut partem aliquam populi plebisque
15 Romanæ, aleret ac tueretur. Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta, [b] ut omnes simul terras [2] uberet, foveatque: hic omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat, hic si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat, hic æternis commeatibus [3] Orientem, Occidentemque connectit: ut quæ ubique feruntur, quæque expetuntur, omnes gen-
20 tes invicem capiant; & discant, [c] quanto libertate discordi servientibus sit utilius unum esse, cui serviant. Quippe [4] discretis quidem bonis omnium,

INTERPRETATIO.

d *Mirum fuisset si Ægyptum sterilem, arescentemque Nilum Urbis cibaria* nihilo imminuta *non sensissent: quæ tuo sumptu, tuaque providentia hinc ad Ægyptum usque affatim exportata sunt, ut intelligeretur, &c.*

e *Ita per te* factum est, ut *nec sterilis Ægyptus esset, & Nilus Ægyptiorum* votis respondens *sæpe abundantior fuerit ad Ægypti ubertatem, nunquam ad gloriam nostram.*

a *Separatam* ab Italia *mari* mediterraneo *Ægyptum.*

b U*t omnes eodem anno regiones fœcundet.*

c *Quanto satius sit iis, qui in republica libera, sed discordi servi sunt, unum esse principem cui subjecti sint, quam &c.*

NOTÆ.

Æneid. 4. 430. *Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.* Et Ovid. Trist. l. 1. eleg. 2. 73. *Ut mare subsidat ventisque ferentibus utar.* Stat. 2. Thebaid. *ferentem fortunam* appellavit pro secunda fortuna. Aliqui legunt faventibus.

9. *Optentur.*] Ab Ægyptiis ope nostra egentibus.

10. *Si libera fuisset.*] Neque enim ex Italia in Ægyptum deportata essent frumenta, nisi Romanæ ditionis fuisset.

11. *Subventum est.*] Ut patet ex numo qui hodieque extat. IMP. CÆS. NERVA TRAJANUS AUG. in parte altera. S. P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI NILUS. Ubi picta effigies Nili recubantis, cum crocodilo suo & hippopotamo *Lips.*

1. *Qui terrarum.*] Emendavi cum Livineio juxta editionem Lugdunensem, in aliis enim est, *princeps terrarum qui.*

2. *Uberet.*] Vox rara quidem, sed a Palladio l. 4. usurpata. *Hoc*, inquit, *citus steriles arbores uberabantur.* Et a Columella l. 5. c. 9. *Neque enim olea continuo biennio uberat*, id est, fœcunda est & fertilis.

3. *Orientem, occidentemque.*] Id est, terras disjunctissimas, neque enim credideram verba hæc adeo stricte accipienda.

4. *Discretis.*] Ut sit in discordi republica.

ſua cujuſque ad ſingulos mala :[1] ſociatis autem atque permixtis, ſingulorum mala ad neminem, ad omnes omnia bona pertinent. Sed[6] ſive terris divinitas quædam, ſive aliquis amnibus[7] Genius; & [d] ſolum illud & flumen ipſum precor, ut hac principis benignitate contentum, [e] molli[8] gremio ſemina recondat, multiplicata reſtituat. Non equidem repoſcimus fœnus, putet tamen eſſe ſolvendum : fallacemque unius anni fidem, omnibus annis, omnibuſque poſtea ſeculis tanto magis, quia non exigimus, excuſet. 5

XXXIII. Satisfactum, qua civium, qua ſociorum utilitatibus, viſum eſt[1] ſpectaculum inde non[2] enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret & frangeret, ſed quod ad[3] pulchra vulnera contemtumque mortis accenderet : cum in[4] ſervorum etiam noxiorumque corporibus amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur. Quam deinde in edendo[5] liberalitatem, quam juſtitiam exhibuit? [a] omni[6] affectione, aut intactus, aut 10

INTERPRETATIO.

d *Terram illam* Ægypti, *& Nilum ipſum.*
e In *gremio* ſuo *ſemina molliter* cœno *operiat.*

a *Omnis affectionis immunis, aut victor.*

NOTÆ.

5. *Sociatis.*] Sub bono principe. Laus Ariſtocratiæ.

6. *Sive terris divinitas, &c.*] Omnino. Nam terra ſub Opis, Rheæ, & Veſtæ nomine tanquam dea colebatur : imo & Gallia, Ægyptus, Italia, regioneſque ceteræ, ut ex numis patet, pingebantur, habebanturque ut deæ.

7. *Genius.*] Cuſtodes urbibus, domibus, aliiſque locis *genios* attribuit antiquitas : hominibus etiam, ſive ut generationi præeſſent, ſeu quod una gignerentur cum iis, ſeu demum quod genitos ita tuerentur regerentque : ut eos haberent ſibi in re omni cœca quadam neceſſitate obſequentes. Eam in rem videri poſſunt, *Ammianus l.* 23. *Apuleius de Genio Socratis*, *Cenſorinus* &c.

8. *Gremio &c.*] Duplex Nili gremium eſſe poteſt. 1. alveus ſolitus, in quo intra ripas ſuas continetur. 2. ſpatium illud totum, quod, cum exundavit, aquis ſuis involvit. Quo ſenſu accipi debet hoc loco.

1. *Spectaculum.*] In auſpicio regni, in publicorum operum dedicatione, poſt relatam victoriam, atque imprimis, ut notat Julius Capitolinus in Maximo & Balbino, antequam ad bellum iretur, venationes & ſpectacula dabantur militibus, ut ſic aſſueſcerent cæde, & ſanguine. Ea autem re plurimum delectatum eſſe Trajanum refert *Dio*.

2. *Enerve.*] Non hiſtrionum aut cantorum, ut ſub Nerone; ſed gladiatorum.

3. *Pulchra vulnera.*] Ovid. Metam. l. 13. v. 263. *Sunt & mihi vulnera, cives, ipſo pulchra loco.*

4. *Servorum etiam, noxiorumque.*] Duo fuerunt gladiatorum genera; alii coacti, ut ſervi & noxii, id eſt, ob facinus aliquod ad mortem damnati : alii voluntarii, qui pretio ſe addicebant, atque hi quidem dicebantur *auctorati. Lipſ.* 2. *Saturn. c.* 3.

5. *Liberalitatem.*] Uſque eo liberalis ea in re Trajanus fuit, ut dierum 123. ſpectacula populo dederit in quibus interdum gladiatores ad decem millia, & infinita prope miſſilium copia. *Dio.* Sed hæc ſeptimo tantum ejus imperii anno contigere, hoc eſt quarto poſt habitam hanc orationem. Ergo intelligendus hic locus de ſpectaculis, poſt ejus in Urbem reditum, populo datis.

6. *Affectione &c.*] Ita ut non ex inclinatione voluntatis, ut fit in hujuſmodi ſpectaculis, huic potius, quam alteri faveret, ſed quod mirificæ integritatis eſt in principe, victorem juxta arenæ leges præmio donaret.

major. Impetratum est [7] quod postulabatur, [8] oblatum quod non postulabatur: institit ultro, & ut concupisceremus admonuit. [9] Ac sic quoque plura inopinata, plura subita. Jam quam [10] libera spectantium studia, quam securus favor! Nemini impietas, ut solebat, objecta, quod odisset gla-
5 diatorem, nemo spectator spectaculum factus, miseras voluptates [11] unco & ignibus expiavit. Demens ille, verique honoris ignarus, qui [12] crimina majestatis in arena colligebat, ac se despici & contemni, nisi etiam gladiatores ejus veneraremur; sibi maledici in illis, [13] suam divinitatem, suum numen violari interpretabatur: cum se idem quod deos, idem gladiatores quod
10 se putabat.

XXXIV. At tu Cæsar, quam pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti? Vidimus delatorum agmen [1] inductum, quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed [2] templum, sed [3] forum insederant, nulla jam [4] testamenta secura, [5] nullus status certus, [6] non
15 orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia.

NOTÆ.

7. *Quod postulabatur.*] Postulari poterat a spectatoribus, ut hi potius, quam alii gladiatores producerentur: jugularetur ille, hic dimitteretur. Plinius laudat hoc loco Trajanum quod in iis rebus omnibus vulgi studiis mirum in modum obsequeretur. Adiri potest *Lipsius de Postulatitiis gladiatoribus l. 2. c. 16. & de populi petitionibus c. 22.* Quam in rem venustissime suo more Martialis l. 1. ep. 22. *Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum, promisit pariter Cæsar utraque manu.*

8. *Oblatum.*] Spectaculum, vel ante quam peteremus.

9. *Ac sic quoque.*] Et licet nos admonuisset quæ spectacula præpararet, plura tamen quam promiserat & quam sperabamus contingebant.

10. *Libera.*] Spectatorum unicuique liberum erat, cuicunque gladiatori vellet favere: neque necesse erat principis studia, ut olim, serviliter sequi.

11. *Unco & ignibus.*] Nam e gladiatoribus, qui aut cæsi, aut læsi graviter fuerant, unco ad spoliarium trahebantur: iidemque accensis facibus instigabantur, si forte mortuos se fingerent. *Risimus*, inquit Tertullianus, *Mercurium mortuos cauterio examinantem. Uncus* baculus erat oblongus, cujus in extrema parte ferrum erat incurvum, ac retortum. Quid sit vero *spoliarium* infra *n. 36. not.* 2.

12. *Crimina majestatis.*] Domitianum usque eo cædis avidum fuisse ait hoc loco Plinius, ut etiam in amphitheatro, qui locus ludis addictus erat, crimina læsæ majestatis reperiret.

13. *Suam divinitatem.*] De Domitiano loquitur, qui Martiali teste, *Dici dominus, deusque voluit*, & coli sub Alcidæ nomine.

1. *Inductum.*] In amphitheatrum productum. Ut Sueton. c. 8. refert a Tito factitatum, qui *delatores mandatoresque in foro fustibus & flagellis cæsos, novissime traductos per arenam, partim subjici ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi.*

2. *Templum.*] Ubi ærarium erat. Hic enim quia jus dicebatur, delatores grassabantur.

3. *Forum.*] Fora in Urbe tria tunc erant judiciaria. 1. Romanum, quod dicebatur magnum, in quo rostra. 2. Forum Julii Cæsaris. 3. Forum Cæsaris Augusti. De foris ubi res vænales prostabant, quæ circiter 15. erant, quia hic non agitur, nihil dico.

4. *Testamenta secura.*] *Confiscabantur* enim *alienissimæ hereditates: vel existente uno qui diceret audisse se ex defuncto, cum viveret, heredem sibi Cæsarem esse.* Sueton. in Domitiano c. 12.

5. *Nullus status certus.*] *Nam liberi in servitutem, ingenui in libertinitatem trahebantur, bono fisci.* Lipsius.

6. *Non orbitas.*] Domitianus adeo miscebat omnia, ut patres confunderet, cum or-

Advertisti oculos, atque ut ante castris, ita postea pacem foro reddidisti: excidisti intestinum malum, & provida severitate cavisti, ne fundata legibus civitas, eversa [7] legibus videretur. Licet ergo cum fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis præbuerit, ut præbuit, [a] nunc ingentia robora virorum, & pares animos; nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam; nunc secretas illas & arcanas, ac sub te [8] primum communes opes: nihil tamen gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit [9] desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. Agnoscebamus & fruebamur, cum velut [10] piaculares publicæ solicitudinis victimæ, [11] supra sanguinem noxiorum, ad lenta supplicia gravioresque pœnas ducerentur. Congesti sunt in navigia [b] raptim conquisita, ac tempestatibus dediti. [12] Abirent, fugerentque vastatas delationibus terras: ac si quem fluctus ac procellæ scopulis reservassent, hic nuda saxa & inhospitale litus incoleret: ageret duram & anxiam vitam, [c] relictaque post tergum totius generis humani securitate mœreret.

XXXV. [a] Memoranda facies, delatorum [1] classis permissa omnibus ventis, coactaque vela tempestatibus pandere, iratosque fluctus sequi, quoscunque in scopulos detulissent. Juvabat prospectare statim [2] a portu sparsa navigia, & apud illud ipsum mare agere principi gratias, qui [b] clementia sua salva, ultionem hominum terrarumque diis maris commendasset.

INTERPRETATIO.

a *Modo gladiatores corpore robustissimo, nec animo impari: modo feroces belluas, modo ad stuporem mansuetas.*

b *Sumpta sine ullo delectu, ac maritimis fluctibus traditi sunt.*

c *Relictisque post abitum suum ceteris in tuto,* soli ipsi *ægram vitam agerent.*

a *Memorabile spectaculum.*

b *Ut nihil faceret contra clementiam sibi innatam, hominum terrarumque diis vindictam commisisset.*

NOTÆ.

bis, qui semissem tantum hæreditatis accipiebant, & orbos cum cælibibus, qui hæredes esse non poterant.

7 *Legibus.*] Quarum vel interpretatione delatores, vel auctoritate avari principis ad locupletium domos aut hæreditates expilandas nefarie abutebantur. *Tacit. Annal. l. 3. c. 25.*

8. *Primum communes.*] Unde salse Martialis l. 12. ep 15. *Quidquid Parrhasia nitebat aula, donatum est oculis, deisque nostris ..... omnes cum Jove nunc sumus beati: at nuper (pudet ac piget fateri) omnes cum Jove pauperes eramus.*

9. *Desuper.*] Ex amphitheatro, dum ii per arenam in paratas naves traherentur.

10. *Piaculares victimæ.*] Dicuntur eæ quæ ad aliena scelera pianda immolabantur. Hic autem Plinius piaculares publicæ solicitudinis victimas appellat delatores, quorum nece qui sibi ab iis timere antea potuerant, hac cura levabantur.

11. *Supra sanguinem.*] Super cadavera aut vestigia gladiatorum, inquit *Lipsius*. Crediderim ego eorum quos falsis delationibus suis noxios fecissent.

12. *Abirent, fugerentque.*] Hæc sunt imprecantis verba, ut mox n. 35. *Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent: expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur.*

1. *Classis permissa ventis.*] In aspertimas insulas deportabantur gravium scelerum rei; aut etiam ludibrium ventis dabantur.

2. *A portu.*] Ostiensi, *inquit Catanæus.*

Quantum diversitas temporum posset, tum maxime cognitum est: cum iisdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus, affigeretur; cumque insulas omnes, quas modo senatorum, jam delatorum turba compleret, quos quidem non in præsens tantum, sed in æternum repressisti[c] mille pœnarum[3] indagine inclusos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent. Expellere penatibus gestiunt?[4] suis exturbentur. Neque, ut antea,[5] exsanguem illam & ferream frontem,[6] nequicquam convulnerandam præbeant[7] punctis, & notas suas rideant: sed [8]spectent[9] paria præmio damna, nec majores spes quam metus habeant, timeantque quantum timebantur. Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostræ ultionique prospexerat,[10] ideoque numinibus æquatus est: sed quanto tu quandoque dignior cœlo, qui tot res illi adjecisti, propter quas illum deum fecimus? Id hoc magis arduum fuit, quod imperator Nerva te filio, te successore dignissimus, perquam magna quædam[11] edicto Titi astruxerat, nihilque reliquisse tibi videbatur: qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inventum.[d] Quæ singula quantum tibi gratiæ dispensata adjecissent? at tu simul omnia profudisti: ut sol & dies non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.

INTERPRETATIO.

c *Innumerorum suppliciorum* quasi *laqueis cinctos*.

d *Quæ singula sigillatim dicta, quantum gratiæ tibi conciliassent.*

NOTÆ.

3. *Indagine.*] Creber est in metaphoris Plinius. Hæc ducta est a venatoribus, qui circumpositis retibus feras includunt, &, ut ait Virgil. Æneid. l. 4. 121. *saltus indagine cingunt*.

4. *Suis exturbentur.*] Talionis pœna; prout sancitum ante ab Augusto fuerat, & ab Trajano instauratum refert Martialis lib. de spectaculis ep. 4. *Et delator habet quod dabat exilium.*

5. *Exsanguem.*] Sine sanguine, id est, non erubescentem, inverecundam frontem.

6. *Nequicquam.*] Neque enim ab calumniando homines improbissimi absterrebantur his pœnis; quas potius ridebant, cum plus ab avaritia principum sperarent quam metuerent.

7. *Punctis.*] Id est, characteribus, uti lege Rhemmia cautum erat, nempe litera K, quæ Kalumniam, sic enim antiquitus scribebatur, designaret. Quo fit ut Tullius *integræ frontis hominem* appellet eum qui calumniator non sit. *pro Roscio Amer.*

8. *Spectent.*] Credo pro *expectent* ex Plinii consuetudine.

9. *Paria præmio.*] Delatoribus quarta bonorum pars ejus, quem accusarant, obtingebat: eadem vero mulcta delatores ipsi puniebantur ex lege Rhemmia, si, quod objecerant aliis, probare non possent. Andreas vero Schottus legit, *sed spectent paria in prælia damna*, ut prælium vocet Plinius accusationes illas calumniatorias: quomodo Tullius ad Atticum l. 1. ep. 15. vehementer se præliatum dicit, quandiu senatus auctoritas defendenda fuit.

10. *Ideoque numinibus.*] Certe quidem Plinius *supra n.* 11. Titum dixit inter deos idcirco relatum a Domitiano, ut ipse dei frater haberetur. Quid ergo? an pugnat secum? minime vero, sed Domitianus id fecit, ut ea in re ambitioni suæ serviret: senatus vero id ratum habuit, ut pro præstita sibi a Tito securitate gratus videretur.

11. *Edicto Titi.*] Quomodo Titus delatores punierit, extat apud Sueton. c. 8.

XXXVI.

XXXVI. Quam juvat cernere [1] ærarium [a] silens & quietum, & quale ante delatores erat? nunc templum illud, nunc vere deus, non [2] spoliarium civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum: ac toto in orbe terrarum adhuc [3] locus unus, in quo, [b] optimo principe, boni malis impares essent. [c] Manet tamen honor legum, nihilque ex publica utilitate convulsum: [4] nec pœna cuiquam remissa, sed addita est ultio, solumque mutatum quod jam non delatores, sed leges timentur. At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes: imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Dicitur [5] actori atque etiam procuratori tuo, [6] In jus veni, sequere ad tribunal, nam tribunal quoque [7] cruciatu est par ceteris, nisi illud litigatoris amplitudine metiaris. [8] Sors & urna fisco judicem assignat. Licet rejicere, licet exclamare, Hunc nolo, timidus

INTERPRETATIO.

a *Sine litium strepitu.*
b Sub *optimo Trajano.*
c *Suam tamen majestatem retinent leges* fiscales, *& nihil ex publica pecunia direptum est.*

NOTÆ.

Quod vero edictum tulerit, nusquam, opinor, reperitur. Hinc tamen patet edictum a Tito sancitum primo, a Trajano subinde tam sapienter perfectum, ut prope illius auctor haberi posset.

1. *Ærarium.*] Locus ubi reponebatur publica pecunia. Is erat Saturni templum, fortasse quod in ejus dei tutela positum tutius videbatur, cujus in regno ac tempore furtum nullum factum fuisse crederetur.

2. *Spoliarium.*] Proprie locus, in quo ingressuri balnea vestes exuebant. Rei similitudine sic dictus est locus, ubi gladiatorum vestes, & ornamenra servabantur: aut quo deferebantur ipsi, si cæsi forent: vel ut sanarentur, si vulnerari rantum: vel si vitæ spes nulla, ut ibidem interficerentur. Videri potest *Lampridius in Commodo. Seneca ep.* 93. Hic autem *spoliarium* metaphorice sumitur.

3. *Locus unus.*] Saturni ædes, ubi, quæ principis bonitas est, qui ærarii partes tuentur, etiam damno principis, contra malos & fraudatores causam sæpe amittunt. Hic Plinius, ut interdum fit apud jurisconsultos, ærarium sumit pro fisco. Præterquam quod enim non esset in principe laudandum, si ærarium negligeret, haud dubie hujus loci explicatio est, quod mox addit, *quæ principis gloria est, sæpius vincitur fiscus.*

4. *Nec pœna.*] Non sublatæ leges, quibus cautum erat, ut mali punirentur, sed aliæ additæ sunt, ut delatores, quibus ante ampla sceleris sui merces dabatur, mulctarentur.

5. *Actori.*] *Actor* in familiis dicebatur, qui res, rationesque heri administrabat: in republica vero *Actor principis*, qui rem principis curabat. Differt a *procuratore* qui itidem principis rem procurabat. 1. Quod actor sine jurisdictione esset. 2. Quod esset sub procuratore; qui si amplis possessionibus exigendis & procurandis præerat, plures sub se habebat actores. Sin minus, unum tantum, aut etiam interdum idem actor, & procurator erat.

6. *In jus veni.*] Sunt & aliæ formulæ in jus vocandi, ut, *In ius eamus. Ambula in jus. In jus te voco. Sequere me.* Hæc apud Plautum, Senecam, Martialem &c.

7. *Cruciatu est par ceteris.*] Sensus est: Excogitatum est tribunal par severitate ceteris. Quod si cum Lipsio legeris, *principatui*, sensus erit: Fisci tribunal excogitatum est pro principe, id est, ubi de principis rebus ageretur, & ubi perinde atque in ceteris tribunalibus jus redderetur: nisi quod aliis nobilius erat, cum propter causas fiscales, de quibus ibi ageretur, tum propter judices, qui Cæsaris personam illic sustinerent. Nam quod Puteani editio habet *cruciaturi*, mihi quidem probari non potest.

8. *Sors & urna.*] Nota rationem eli-

est, & bona seculi parum intelligit: illum nolo, quia Cæsarem fortiter amat.[d] Eodem foro utuntur principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria est,[9] sæpius vincitur fiscus: cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum, majus illud, quod eos[10] procuratores
5 habes, ut plerumque cives tui non alios judices malint. Liberum est autem disceptanti dicere, noli eum eligere: neque enim ullam necessitatem muneribus tuis addis, ut qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam si[e] illis & non uti liceat.

XXXVII. [1] Onera imperii pleraque vectigalia institui,[a] ut pro utili-
10 tate communi, ita singulorum injuriis coegerunt. [b] His[2] Vicesima reperta est, tributum tolerabile & facile hæredibus dumtaxat[3] extraneis, domesticis

INTERPRETATIO.

d *Eisdem fori legibus se subdit princeps & liber populus.*
e *Si fas est illis uti, vel non.*

a *Propter utilitatem communem, sed cum detrimento singulorum.*
b *Propter hæc.*

NOTÆ.

gendorum judicum. Prætor in urnam conjiciebat eorum nomina, quos ad judicia ejus anni elegisset, ac forte eum educebat numerum, quem lex ipsa præscribebat. Plinius vero laudat hic Trajani humanitatem, qui, absimilis tyrannis, quibus mos erat in causis fiscalibus subornatos judices apponere, actoribus suis nihilo secius atque ceteris volebat sorte & urna judices assignari: facta insuper populo potestate hunc, vel illum rejiciendi, si aut nimium timidus foret, nec illorum temporum libertate uti posset, aut nimium imperatori addictus videretur. Quare mox addit: *Eodem foro utuntur principatus & libertas*, id est, easdem fori leges observant princeps, & liber populus.

9. *Sæpius vincitur fiscus.*] *Sit interdum causa mala fisci, ut bonus princeps esse videatur.* Cassiod. l. 1. ep. 22. ad fisci advocatum. Laudatur apud Capitolinum M. Antonini philosophi abstinentia, quod in judiciis nunquam fisco faveret.

10. *Procuratores habes.*] Si quis Cæsaris actori litem intentaret, causa hæc apud procuratorem Cæsaris agebatur: sin actor ipse litem alicui movebat, causa ad provinciæ præsidem pertinebat. Plinius autem ait Cæsaris procuratores tam integræ fidei habitos esse, ut etiamsi magis addicti essent Cæsari, quam præsides provinciarum, rei tamen non alios judices mallent. Sed hoc adulatorie magis, quam vere. Nam si Aur. Victori credimus, *Pompeia Plotina incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani: cujus procuratores cum provincias calumniis agitarent, illa conjugem corripuit atque increpavit, quod laudis esset incuriosus, &c.*

1. *Onera imperii.*] Id est, sumptus publici: seu, ut vocat Tacitus, imperii necessitates.

2. *Vicesima reperta:*] Ab Augusto an. V. C. 759. ut ærario militari prospiceret; *Dio l. 55. in actis ejus anni:* & ab eodem 7. post anno non sine difficultate firmata. Quanquam multo ante, nempe an. V. C. 397. Cn. Manlius manumissorum Vicesimam instituerat, de qua Liv. 7. Unde *aurum Vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur.* Livius. 27. & *Vicesimarii* qui illud colligebant. Erat præterea rerum venalium Vicesima. Sed hic de hæreditatum Vicesima tantum agitur.

3. *Extraneis, domesticis.*] Hæredes alii *domestici*, qui & *sui*, & *necessarii* dicebantur. Atque hi liberi erant, qui in potestate patris fuissent tempore delatæ hæreditatis. Sic dicti, quia vivo patre quodammodo rerum paternarum domini esse crederentur, eoque mortuo nihil acquirerent de novo, sed continuaretur dominium in ipsorum persona. Iidem etiam *necessarii* dicti, quod repudiare hæreditatem non possent. Alii vero *extranei* hæredes dicebantur: vel quia non erant

grave. Itaque [4] illis irrogatum est, his remissum: videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, [b] destringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, [5] gentilitate, [6] sacrorum denique societate meruissent; quæque nunquam ut aliena & speranda, sed ut sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Hæc mansuetudo legis [7] veteribus civibus servabatur: novi, seu per Latium in civitatem, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur quibus conjunctissimi fuerant. [c] Ita maximum beneficium vertebatur in gravissimam injuriam, civitasque Romana instar erat odii, & discordiæ, & orbitatis, cum carissima pignora, salva ipsorum pietate distraheret. Inveniebantur tamen, quibus

INTERPRETATIO.

b *Auferri aliquid, & decerpi ex hæreditate, quæ sibi jure sanguinis, gentis, & religionis debebatur.*

c Jus *Romanæ civitatis simile erat odio, discordiæ, & orbitati: siquidem carissimos filios ab hæreditate patris repelleret, licet nihil contra putatem peccassent.*

NOTÆ.

in potestate, aut qui erant in potestate, sed non erant in proximiori gradu. Sic *extranei* & *domestici* opponuntur.

4. *Illis irrogatum est.*] Vicesimalis tributi acerbitas variis modis accisa & temperata fuit. Ejus tributi auctor Augustus voluit, ut ad extraneos tantum hæredes pertineret, non ad domesticos, sed cum hac exceptione, si modo illi domestici hæredes, *veteres* cives essent: nam si *novi* erant, Vicesimam fisco pendere cogebantur, nisi forte iidem cognationis literas seorsum a principe accepissent. Nerva exceptionem illam aliquatenus sustulit: matrem enim in liberorum hæreditate, & vicissim liberos; filium in parentis bonis, si modo redactus esset in patris potestate, gaudere eadem immunitate voluit, absque his literis. Trajanus vero & Augusto & Nerva liberalior sanxit, 1. ut quemadmodum in patris filius, ita in hæreditate filii pater immunis esset, sive filius mortuus fuisset in patris potestate, sive non. 2. ut frater, avus, avia, neptis, nepósque & invicem, absque deductione Vicesimæ hæredes esse possent. 3. exiles hæreditates exemit, ad quoscunque hæredes pertinerent; sive illi essent extranei sive domestici, ideoque summam definiit, infraquam publicano nihil deberetur. 4. ut qui ex iis capitibus quæ correxit a die edicti Vicesimam fisco debuerant, eam solvere non cogerentur.

5. *Gentilitate.*] *Gentiles* dicuntur qui ex eodem sanguine procreati sunt, habent idem nomen, & per diversas stirpes, ex eadem progenie ortum ducunt. *Agnati* vero qui sunt ex eodem sanguine, habent idem nomen, ex eadem stirpe oriuntur, suntque ejusdem familiæ.

6. *Sacrorum denique societate.*] Singulis familiis sua erant sacra. Unde filius in familia patris, & filius in sacris patris, pro eodem sunt apud Jurisconsultos.

7. *Veteribus civibus.*] *Veteres cives*, id est, jam pridem in urbem recepti: quibus opponuntur *novi*. *Veteres* erant immunes a Vicesima, proindeque censebantur habere inter se jura cognationis. *Novi* autem, sive illi per Latium (hoc est, jure Latii, *quo coloniæ donabantur civitate Romana petendi magistratus gratia.* Ascon. Pedianus ad orat. in Pison.) seu beneficio principis in civitatem venissent (quam duplicem viam in civitatem veniendi opponit hoc loco Plinius) non habebant inter se jura cognationis, nisi literas eam ad rem a principe seorsum accepissent: Ideo quando inter eos filius succedebat patri, succedebat tanquam extraneus hæres, ideoque Vicesimam hæreditatis fisco solvere cogebatur, tanquam extraneus; donec Trajanus singulari sua munificentia hos novos cives, itidem uti veteres, a præstatione Vicesimæ immunes fecit.

F ij

tantus amor nominis nostri inesset, ut Romanam civitatem non Vicesimæ modo, verum etiam affinitatum damno bene compensari putarent: sed iis maxime debebat gratuita contingere, a quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis
5 pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, cum civitatem adipiscerentur, ejus Vicesimam ne darent. Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo redactus esset in patris potestatem: ratus improbe & insolenter, ac pene impie, his nominibus inseri publicanum, nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente
10 Vicesima scindi, nullum esse tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos.

XXXVIII. Hactenus ille, parcius fortasse quam decuit optimum principem, sed non parcius quam optimum patrem; qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quod [a] delibasse quædam
15 seu potius demonstrasse contentus, largam ac prope intactam benefaciendi materiam filio reservavit. Statim ergo [b] muneri ejus liberalitas tua astruxit, ut quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filii pater esset immunis, nec eodem momento quo pater esse desisset, [1] hoc quoque amitteret quod fuisset. Egregie Cæsar, quod lacrymas parentum vectigales esse non pate-
20 ris. Bona filii pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat, [2] qui non habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem [3] ad computationem vocet, cogatque patrem quid reliquerit filius scire. Augeo P. C. principis munus, [c] cum ostendo liberalitati ejus inesse rationem: ambitio enim, & jactantia, & effusio, & quidvis potius quam liberalitas exi-
25 stimanda est, [d] cui ratio non constat. Dignum ergo imperator mansuetudine tua, minuere orbitatis injurias, nec pati quemquam filio amisso insuper affici alio dolore. Sic quoque [4] abunde misera res est, pater filio solus hæres: quid si cohæredem non a filio accipiat? Adde, quod cum divus Nerva sanxisset, ut in paternis bonis liberi [e] necessitate Vicesimæ solverentur,
30 congruens erat eandem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere;

INTERPRETATIO.

a *Leviter attigisse aliqua, seu potius ostendisse satis habens.*

b *Nervæ beneficio liberaliter adiecisti, ut &c.*

c *Cum expono causam tantæ liberalitatis.*

d *Quæ sit sine causa* honesta.

e *Immunes essent a pendenda Vicesima.*

NOTÆ.

1. *Hoc quoque amitteret.*] Id est, privaretur eo fructu, qui juxta naturæ leges ex filii hæreditate redire ad eum deberet.

2. *Qui non habet luctus.*] Melius alii *quem non habet luctus*, id est, publicanum, ad quem illius mortis dolor non pertinet.

3. *Ad computationem.*] Ad subducendam rationem bonorum filii, ut Vicesima principi pendatur.

4. *Abunde misera res est.*] Satis gravis est patri filii mors, etiamsi solus ipsius hæres sit. Quid, si cohæredem aliquem non testamento filii datum aut affinem, sed publicanum habeat?

Cur enim posteris amplior honor, quam majoribus haberetur? curve non retro quoque recurreret æquitas eadem? Tu quidem, Cæsar, illam exceptionem removisti, [5] si modo filius in potestate patris fuisset, intuitus opinor vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit, nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit. 5

XXXIX. Nec vero contentus [1] primum cognationis gradum abstulisse Vicesimæ, secundum quoque exemit, cavitque ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, utque avus, avia in neptis nepotisque & invicem illi, servarentur immunes. His quoque, quibus [2] per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit: omnibusque inter se cognationum jura commisit, simul & pariter, & more naturæ, quæ priores principes a singulis rogari gestiebant, [a] non tam præstandi animo, quam negandi. Ex quo intelligi potest quantæ benignitatis, [3] quanti spiritus fuerit sparsas, atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere, & quasi renasci jubere: deferre quod negabatur, atque id præstare cunctis, quod sæpe singuli non impetrassent: postremo ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi [4] imputandique materiam. Indignum credo ei visum, ab homine peti, quod dii dedissent. Sorores estis & frater, avus & nepotes: quid est ergo [5] cur egetis? ut sitis, vobis estis. Qui pro cetera sua moderatione, non minus invidiosum putat [6] dare hæreditatem, quam auferre. Læti ergo adite honores, capessite civitatem, [b] neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatumque destituet: iisdem omnes quibus ante [c] pignoribus, sed honestiores perfruentur. [7] Ac ne remotus quidem jamque deficientis affinitatis gradus, a qualibet quantitate [d] Vicesimam inferre cogetur, statuit enim communis omnium parens [8] summam, quæ publicanum pati possit. 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Non tam voluntate eos concedendi, quam recusandi.*

b *Nullum hac cognationis dissociatio tanquam abscissum atque separatum* hæreditate paterna *privabit.* c *Juribus.*

d *Vicesimam pendere.*

NOTÆ.

5. *Si modo.*] Hæc verba erant in edicto Nervæ, sed Trajanus Nerva melior, hanc exceptionem sustulit.

1. *Primum.*] In 1. cognationis gradu censentur pater, mater, liberi. In 2. Frater, soror, avus, avia, neptis, & nepos. Vide *Gaium de variis affinitatum gradibus.*

2. *Per Latium.*] Supra n. 37. not. 7.

3. *Quanti spiritus.*] Quantæ excelsitatis animi.

4. *Imputandique &c.*] Supra n. 20. not. 4.

5. *Cur egetis.*] Beneficio principis *ut sitis* id quod jam *vobis estis*, nempe consanguinei. Livineius legit. *cur rogetis*, id est, cur aliquid a me præterea postuletis.

6. *Dare hæreditatem.*] Totam hæreditatem capere, & hæredum damno dare ad arbitrium: *quam auferre*, id est, quam Vicesimam partem ex ea decerpere.

7. *Ac ne remotus quidem.*] Quartus aut quintus affinitatis gradus. *Deficiens* vero septimus.

8. *Summam.*] Quam porro? nullibi, quod sciam, extat. Certe quidem modicas hæreditates exemit; ut clarius mox dicetur.

XL. Carebit onere Vicesimæ parva & exilis hæreditas: & si ita gratus hæres volet, tota sepulcro, tota funeri servetur, nemo [1] observator, nemo castigator assistet. [2] Cujuscunque modi ea pecunia ex hæreditate alicujus obvenerit, securus habeat quietusque possideat. Ea lex Vicesimæ dicta
5 est, [a] ut ad periculum ejus perveniri nisi opibus non possit. Conversa est iniquitas in gratulationem; injuria in votum: optat hæres [3] ut Vicesimam debeat. Additum est, ut qui ejusmodi ex causis in diem edicti Vicesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. [4] At in præteritum subvenire ne dii quidem possunt, tu tamen subvenisti cavistique, ut desineret
10 quisque debere, quod non esset postea debiturus. Idem fecisti ne malos principes habuissemus: quo ingenio, si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem & bona refudisses? Vetuisti exigi, quod deberi non tuo seculo cœperat. Alius, ut [5] contumacibus, irasceretur, tarditatemque solvendi, dupli vel etiam quadrupli irrogatione mulctaret:
15 tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas, ut debeatur?

XLI. [1] Feres, Cæsar, curam & sollicitudinem consularem: nam mihi cogitanti eundem te [2] collationes remisisse, [3] donativum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse, interrogandus videris,
20 satisne computaveris imperii reditus? an tantas vires habeat frugalitas principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat? Nam quid est causæ, cur aliis quidem cum omnia raperent, & rapta retinerent, ut si nihil rapuissent, nihil detinuissent, defuerint omnia? tibi cum tam multa

INTERPRETATIO.

a *Ut nemo posset venire in illud discrimen, nisi* hæres magnarum *opum.*

NOTÆ.

1. *Observator.*] Nemo qui principis nomine sumptus observet, judicetque, an Vicesima rite data sit?

2. *Cujuscunque.*] Id est, sive domesticus sit, sive extraneus is, a quo obtigit hæreditas, modo ut ea exilis sit. Pro *alicujus* Lipsius legit *alicui.*

3. *Ut Vicesimam debeat.*] Signum enim est opimæ hæreditatis.

4. *At in præteritum.*] Emendare præteritum ne dii quidem possunt, aut quæ facta semel fuerint, infecta reddere, inquit apud *Aristotelem Agathon comicus.* Ea autem Trajani remissio, cujus hodieque Romæ extat insignis inscriptio.

5 *Contumacibus.*] Cod. de Jud. *Contumax qui tribus edictis propositis, vel uno peremptorio evocatus præsentiam sui non facit.* Hi, & qui in solvendo tardi essent, dupli & quadrupli irrogatione mulctabantur.

1. *Feres, Cæsar.*] Tu itaque ærarii curam, quam gerere consul debeo, in te transtulisti.

2. *Collationes.*] Puta aurum coronarium seu dona initio imperii a provinciis conferri solita. De Juliano Ammianus l. 25. c. 14. *Coronarium indultum & remissa debita multa diuturnitate &c.* Idipsum de Hadriano Spartianus, Capitolinus de Antonino Pio refert. De auro coronario dixi supra n. 17. not. 3.

3. *Donativum.*] Certa pecuniæ summa, quam imperator vel cum iniret imperium, vel ob relatam victoriam vel demum ob aliquam aliam celebritatem militibus erogabat.

largiaris, & nihil auferas, omnia superſint?[4] Nunquam principibus defuerunt, qui fronte gravi & triſti ſupercilio utilitatibus fiſci contumaciter adeſſent: & erant principes ipſi ſua ſponte avidi & rapaces, & qui magiſtris non egerent: plura tamen ſemper a nobis contra nos didicerunt, ſed ad tuas aures, cum ceteris omnibus, tum vel maxime avaris adulationibus obſtructus eſt aditus. Silent ergo & quieſcunt, & poſtquam non eſt cui ſuadeatur, qui ſuadeant non ſunt. Quo evenit, ut tibi cum plurimum pro tuis, plus tamen[5] pro noſtris moribus debeamus.

XLII. Locupletabant & fiſcum & ærarium non tam[1] Voconiæ & Juliæ leges, quam majeſtatis ſingulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacarent. Hujus tu metum penitus ſuſtuliſti, contentus magnitudine: qua nulli magis caruerunt, quam qui ſibi majeſtatem vindicabant.[2] Reddita eſt amicis fides, liberis pietas, obſequium ſervis: verentur, & parent, & dominos habent: non enim jam ſervi principis noſtri amici, ſed nos ſumus; nec pater patriæ alienis ſe mancipiis cariorem, quam civibus ſuis credit. Omneis accuſatore domeſtico liberaſti, unoque ſalutis publicæ ſigno illud, ut ſic dixerim,[3] ſervile bellum[4] ſuſtuliſti. In quo non minus ſervis, quam dominis præſtitiſti: hos enim ſecuros, illos bonos feciſti. Non vis interea laudari,[5] nec fortaſſe laudanda ſint, grata ſunt tamen recordantibus principem illum in capita dominorum ſervos ſubornantem, monſtrantemque crimina, quæ tanquam delata puniret: magnum & inevitabile, ac toties cuique experiendum malum, quoties quiſque ſimiles principi ſervos haberet.

XLIII. In eodem genere ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt: nec unus omnium[1] nunc, quia ſcriptus hæres. Non tu falſis,

NOTÆ.

4. *Nunquam principibus defuerunt.*] Inveſtigatores ingenioſe mali, in omnem fiſci, ſimulque privatæ rei per fas & nefas augendæ occaſionem intenti.

5. *Pro noſtris moribus.*] Quod nemo e nobis improbos illos imitetur.

1. *Voconiæ.*] Lege Julia, & Papia quoties duo erant hæredes inſtituti, quorum unus ante apertas teſtamenti tabulas moreretur ejus portio non accreſcebat cohæredi, ſed fiebat caduca & addicebatur fiſco. Caduca enim dicebatur, eo quod ex perſona cohæredis defuncti caderet in fiſcum. Eadem lege bona eorum qui ſine ſucceſſore decedebant, fiſco addicebantur uti hodieque fit. Ac quoque lege quæ erant in cauſa caduci, ad fiſcum devolvebantur. In cauſa autem caduci erant ea, quæ deficiebant vivo teſtatore. v. g. ſi duobus fundus legatus fuiſſet, & unus ex legatariis mortuus fuiſſet vivo teſtatore, ejus portio erat in cauſa caduci, nec accreſcebat collegatario, ſed cadebat in fiſcum.

2. *Reddita eſt.*] Cum delatores acerbe accepiſti.

3. *Servile bellum.*] Quod ſervi apud principem dominis ſuis intentabant. Alluſio eſt ad ſervile bellum, quod duplex fuit: alterum in Sicilia an. v. c. 619. ducibus Euno & Cleone ſervis: alterum Capuæ an. v. c. 681. Spartaco duce. *Livius, Florus, Eutrop.* &c.

4. *Suſtuliſti.*] De Trajano enim Dio. *Servos & libertos quicunque inſidiati dominis fuiſſent, omnes interfecit, atque iis, nec aliud quodvis crimen inferre, aut accuſare dominos permiſit.*

5. *Nec fortaſſe.*] Neque fortaſſe ejuſmodi ſunt ea, ut laudari admodum debeant.

1. *Nunc, quia ſcriptus hæres.*] Locus haud

non tu [2] iniquis tabulis advocaris : [a] nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit : nec quia offendit alius [3] nuncuparis, sed quia ipse meruisti. [b] Scriberis [4] ab amicis, ab ignotis prætereris : nihilque inter privatum & principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris, nam & plures amas. [c] Tene, Cæsar, hunc cursum, & probabitur experimento, sitne feracius & uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, si hærede illo mori homines velint, quam si cogantur. [5] Donavit pater tuus multa, & ipse donasti : [6] cesserit parum gratus ; manent tamen ii qui bonis ejus fruuntur, nihilque ex illis ad te nisi gloria redit, nam liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. Sed quis ante te laudem istam pecuniæ prætulit? [7] quotusquisque principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit, quod esset de suo? nonne ut regum, ita Cæsarum munera, [8] illitos cibis hamos, opertos præda laqueos,

INTERPRETATIO.

a *Nemo per iracundiam, aut impietatem, aut insaniam in te hæreditatem transfert : nec propter alterius offensionem hæres scriberis.*

b *Amici hæredem te faciunt, ignoti te prætermittunt.*

c *Serva, o Cæsar, hanc agendi rationem & cognosces experientia utrumne principi utilius sit & abundantius non solum ad laudem, sed & ad pecuniam* colligendam *si* &c.

NOTÆ.

dubie corruptus. Lege cum Lipsio, & Grutero *nunquam scriptus hæres*. Sensus erit : Nec tu, ut Domitianus, *unus* es hæres *omnium*, licet *nunquam* ab ullo *hæres scriptus* sis. Nam ille ex qualibet scriptura, cui juris auctoritas deesset, aut etiam ex testimonio cujuslibet hominis, qui imperatorem ab aliquo institutum esse hæredem diceret, continuo in hæreditatem quasi pro suo jure involabat. Trajanus vero pecuniæ non ita avidus nullam hæreditatem vendicabat sibi, nisi hæres rite scriptus esset.

2. *Iniquis tabulis.*] In quibus contra jus fasque legitimorum hæredum nulla mentio esset.

3. *Nuncuparis.*] Hæredem nuncupare, est, non scripto, sed viva, ut aiunt, voce declarare. Quod fieri oportebat palam, & quidem adhibitis septem testibus.

4. *Ab amicis.*] Sic Augustus *viginti proximis amicis, quater decies LL.S. ex testamentis amicorum percepit.* Suet.

5. *Donavit pater tuus.*] Nerva, *qui & bona omnia, quæ extabant, & Domitianus inique abstulerat, dominis reddidit & plebi Romanæ agros emit, ac divisit.* Dio.

6. *Cesserit &c.*]Id est, etsi aliquis discesserit e vita parum gratus erga te An, ut suspicatur Lipsius, legendum *aliquis hæc ceperit parum gratus*? Sed tamen scrupulus aliquis residere potest, propter ea quæ sequuntur. Quare totus hic locus apte videtur sic a Livineio correctus ; *cesserint*, nempe & tua, & patris dona, *parum gratis* : *manent tamen*, id est, supersunt, *qui bonis tuis fruuntur*, id est, hæredes eorum qui maximis a te beneficiis affecti, te in testamento suo præterierint, atque id impune, quod sub aliis principibus non fiebat.

7. *Quotusquisque.*] Quis porro princeps ad se pertinere non existimavit patrimonia ipsa nostra, eam ob rem quod populis vel a se, vel a majoribus suis nonnihil datum esset?

8. *Illitos cibis hamos.*] Comparat munera hamis, & laqueis, hæreditates piscibus. Nam ut pisces hamis, quos voraverunt, & laqueis quibus hærent impliciti, attrahuntur ; ita mali principes propter munera in privatos collata, omnes eorundem facultates sibi vendicabant. Notum autem illud, *munera hamos imitari.*

æmulabantur?

æmulabantur? cum privatis facultatibus[9] velut hausta & implicata, retro secum, quidquid attigerant, referrent.

XLIV. Quam utile est ad usum secundorum per adversa venisse? Vixisti nobiscum,[1] periclitatus es, timuisti:[2] quæ tunc erat innocentium vita, scis & expertus es, quantopere detestentur malos principes,[3] etiam qui malos faciunt. Meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. [a] Nam privato judicio principem geris, meliorem imo te præstas, quam tibi alium precabare. [b] Itaque sic imbuti sumus, ut quibus erat summa votorum, melior pessimo princeps, jam non possimus nisi optimum ferre. Nemo est ergo tam tui, tam ignarus sui, ut locum ipsum post te concupiscat. Facilius est ut esse aliquis successor tuus possit,[4] quam ut velit. Quis enim curæ tuæ molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipse es, quam sit onerosum succedere bono principi: & afferebas excusationem[5] adoptati. An prona parvaque sunt ad æmulandum,[c] quod nemo incolumitatem turpitudine[6] rependit? Salva est omnibus vita, & dignitas vitæ: nec jam consideratus ac sapiens, qui ætatem in tenebris agit. Eadem quippe sub principe virtutibus præmia, quæ in libertate: nec benefactis tantum[7] ex conscientia merces. Amas constantiam civium,[d] rectosque ac vividos animos, non, ut alii, contundis ac deprimis; sed foves & attollis. Prodest bonos esse,[8] cum sit satis abundeque, si non nocet.

INTERPRETATIO.

a Talis *enim es princeps* qualem *privatus judicabas* principem esse debere.

b *Quare ita* tuis virtutibus *assuevimus.*

c *Quod nemo vitam suam flagitiis redimat.*

d *Erectos & alacres.*

NOTÆ.

9. *Velut hausta & implicata*] In Puteana editione legitur *multiplicata.* Magis placent, qui habent *implicata*, hoc enim maxime hamis & laqueis convenit, qui cum mari velut hauriantur, secum ea omnia, quibus sunt adnexi, referunt.

1. *Periclitatus es.*] Sub Domitiano principe, cum privatus eras.

2. *Quæ tunc erat &c.*] Hæc enim erat bonorum virorum sors & conditio, nempe periclitari, & timere.

3. *Etiam qui &c.*] Adulatores, dum principum scelera laudant.

4. *Quam ut velit.*] Ne tam quidem. Hadrianus enim id maxime voluit, neque destitit Plautinæ Trajani uxoris operam interponere, donec Cæsar creatus id consecutus est, ut Trajano succederet.

5. *Adoptati.*] Gruteri emendationem sequor: sensus vero est. Vix adductus es ut Nervæ succederes, quamvis id non tam sponte tua faceres, quam adoptione assertus & veluti coactus. In aliquibus codicibus est *adoptanti*: id est, hanc ipsam excusationem Nervæ te adoptanti afferebas. In aliis est *adoptari.*

6. *Rependit.*] Nemo flagitiosus esse cogitur, ut gratus sit principi, vitamque tueatur. Quomodo sub Domitiano, de quo Suet. c. 10. *Duos venia donavit, qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant.*

7. *Ex conscientia.*] Bona conscientia præmium quidem est virtutis amplissimum: sed sub bono principe sola virtutis merces esse non debet. Sub Trajano certe amplissimi quique honores in viros probos conferebantur.

8. *Cum sit satis.*] Cum habita ratione superiorum temporum, satis esse debere unicui-

His honores, his [9] sacerdotia, his provincias offers; hi amicitia tua, hi judicio florent: [10] acuuntur isti integritatis & industriæ pretio: similes, dissimiles alliciuntur, nam præmia bonorum malorumque, bonos ac malos faciunt. [f] Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene
5 ac secus cessit, expetant fugiantve: ceteri, ubi laboris inertiæ, vigilantiæ somno, frugalitatis luxuriæ merces datur; eadem ista, quibus alios artibus assecutos vident, consectantur: qualesque sunt illi, tales esse & videri volunt; & dum volunt fiunt.

XLV. Et priores quidem principes excepto patre tuo, præterea [1] uno
10 aut altero (& nimis dixi) vitiis potius civium, quam virtutibus lætabantur. Primum quod in alio [2] sua quemque natura delectat; deinde, quod patientiores servitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi servos. [3] Horum in sinum omnia congerebant: bonos autem otio, aut situ abstrusos, & quasi sepultos, [4] non nisi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant.
15 Tu amicos ex optimis legis: & hercule æquum est esse eos carissimos bono principi, qui invisi malo fuerint. Scis, [5] ut sicut diversa natura dominatio & principatus, ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum [a] graventur. Hos ergo [b] provehis & ostentas, quasi specimen & exemplar, quæ tibi [c] secta vitæ, quod hominum genus placeat: & ideo

INTERPRETATIO.

f *Pauci tam acri sunt judicio, quin ament aut abhorreant vitium virtutemque, pro ut sibi commodum est, aut secus.*

a *Gravate ferant.*
b *Promoves* ad honores.
c *Vivendi ratio.*

NOTÆ.

que videatur, si sua ei probitas non nocet.

9. *Sacerdotia.*] Sacerdotiorum apud veteres, sicut hodieque apud nos beneficiorum, duo genera fuere: alia quæ aut resp. aut princeps, aut pontificum collegium conferebat: alia quæ a patrefamilias ea lege erecta dedicataque erant, ut sacrorum cura & fructuum ipsius sacerdotii perceptio, ad solam gentem familiamque suam pertineret; hæcque gentilitia sacerdotia dicebantur. Tacit. histor. l. cap 67. de Othone. *Recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos, avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit.* Alia autem sacerdotia erant perpetua, ut Auguratus, de quo Plinius noster l. 4. ep. 8. item & Pontificatus: alia vero non item.

10. *Acuuntur isti.*] Cum Lipsio libenter legam *ipsi*, pro *isti*, ut referatur ad *pretio*: sed deficit veteris scripturæ auctoritas.

1. *Uno aut altero.*] Augusto fortasse & Tito. Mox, *nimis dixi* Quia uterque vitiis non caruit: unde *Dio l.* 66. Augustum cum Tito ingeniose comparans, hunc negat a Romanis diligendum, si minus vixisset; illum vero, si plus: quia hic necessariam primis imperii sui temporibus severitatem non mitigasset, ut fecit: neque illius felicitas potius, quam virtus nullis vitiis fortasse corrupta fuisset.

2. *Sua quemque natura &c.*] Notum illud Aristotelis: *simile simili gaudet.*

3. *Horum in sinum &c.*] Ut in illos caderet illud Juvenal. Satyr. 1. 35. *Criminibus debent hortos, prætoria, mensas &c.*

4. *Non nisi delationibus.*] Neque e latebris, ubi erant inglorii, prodibant, nisi cum falso accusati, in judicium venire cogebantur.

5. *Ut sicut &c.*] Alii legunt: *ut sunt*, quod satis placet.

[6]non censuram adhuc, non præfecturam morum recepisti: [d] quia tibi beneficiis potius, quam remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioquin, nescio, an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur, quam qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur a principe: atque, [7]ut ita dicam, sequaces sumus: huic enim cari, huic probati esse cupimus: quod frustra [8]speraverunt dissimiles, eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines [9] unius moribus vivamus. Porro [e] non tam sinistre constitutum est, ut qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari. [f] Perge modo, Cæsar, & vim effectumque censuræ, tuum propositum, tui [g] actus obtinebunt. Nam vita principis, censura est: eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: [10]nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo: quippe [11] infidelis recti magister est metus, [12] melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, [h] quod approbant, quæ præcipiunt fieri posse.

XLVI. Et quis terror valuisset efficere, quod reverentia tui effecit? [1]Obtinuit aliquis, ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli

INTERPRETATIO.

d *Quoniam vis explorare an munificentia* tua *plus quam censoria notatione animi nostri* ad virtutem excitentur.

e *Non tam malignam indolem* a natura hausimus, ut &c.

f *Macte igitur, Cæsar, & tuum institutum, tuæ actiones eundem effectum habitura sunt* ac si *censor esses*.

g *Actiones*.

h *Quod re ostendunt fieri posse, quæ imperant*.

NOTÆ.

6. *Non censuram.*] Alludit haud dubie ad Augustum qui censoris quidem nomine recusato, *morum præfectus* dici voluit, ut tradit Sueton. in Augusto c. 27. Trajanum longe illo modestiorem fuisse dicit, qui utrumque cum reipsa impleril, neutrum pro singulari sua modestia admiserit. Censorii autem erat muneris locare publica, senatum legere, populum censere, inquirere in omnium mores, alios senatu movere, aliis equum publicum adimere, alios in Cæritum, id est, in censorias tabulas referre &c.

7. *Ut ita dicam.*] Ita Tullius docet emolliendas voces, quæ paulo duriores sunt, neque satis usu receptæ, ut ista, *sequaces*, quæ poeticum quiddam olet.

8. *Speraverunt.*] Malim *speraverint* ut post Bongarsium Grutero placet, id est, quod frustra sperent quicunque ipsi dissimiles, nempe mali.

9. *Unius.*] Id est, principis, quem omnes, ut ait ingeniose Lipsius, ut solem spectant, & ab eo quasi colorantur. *Qualis princeps fuerit, tales reliquos cives esse*, inquit Tullius ex Platone.

10. *Nec tam imperio &c.*] Imperium enim animos exasperat, allicit exemplum.

11. *Infidelis recti.*] Sumptum illud e Tullio *Timor non diuturnus magister officii*. 2. Philip. n. 36.

12. *Melius homines.*] Cui non auditum illud Senecæ, *longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla*?

1. *Obtinuit aliquis &c.*] Tiberius quidem *abegit histriones Italia*, Tacit. An. 4. Nero *pantomimorum factiones una cum ipsis relegavit*. Sueton. c. 16. Domitianus vero *interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso*, Sueton. c. 7. Locum hunc de isto intelligendum tum interpretes consentiunt, tum demonstrant ea quæ mox consequuntur: *pantomimi* autem dicti ἀπὸ τῦ πάντα μιμεῖσθαι, quod in scenis, gestu, saltatione, motuque corporis omnia exprimerent, & imitarentur.

pateretur?sed [1] non obtinuit ut vellet. Rogatus es tu, quod cogebat alius, cœpitque esse beneficium, quod necessitas fuerat, neque enim a te minore concentu ut tolleres pantomimos: quam a patre tuo ut restitueret exactum est. [3] Utrumque recte: nam & restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps,
5 & tolli restitutos. In his enim quæ a malis bene fiunt, hic tenendus est modus, ut appareat [4] auctorem displicuisse, non factum. Idem ergo populus ille, aliquando [5] scenici imperatoris spectator & applausor, nunc in pantomimis quoque aversatur & damnat effœminatas artes, & indecora seculo studia. [a] Ex quo manifestum est principum disciplinam capere etiam vulgus: cum rem,
10 si ab uno fiat, severissimam, fecerint omnes. [6] Macte hac gravitatis gloria, Cæsar, qua [7] consecutus es, ut quod antea vis & imperium, nunc mores vocarentur. Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur: iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de severitate tua queritur, & liberum est queri. Sed cum ita comparatum sit, ut de nullo minus principe
15 querantur homines, quam de quo maxime licet: [8] tamen in seculo nihil est, quo non omne hominum genus lætetur & gaudeat. Boni provehuntur, mali (qui est tranquillissimus status civitatis)[9] nec timent, nec timentur. Vitiorum pœnitentiam expectas. Mederis erroribus, sed implorantibus, [10] omnibusque, quos bonos facis, hanc astruis laudem, ne coegisse videaris.

INTERPRETATIO.

a *Unde patet etiam plebem principum mores sequi posse, cum id in re gravissima omnes præstiterint.*

NOTÆ.

2. *Non obtinuit ut vellet.*] Tiberio quidem & Neroni populus assensus est, sed non ex animo. Tu vero usque eo apud populum potens fuisti, ut non tantum id ex animo voluerit, sed etiam idipsum a te beneficii loco tam enixe petierit, quam ægre illud antea passus erat.

3. *Utrumque recte.*] Ingeniosus si quis est alius in toto panegyrico locus: sic enim laudat Trajanum, quod pantomimos aboleverit, ut simul laudet Nervam a quo paulo ante restituti erant.

4. *Auctorem.*] Ut Lacedæmonii, qui bonam sententiam, ab improbo homine in senatu dictam, jusserunt a bono iterum dici, eique inscribi, ut sic bona sententia maneret, turpis auctor mutaretur. Ita ex *Auli Gellii l. 18. c. 3. refert Lipsius.*

5. *Scenici imperatoris.*] Neronis ea re plus satis noti.

6. *Macte.*] Id est, magis aucte. Sic victima in quam infusum erat vinum aut thus, *macta vino, aut thure* dicebatur. Hinc vocem illam ad alia translatam putat Servius. Modo cum secundo, modo cum sexto casu jungitur. *Macte nova virtute puer*, Æneid. l. 9. 641. *Macte animi.* Martial. l. 12. ep. 6. Interdum adverbium est. *Macte amare*, id est, maxime. Plautus in milite glor. *Macte scribere*, id est, mature. Cicero ad Att. l. 6. ep. 9.

7. *Consecutus es &c.*] Effecisti ut quod initio nonnisi vi, & imperio adhibito, idipsum nunc sua sponte, atque consuetudine faciant.

8. *Tamen.*] Lege eum Livineio *tum*, vel *tu*, vel utrumque.

9. *Nec timent.*] Timent quidem, sed non plusquam satis est, neque ita, ut desperatione inducti ad nefaria molienda se convertant. Trajanus enim in malos animadvertebat, sed, quod prudentis imperatoris erat non nimis aspere.

10. *Omnibusque &c.*] Et eos omnes quos ad meliorem frugem aut monitis tuis aut exemplo reduces, laudas protinus, quasi suæ illos nequitiæ pœnituisset, & id sponte fecissent potius, quam a te coacti.

XLVII. Quid? vitam, quid? [1] mores juventutis, quam [a] principaliter formas? quem honorem [2] dicendi magistris, [b] quam dignationem sapientiæ doctoribus habes ? ut [3] sub te spiritum, & sanguinem, & patriam receperunt [c] studia: quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat ? cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes, non odio magis, [4] quam reverentia relegaret. At tu easdem artes [5] in complexu, oculis, auribus habes, præstas enim quæcunque præcipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. [d] An quisquam studia humanitatis professus, non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat [6] admissionum tuarum facilitatem ? Magno quidem animo [7] parens tuus, hanc ante vos principes [8] arcem, publicarum ædium nomine inscripserat: frustra tamen, nisi adoptasset, qui habitare ut in publicis posset. Quam bene cum titulo isto moribus tuis convenit ? quamque omnia sic facis, [9] tanquam non alius inscripserit ? Quod enim forum, quæ templa tam reserata ? non Capitolium, [10] ipsaque illa adoptionis tuæ sedes, magis publica, magis omnium. Nullæ

INTERPRETATIO.

a *Ut principem decet.*
b *Quam facis magni.*
c *Docti quos superioribus temporibus barbari principes exilio mulctabant.*

d *Hanc nullus qui vel tantillum humanus sit cum omnia quæ in te sunt, tum in primis non laudet comitatem qua* omnes *admittis.*

NOTÆ.

1. *Mores juventutis.*] Dio Trajanum refert, simul Romam advenir, multa civitatibus Italiæ ad puerorum & victum, & educationem concessisse.

2. *Dicendi magistris.*] Victor de Trajano : *Eruditissimos, quamvis ipse parca esset scientia, moderateque eloquens, diligebat.*

3. *Sub te spiritum &c.*] Oblique notat Domitiani tempora, cum philosophi simul & mathematici edicto ex Urbe ejecti partim in Hispaniam, partim in Libyæ, Scythiæve deserta confugerunt. Tumque Demetrius philosophus ab Urbe expulsus institura cum Apollonio Tyaneo sermocinatione: *Cicadis*, inquit, *licet impune canere, nobis ne quidem mutire fas est.*

4. *Quam reverentia.*] Pudore : quasi si immanitatem suam sibi exprobrarent.

5. *In complexu.*] Complecteris, foves.

6. *Admissionum.*] *Ab admissionibus*, vel *admissionales* dicebantur qui ad salutandum principem ex officio eos admittebant, quibus eo convento opus erat. His qui præerat *magister admissionum* vocabatur. Quod Palatinum officium Claudii & Neronis temporibus institutum erat. Hi autem sub aliis principibus duri & feroces, sub Trajano mirum quam faciles & comes.

7. *Parens tuus.*] Nerva, priusquam tu vel etiam ille imperio potiretur.

8. *Arcem.*] Albanam, ut putat Baudius. Imperatores Romanos quatenus pontifices maximos in publica domo habitare oportebat. Quamobrem *Dio in Augusto l. 65. in actis an. V. C. 741.* refert Augustum, cum ei tanquam pontifici maximo publica domus a senatu offerretur, recusasse illam quidem, sed suarum ædium partem publicam esse jussisse. Demum, ut idem addit libro sequenti, illam, cum incendio conflagrasset, refectam ab Augusto, & totam esse publicam factam. Fortasse titulum hunc a ceteris imperatoribus erasum restituerat Nerva, quod factum Plinius hoc loco exaggerat.

9. *Tanquam non alius.*] Quasi tu ipse, non Nerva, id in palatii vestibulo inscripsisset.

10. *Ipsaque illa adoptionis tuæ &c.*] Artem nota : nihil enim suavius Trajani auribus esse poterat, quam ejus adoptionis mentio maxime cum præter expectationem fieret, ut hoc loco.

obices, nulli [11] contumeliarum gradus : superatisque jam mille liminibus ultra semper aliqua dura & obstantia. Magna ante te, magna post te, juxta te tamen maxima quies: tantum ubique silentium, tam altus pudor, ut [12] ad parvos penates & larem angustum ex domo principis, modestiæ &
5 tranquillitatis exempla referantur.

XLVIII. Ipse autem ut excipis omnes? ut expectas? ut magnam partem dierum, inter tot imperii curas, [1] quasi per otium transigis? Itaque [2] non ut alias attoniti, nec ut periculum capitis adituri [3] tarditate, sed securi & hilares, cum commodum est, convenimus. [a] Et admittente principe,
10 interdum est aliquid, quod nos domi quasi magis necessarium [b] teneat. Excusati semper tibi, nec unquam [4] excusandi sumus. [c] Scis enim sibi quemque præstare, quod te videat, quod te frequentet: ac [5] tanto liberalius ac diutius voluptatis hujus copiam præbes. [d] Nec salutationes tuas [6] fuga & vastitas sequitur, remoramur, resistimus ut in communi domo: quam nuper
20 illa immanissima [7] bellua plurimo terrore munierat; cum velut quodam specu inclusa, nunc [8] propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad

INTERPRETATIO.

a *Vel cum imperator copiam sui facit.*
b *Retineat.*
c *Neque enim ignoras sua quemque causa facere &c.*
d *Nec postquam te salutavimus, recedimus statim*, ita ut in palatio sit magna *solitudo*.

NOTÆ.

11. *Contumeliarum gradus.*] Quia enim aliæ ex aliis fores, alii ex aliis superbi janitores sub aliis principibus erant expugnandi, iterum erant iterumque contumeliæ devorandæ: sed nihil tale in Trajani palatio.

12. *Ad parvos penates.*] Id est, ad tenuiorum domos, penates autem & larem sumi sæpissime, ut hoc loco, pro domo ipsa, nemini notum non est. De diis penatibus adiri potest Macrob. Saturn. l. 3. De illorum sede & forma, *Dionys. Halicarnass.*

1. *Quasi per otium.*] Amœnissimis sermonibus, quasi multum tibi a magnis imperii negotiis esset otii.

2. *Non ut alias attoniti.*] In aliis est, *non alii & attoniti* : id est, non alio vultu & colore, ut iis accidit qui metu perculsi sunt. Vel si manet ista scriptura, id est, non ut quos olim Domitianus Albanam in arcem *Traxerat attonitos, & festinare coactos.* Juvenal. Sat. 4. 145.

3. *Tarditate.*] Capite plectendi, si tardiores veniremus, ut de Pegaso refert *Juvenal Sat.* 4. *v.* 77.

4. *Excusandi sumus.*] In Viennensi editione additum est *magis*.

5. *Tanto liberalius.*] Atque eo liberalius, & diutius nobiscum versaris, quod nostra causa id facis, non tua.

6. *Fuga & vastitas.*] Ut e latronum & sicariorum domicilio, unde cum primum licet pes effertur.

7. *Bellua.*] Domitianus, quem toto hoc loco comparat cum bellua, quæ ex vasto & interiore quodam specu ad cædes interdum prorumpit, &, quemadmodum Virgilius de Cyclope dicit *visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.* Æneid. l. 3. 622.

8. *Propinquorum.*] Nempe, ut ait Eutropius, Flavios Clementem & Arretinum patrueles suos interfecit; ac, si Plutarcho fides est, Titum fratrem, dato ei in cibum lepore marino, qui piscis quosdam humores occultos, ac mortiferos habere dicitur; vel, ut a nonnullis græcis proditum, eo, dum spiraret adhuc, in aream ligneam nivis plenam, per causam medicinæ faciendæ conjecto, ibique interfecto: seu demum, quod Zonaras & Dio narrant, priusquam efflaret animam pro mortuo efferri jusserit. Omnino ferunt Titum olim ab Apol-

[9] clarissimorum civium strages, cædesque proferret. Obversabantur [10] foribus horror & minæ, & par metus [11] admissis & exclusis. Ad hæc ipse occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia, [12] multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat, [13] tenebras semper secretumque captantem: nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut [14] solitudinem faceret. 5

XLIX. Ille tamen, quibus sibi [1] parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, [2] dolum secum & insidias, & ultorem scelerum [3] deum inclusit. Dimovit perfregitque custodias pœna, [4] angustosque per aditus & obstructos, non secus ac per apertas fores, & invitantia limina irrupit: [5] longeque tunc illi divinitas sua, longe arcana illa cubilia [6] sævique secessus, in quos timore, & superbia, & odio hominum, agebatur. Quanto 10

Notæ.

lonio nescio quo monitum, ut sibi a propinquissimis caveret.

9 *Clarissimorum civium.*] Puta multos consulares, ut Julium Agricolam Taciti socerum, plures senatores. Ælium Lamiam, Salvium Coccianum, Mitium Pomposianum &c. Videri possunt *Tacitus de vita Julii Agricolæ, & Suetonius in Domitiano.*

10. *Foribus horror.*] Mihi videor Acherontis ingressum intueri. *Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus orci luctus & ultrices posuere cubilia curæ &c.* Æn. l. 6 273.

11. *Admissis & exclusis.*] Quos enim blandiori vultu admiserat, nihil minus timebant quam qui ab superbis ejus satellitibus exclusi fuerant. Erat enim perfide crudelis. Sic Clementem & Arretinum amicissime, ut videbatur, in palatium accersitos, morte per summam perfidiam postero die damnavit.

12. *Multo rubore &c.*] Impudens rubor. An non hæc pugnant? Neutiquam. *Rubore se contra pudorem muniebat.* Tacitus de Domitiano in Agricolæ vita, & Seneca ep. 11. *Quidam nunquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt; quasi omnem verecundiam effuderint.*

13. *Tenebras semper.*] At, si Suetonio credimus, *inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarium* (id est, unius horæ) *sumere solebat* c.3. Si ergo initio tantum principatus, si per horam unam tantum in secretum se abdebat, cur Plinius dicit *semper*? Solvit hunc nodum Casaubonus in hunc locum, quem tu consule.

14. *Solitudinem.*] Nisi ut quotidianis cædibus civium domos desolaret.

1. *Parietibus.*] Quos scelerum suorum conscius imperator, *Phengite* (lapis est duritia & candore marmor referens, aliquantisper translucens ac fulvus) *distinxit, ut, quidquid a tergo fieret, videret.* Suet. in Domit. c. 13.

2. *Dolum secum.*] Nam a domesticis, & cubiculariis suis, etiam Domitia uxore conscia, dolo est oppressus. *Sueton.*

3. *Deum.*] Opinor, Jovem intelligit. Sic enim Dio & Suetonius referunt Palladem, quam Domitianus peculiari religione colebat, in somnis ei astitisse, armis ab Jove spoliatam, atque e curru quem nigri equi trahebant in barathrum labentem: quasi pro eo stare amplius contra Jovem non posset.

4. *Angustosque.*] Quia obstructi erant custodum frequentia.

5. *Longe illi*] Tum sua eum nihil juvit divinitas. Simile illud. Æneid. l. 12. 52. *Longe illi dea mater erit.* Nihil enim juvant, quæ longe a nobis & procul posita sunt; contra vero adesse, idem ac juvare. Florus lib. 2. c. 2. de primo bello Punico. *Longe illis nauticæ artes &c.* Id est, nihil illis profuerunt.

6. *Sævique secessus.*] Ubi Domitianus viros principes, quasi ad familiare colloquium evocatos, ut supra diximus n. 48. not. 12. per dolum occidebat. *Tacitus.*

nunc tutior, quanto securior eadem domus, [7] postquam ejus non crudelitatis, sed amoris [8] excubiis, [9] non solitudine & claustris, sed civium celebritate defenditur? Ecquid ergo? discimus experimento, fidissimam esse custodiam, principis ipsius [10] innocentiam? Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui [11] septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur. Num autem [12] serias tantum partes dierum, in oculis nostris coetuque consumis? [a] non remissionibus tuis eadem frequentia, eademque illa socialitas interest? Non tibi semper [13] in medio cibus, semperque mensa communis? non [14] ex convictu nostro mutua voluptas? non [15] provocas reddisque sermones? non ipsum tempus epularum tuarum cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? Non enim [16] ante medium diem [17] distentus [18] solitaria

INTERPRETATIO.

a *An non relaxationibus tuis eadem multitudo, eademque sodalitas adest.*

NOTÆ.

7. *Postquam ejus &c.*] Addit Livin. *aditus*: Lipf. *dominus*: vel pro *ejus* restituit *ea* aut *Servi*. Certe aliqua est mutatione opus.

8. *Excubiis.*] *Vigiliæ* nocturnæ sunt tantum: *Excubiæ* vero sumuntur pro militibus sive die seu nocte in statione positis.

9. *Non solitudine, &c.*] Non recessibus, & claustris populos a principis limine arcentibus.

10. *Innocentiam.*] Notum illud Horatii l. 1. od. 22. *Integer vitæ scelerisque purus, non eget Mauri jaculis, nec arcu &c.*

11 *Septus charitate.*] Tale illud Tullii Philipp 2. *Charitate septum esse oportet, non armis.*

12. *Serias partes &c.*] Partes dierum reipublicæ administrationi datas.

13. *In medio*] Id est, in propatulo, sub omnium oculis, ut ex Lycurgi lege cautum erat apud Lacedæmonios, ne scilicet frugalitatis leges transilirent. *Plutarchus in problem. c.* 31. Idque etiam apud priscos Romanos in more fuisse, notant *Valer. Maxim. l.* 2. *c.* 3. *Macrob. Saturn. l* 3. *c.* 17. Unde Juvenalis taxat ætatis suæ luxuriam, quod contra priscam illam consuetudinem privatim splendidius, quam par esset epularentur *Sat.* 1. 94. *Quis fercula septem secreto cœnavit avus?*

14. *Ex convictu nostro.*] Romani solebant plures simul cibum capere, Græci vero, si Athenæo credimus, μονοφαγεῖν. Aliqui *cœnam* dictum putant, a κοινὴ, ob κοινωνίαν, seu communionem vescentium ut putat Plutarchus l. 8. Symp. probl. 6.

15. *Provocas.*] Sueton. de Augusto c. 4. *Cœnam præbebat, ut non nimio sumptu, ita, summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes, vel submissim loquentes provocabat.*

16. *Ante medium diem.*] Id est, ante horam sextam, quæ nobis meridies est, nam horas diei naturalis ab exortu solis numerabant, quæ cum duodenæ semper essent diebus singulis, pro dierum modo inæquales erant; nunc longiores, nunc breviores. Cœnæ autem tempus apud Romanos hora nona. Martialis l. 4. ep. 8. *Imperat extructos frangere nona thoros.* Hominis autem erat luxuriosi, & intemperantis tempus illud prævertere. Quare Juvenalis Marium carpit Sat. 1. 49. quod *ab octava* biberet. Quem locum intelligendum puto de horis diei, non naturalis, sed civilis: cujus initium, a media nocte duceretur. Alioqui non ita damnandus videretur Marius, qui hora una citius cibum sumeret.

17. *Distentus.*] Satur, plenus. Domitianum suo more tangit qui, ut ait Suetonius, cum cibis se privatim ingurgitasset, tum vero in cœna mire sobrius videri volebat. Ibidem Neronis, Claudii & Vitellii notatur haud absimilis intemperantia.

18. *Solitaria cœna.*] Quam solus, clam & remotis arbitris sumpseris. Festus l. 3. *Cœna, apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium, vesperna quam nunc cœnam appellamus.*

cœna

cœna ſpectator [19] adnotatorque convivis tuis immines : nec jejunis & inanibus plenus ipſe eructans, non tam apponis quam objicis cibos, quos dedigneris attingere, ægreque perpeſſus ſuperbam illam convictus ſimulationem, rurſus te ad clandeſtinam [20] ganeam, occultumque luxum refers. Ergo non aurum, nec argentum, [b] nec exquiſita ingenia cœnarum, ſed ſuavitatem tuam [21] jucunditatemque miramur, quibus nulla ſatietas adeſt; 5 quando ſincera omnia, & vera, & ornata gravitate. Neque enim aut [22] peregrinæ ſuperſtitionis myſteria, aut [23] obſcœna petulantia menſis principis oberrat: ſed benigna [24] invitatio, & liberales joci, & ſtudiorum honor. Inde tibi parcus & brevis ſomnus, nullumque amore noſtri anguſtius tempus, quam quod ſine nobis agis. 10

L. [a] Sed cum rebus tuis ut participes perfruamur, quæ habemus ipſi, quam propria, quam noſtra ſunt? Non enim exturbatis prioribus dominis, [1] omne ſtagnum, omnem lacum, omnem etiam ſaltum, immenſa poſſeſſione circumvenis : nec unius oculis flumina, fontes, maria deſerviunt. [2] Eſt 15 quod Cæſar non ſuum videat, tandemque imperium principum, [3] quam patrimonium majus eſt, multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores principes occupabant, non ut ipſi fruerentur, ſed ne quis alius. Ergo in veſtigia ſedeſque nobilium [b] immigrant pares domini, nec jam

INTERPRETATIO.

b *Neque artem* menſæ *delicatioribus cibis* inſtruendæ.

a *Verum cum bonis tuis utamur, quaſi ſint etiam noſtra.*

b *Redeunt nobiles domini, neque amplius nobilium virorum domus a ſervis habitantur, aut turpiter deſerta corruunt.*

NOTÆ.

19. *Adnotatorque &c.*] Quid edant alii, bibant, dicant.

20. *Ganeam.*] Guloſorum diverſorium. Sumitur etiam pro libidinis diverſorio. Item pro ipſa ingluvie & cibariis. Dicitur *ganea, æ*, vel *ganeum, i.*

21. *Jucunditatemque &c.*] *Adhibebamur quotidie cœnæ : interdum jucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur.* Plinius de Trajani adverſus ſe comitate l. 6 ep. 31.

22. *Peregrinæ ſuperſtitionis &c.*] Intellige juxta Livineii mentem inſtitutos a Domitiano ſacerdotes in Albano ex peregrino fortaſſe more, vel, cum Lipſio, Iſiacos, Bellonarios &c. qui ad exhilarandos convivarum animos ſub menſæ finem inducebantur.

23. *Obſcœna.*] Scurras, moriones, in convivii locum poſt epulas induci ſolitos notat ipſe Plinius l. 9. ep. 17. Sic Lucianus in Sympoſio Ariſtænetum quemdam refert inductum, qui alios dictis vellicaret, alios percuteret, omnes geſtu, ſaltatione, jocis, & motu corporis oblectaret.

24. *Invitatio.*] Apprime illud Trajano convenit, quem vini amantiorem fuiſſe apud Dionem legimus.

1. *Omne ſtagnum.*] Pace Lipſii dixerim: locus hic de Neronis palatio intelligi debet, in quo ſtagna, lacus, ſaltus videbatur concluſiſſe; ita amplum erat. Et de illius quidem luxuria noti illi verſus. *Roma domus fiet, Veios migrate Quirites : ſi non & Veios occupat iſta domus.* Suet. in Nerone c.39.

2. *Eſt quod &c.*] Multo ante dixerat Ovidius Faſtorum l. 1. 85. *Jupiter arce ſua cum totum ſpectet in orbem, nil niſi Romanum quod tueatur habet.*

3. *Quam patrimonium.*] Ita enim imperii agros omnes invaſerant tyranni, ut non

clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædes, deterso situ, auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modo, sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo exstructa sunt animo, ab interitu vindicare. Muta quidem illa & anima carentia; sentire tamen & [4] lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse [5] domini non servientis. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum vænalium, [d] quo sit detestanda avaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa, [6] tamen exitialis erat apud principem, huic laxior domus, illi amœnior villa. Nunc princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit, ipsos illos [7] magni aliquando imperatoris hortos, illud nunquam nisi Cæsaris [8] suburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos [9] principalibus rebus existimet dignos; nos non timeamus, quod digni esse videmur. Nec vero emendi tantum civibus tuis copiam præbes, sed amœnissima quæque largiris & donas. [10] Ita, inquam, donas in quæ electus, in quæ adoptatus es: transfers quod [11] judicio accepisti, ac nihil magis tuum credis, quam quod [12] per amicos habes.

LI. Idem tam parcus [1] in ædificando, quam diligens in tuendo. Itaque non [2] ut ante immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur: stant securæ domus, nec jam templa [3] nutantia. Satis est tibi nimiumque,

INTERPRETATIO.

d *Ut proponatur* omnibus *execranda Domitiani avaritia, qui &c.*

NOTÆ.

minus essent eorum patrimonium, quam imperium.

4. *Lætari videntur.*] Nihil frequentius etiam apud oratores, quam sensum rebus inanimis tribuere. Tullius pro Marcello n. 10. *Parietes medius fidius, Cæsar, ut mihi videtur, huius curiæ, tibi gratias agere gestiunt.*

5. *Domini non servientis.*] Alii legunt: *domini scientis.*

6. *Tamen.*] Lege *tum*, ut Livineius suspicatur.

7. *Magni aliquando imp.*] Luculli fortasse. Potius tamen de Domitiano id accipiam, quem *magnum* hoc loco εἰρωνικῶς appellat.

8. *Suburbanum.*] Albanam villam.

9. *Principalibus rebus.*] Villa, quæ huc usque principis fuerit.

10. *Ita.*] *Ista*, ut est ad oram editionis Livineianæ, id est, ea donas, quæ ad te, ut Nervæ hæredem juxta successionis jura pertinent.

11. *Judicio.*] Cum te imperio dignum Nerva judicavit.

12. *Per amicos &c.*] Quam quod amicis donatum, in eorum manu sic tanquam depositum habes.

1. *In ædificando.*] Tam parcus in erigendis tibi ædificiis, quam in publicis reficiendis diligens.

2. *Ut ante &c.*] Sub Caligula, Claudio, & Domitiano, cum magno per Urbem incedentium incommodo columnæ immanes ad eorum palatium advehebantur. Juven. Sat. 3. 254. *Longa coruscat serraco veniente abies, atque altera pinum plaustra vehunt, nutant alte, populoque minantur, &c.*

3. *Nutantia.*] Casum minitantia, propter enorme pondus.

cum successeris frugalissimo principi, magis [4] rejicere aliquid & amputare ex his, quæ princeps tanquam necessaria reliquit. Præterea pater tuus usibus suis detrahebat, quæ fortuna imperii dederat, [5] tu tuis quod pater. At quam magnificus in publicum es? [6] hinc porticus, inde [7] delubra occulta celeritate properantur, [a] ut non consummata, sed tantum commutata videantur. Hinc immensum [8] latus circi templorum pulchritudinem provocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa [9] spectabuntur: visenda autem, cum cetera specie, tum quod [10] æquatus plebis ac principis locus. Siquidem per omne spatium una facies, omnia continua & paria, nec magis proprius spectandi Cæsaris suggestus, quam propria quæ spectet. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri, dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere, in publico, in populo sedentem: populo, cui locorum [11] quinque millia adjecisti: auxeras enim numerum ejus congiarii facilitate, majoremque in posterum suspici liberalitatis tuæ fide jusseras.

INTERPRETATIO.

a *Ut non tam structa a fundamentis, quam reparata videantur.*

NOTÆ.

4. *Rejicere.*] Alii *recidere.* Nerva ex veteri imperatorum possessione distraxerat quidquid sibi non admodum necessarium videbatur. Plinius vero hic laudat Trajanum quod hanc ipsam temperantiam vicerit, etiam ex iis, quæ frugalissimo principi necessaria videbantur, aliquid abradendo atque amputando.

5. *Tu tuis quod pater &c.*] Ita restitui cum Livineio pro *tutius quod pater.* Sensus est: Nerva sibi detraxit *quæ* sibi *ab imperio data fuerant*: *Tu* vero tibi detrahis, quæ magis sunt *tua*, id est, *quæ pater* tibi reliquit.

6. *Hinc porticus.*] Quas circa Trajani forum excitavit. *Cassiod.* Catanæus *portus* legit, non *porticus*: forte quia Dio *portus* ait *ab Traiano extructos, non porticus.* Non addit vero quinam illi sint. Portum certe Anconæ instauravit.

7. *Delubra.*] Jani templum auxit, amplificavitque. Unde Martial. l. 10. ep. 28. *Pervius exiguos habitabas ante penates, plurima qua medium Roma terebat iter. Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis, & fora tot numeras, Iane, quot ora geris &c.*

8. *Latus circi &c.*] Suet. in Domitiano *Naumachiam*, ait *ab eo excitatam*: *e cuius postea lapide maximus circus densis utrinque lateribus, extructus est.* Sed a quo quæso? A Trajano, inquit Casaubonus in hunc Suetonii locum, idque ex Plinio, Dione & veteribus numis patet. Quid sit autem circus, & quot fuerint Romæ, dicemus alio loco.

9. *Spectabuntur.*] Gladiatores, venationes, & alia id genus spectacula.

10. *Æquatus.*] Julius Cæsar *suggestum* sibi seu, ut alii vocant *pegma* erigi in orchestra jussit. *Sueton. in Julio. c. 76.* Nero illud in cubiculi formam cooperuit, unde ab cœli inclementia tutus spectacula prospectaret. Trajanus utroque modestior æquavit omnia, neque hujusmodi suggestum habere voluit.

11. *Quinque millia.*] Totidem loca circo Trajanus adjecit, quot ingenuos ab eo educatos fuisse supra dictum est n. 28. Sed si Cæsaris circus, ut ait, Plinius, ducenta sexaginta, & postea, ut ait Victor, trecenta octoginta quinque locorum millia complectebatur: quam minutus, ut Lipsius notat, ille locorum adjectorum numerus! ut tantopere laudetur Trajani magnificentia. Eo fit ut *quinquaginta millia* legendum putet, pro *quinque millia.* Bene, an secus? alii viderint.

LII. Horum unum si præstitisset alius, illi jam dudum[1] radiatum caput, &[a] media inter deos[2] sedes[3] auro staret, aut ebore, augustioribusque aris, &[4] grandioribus victimis invocaretur. Tu delubra non nisi[5] adoraturus intras, tibi maximus honor[6] excubare pro templis, postibusque prætexi. Sic fit ut dei summum inter homines fastigium servent, cum deorum ipse non[7] adeptus. Itaque tuam statuam in vestibulo Jovis optimi maximi[8] unam alteramve, & hanc æream cernimus: aut paullo ante aditus omnes,[9] omnes gradus, totaque area, hine auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur: cum[10] incesti principis statuis permixta deorum simulacra sorderent. Ergo istæ quidem æreæ & paucæ manent, manebuntque quandiu[11] templum ipsum: illæ autem aureæ &[12] innumerabiles, strage & ruina, publico gaudio litaverunt.[13] Juvabat illidere solo superbissimos

INTERPRETATIO.

a *Medius inter deos sederet in auro vel ebore.*

NOTÆ.

1. *Radiatum.*] Radiis cinctum: quomodo nunc cœlites pingimus. Sic enim vetera numismata nobis consecratos imperatores exhibent.

2. *Sedes.*] Jupiter enim itidem, & alii majorum gentium dii interdum exhibebantur sedentes, ad majorem populorum venerationem conciliandam.

3. *Auro.*] Alludit fortasse ad Domitianum qui *statuas sibi in Capitolio, non nisi aureas, & argenteas poni permisit, ac certi ponderis.* Suet. in Domit. c. 13.

4. *Grandioribus victimis &c.*] Majores victimæ dicebantur, quæ majoribus diis consecrabantur: minores, quæ diis minoribus. *Majores autem victimæ erant boves albi auratis cornibus.* Athenæus l. 9.

5. *Adoraturus.*] Nunquam adorandus, ut Caligula & Domitianus.

6 *Excubare.*] Priores imperatores statuas suas superbe in templis collocabant. Trajanus vero pro sua in deos reverentia, in templorum tantum vestibulo, vel ante postes.

7. *Adeptus.*] Lipsius, *adoptes*: Livineius, *adeptus*, vel etiam *affectes*. Ut ut est, sensus erit. Quo fit ut dii majori sint apud homines in loco, id est, longe cum majori religione colantur; quod tu ipse quantus quantus es, necdum tamen videris tibi dignus, qui te iis admisceas.

8. *Unam alteramve &c.*] Trajanus erat ejusmodi honorum parcissimus, atque admodum ægre Plinius ab eo impetravit, ut ei statuam cum bene multis, quas in æde a se extructa locabat, erigeret.

9. *Omnes gradus &c.*] Magnam deorum turbam in Capitolio fuisse oportet, siquidem in singulis ejus gradibus, qui centum erant, si Tacito credimus, totidem statuæ erant positæ.

10. *Incesti.*] Domitiani. Hoc notat Suetonius c 22.

11. *Templum ipsum.*] Quia enim Romani erant in ea opinione Capitolium suum æternum fore: Hine fit ut ad alicujus rei perennitatem ostendendam; nulla re magis uterentur quam Capitolio: unde Æneidos 9. 448. *Dum domus Æneæ capitoli immobile saxum accolet, imperiumque pater Romanus habebit.*

12. *Innumerabiles.*] Neque enim Domitianus Capitolium tantum, Urbemve, sed orbem, si Dioni credimus, universum statuis implevit post subactos, ut falso aiebat, Dacos. Quas quidem simul ut obiit, a senatu eversas esse idem testatur, ut earum eversione & ruina publicum gaudium impetraretur. Id enim *litare* significat, ut annotat Macrobius in illud Æneid. 2. 119. *animaque litandum Argolica.*

13. *Juvabat.*] Quis hæc legens, sibi non videtur coram intueri senatorum alacritatem Domitiani statuas certatim disturbantium?

vultus, instare ferro, sævire securibus, [b] ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii, seræque lætitiæ, quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines abjectas, excoctasque flammis: [c] ut ex illo terrore & minis, in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. [14] Simili reverentia, Cæsar, non [15] apud Genium tuum bonitati tuæ gratias agi, sed apud numen Jovis optimi maximi pateris: illi debere nos quidquid debeamus, illius quod bene facias muneris esse, qui te dedit. Ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter, magna sui parte velut intercepti, [16] divertere via cogebantur: cum sævissimi domini atrocissima effigies, tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.

LIII. Omnia P. C. quæ de aliis principibus a me aut dicuntur, aut dicta sunt, eo pertinent, ut ostendam quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores principatus [1] parens noster reformet & corrigat. Alioqui nihil non parum grate sine comparatione laudatur. Præterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officium est, [a] insequi dissimiles, neque enim satis amarint bonos principes, qui malos satis non oderint. Adjice, quod imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est, quam quod insectari malos principes tutum est. An excidit [2] dolori nostro modo vindicatus Nero? [3] permitteret credo famam, vitamque ejus carpi, qui mortem ulciscebatur: nec ut in se dicta interpretaretur, quæ de simillimo diceretur. Quare [4] ego te, Cæsar, muneribus omnibus tuis, omnibus comparo, multis antepono, quod licet nobis & in præteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari, & futuros sub exemplo præmonere, nullum

INTERPRETATIO.

b *Quasi ex singulis ictibus sanguis emanaret.*

c *Ut* statuæ *quæ antea terrebant & minabantur.* a *Insectari malos.*

NOTÆ.

14. *Simili reverentia.*] Qua noluisti statuam tuam in Capitolio collocari.

15. *Apud Genium tuum.*] Apud veteres nihil frequentius, quam statuæ, aræ, & templa *Genio Augusti* consecrata. Extant hodieque numi bene multi cum hac inscriptione. Sed & juramentum, *per Augusti Genium*, erat religiosissimum. Mox *apud numen Jovis*, id est, in Capitolio.

16. *Divertere.*] Hostiarum greges qui in Capitolinm ducebantur, deflectere de via oportebat, quoties ad Domitiani statuam in equestri foro positam victimæ immolabantur, adeo harum multitudine hoc Urbis iter impediebatur.

1. *Parens noster.*] Trajanus, qui nos ut filios adhibet.

2. *Dolori nostro &c.*] Id est, an non adhuc cum dolore meminimus; quomodo improbum Neronem, Domitianus ipso improbior vindicarit? *Sueton. in Domit. c.* 14.

3. *Permitteret credo.*] Εἰρωνικῶς, id est, non permitteret, quamvis ejus mortem ulcisceretur.

4. *Ego te, Cæsar, muneribus &c.*] Lipsius delet *te* tanquam superfluum, Livineius vero expungit vocem *omnibus*: sed tamen servatis his vocibus quæ in omnibus editionibus sunt, sensus esse potest: Te, o Trajane, confero cum beneficiis tuis omnibus,

locum, nullum esse tempus, quo funestorum principum manes, a posterorum exsecrationibus conquiescant. Quo constantius P. C. & dolores nostros & gaudia proferamus; lætemur his quibus fruimur; ingemiscamus illis quæ patiebamur. Simul utrumque faciendum est sub bono principe. Hoc
5 secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsæ gratiarum actiones agant; meminerintque sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores [1] secus meriti reprehendantur. Nam cum de malo principe posteri tacent, manifestum est eadem facere præsentem.

LIV. Et quis jam locus miseræ adulationis manebat, cum laudes im-
10 peratorum ludis etiam & comessationibus celebrarentur, saltarenturque, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in senatu & in scena ab histrione & [1] a consule laudabantur. [a] Tu procul a tui cultu ludicras artes removisti. Seria ergo te carmina, honorque æternus [2] annalium, [b] non hæc
15 brevis & pudenda prædicatio colit: quinetiam tanto majore consensu in venerationem tui [c] theatra ipsa [3] consurgent, quanto magis de te scenæ silebunt. Sed quid ego istud admiror, cum eos quoque honores, qui tibi a nobis offeruntur, aut [4] delibare parcissime, aut omnino soleas recusare? Nihil ante tam vulgare, tam parvum in senatu agebatur, [d] ut non laudibus
20 principum immorarentur, quibuscunque [5] censendi necessitas accidisset. [6] De ampliando numero gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur: & quasi prolatis imperii finibus, nunc ingentes arcus,

INTERPRETATIO.

a *Tu artes histrionicas longe repulisti a te laudando.*

b *Non cito interitura illa &* imperatore *indigna laus commendat.*

c *Qui in theatris sedent, assurgent ut te venerentur.*

d *Quin* partem temporis *consumerent in laudandis principibus.*

NOTÆ.

omnibus inquam, nam te multis antepono.

5. *Secus meriti.*] In veteri scriptura Rittershusius ait esse *sequi usquam velles*, ex quo conficiendum putat: *sequius quam velles*, aut minore eum mutatione *sequius meriti*. Ac fortasse hic locus unus est ex iis, in quibus librarios hanc vocem *sequius* expunxisse queritur Muretus: *quasi*, inquit, *in ejus necem conjurassent.*

1. *A consule &c.*] Hinc nota, e re & officio consulis fuisse, solennem gratiarum actionem agere principi, qualem agit in hac oratione Plinius.

2. *Annalium.*] Annales res plurium annorum servato cujusque anni ordine complectuntur, historia non item: sæpe tamen apud auctores confunduntur hæc duo. *Autus Gellius l.5.c.18.*

3. *Consurgent.*] Hic honor primum viris tantum principibus habebatur. Unde Augustus Caio, & Lucio filiis *adhuc prætextatis, assurrectum ab universis in theatro, & a stantibus plausum gravissime questus est.* Tacit. Quia juvenes erant, inquit Lipsius, & quia nimius ille honor habebatur.

4. *Delibare*] Trajanus enim imperium accepit, consulatum tertium, & censuram a senatu oblatam recusavit.

5. *Censendi.*] Id est, dicendi sententiam. Vox forensis. *Senatus id censuit.*

6. *De ampliando numero.*] Juxta legem ab Augusto an. V. C. 732. factam, *gladiatores non nisi semel atque iterum singulis annis, neque ultra paria sexaginta* dari poterant. *Dio.* Ut nimirum luxui modus esset aliquis. Jam vero in Urbe varia erant fabrorum

excessurosque templorum fastigium titulos, nunc [7] menses etiam, nec hos singulos, nomini Cæsarum dicabamus: patiebantur illi, & quasi meruissent, lætabantur. At nunc quis nostrum, tanquam oblitus ejus de quo refertur, censendi officium [e] principis honore consumit? Tuæ moderationis hæc laus, constantia nostra; & tibi obsequimur, quod in curiam, [f] non ad 5 certamen adulationum, sed ad usum munusque justitiæ convenimus, hanc [8] simplicitati tuæ, veritatique gratiam relaturi, ut te quæ vis velle, quæ non vis nolle credamus. Incipimus [9] inde, desinimus ibi, a quo incipi, in quo desini sub alio principe non posset. Nam plerosque ex decretis honoribus & [10] alii non receperunt, nemo ante tantus fuit, [g] ut crederetur noluisse de- 10 cerni. Quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non [11] trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur.

LV. Ibit in secula, fuisse principem, cui florenti & incolumi, nunquam nisi modici honores, sæpius nulli decernerentur. [1] Et sane si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur: ingeniosior est 15 enim ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore. Simul cum jampridem novitas omnis adulatione consumpta sit, non alius erga te novus honor superest, quam si aliquando de te tacere audeamus. Age, si quando pietas nostra silentium rupit, & verecundiam tuam vicit, quæ qualiaque decernimus nos, tu non recusas; ut appareat, non superbia 20

INTERPRETATIO.

e *In laudando principe impendit. Quod nos constantes simus, tuæ* præcognitæ *modestiæ debetur.*

f *Non ut certatim tibi adulemur.*

g *Ut putaretur ægre tulisse, quod sibi decreti essent.*

NOTÆ.

collegia pro ratione temporum modo instituta, modo sublata: ut fabri *Ferrarii, Argentarii, Tignarii, Automatarii*, qui machinas sua sponte versatiles conficiebant. Quod si Domitianus de nugis hujusmodi senatum convocasset, innovassetque aliquid, tum vero quasi fines imperii extendisset, arcus titulis, &c.

7. *Menses.*] *Septembrem, & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.* Suet. in Domit. c. 13. *Nec hos singulos*; Id est, neque unum tantum, sed duos.

8. *Simplicitati.*] Candori.

9. *Inde.*] Id est, a rebus, de quibus deliberandum est.

10. *Alii.*] Principes: ut *Tiberius, qui patris patriæ appellationem*; Suet. c. 27. Claudius, qui nimios honores recusavit. Vespasianus qui tribunitiam potestatem, & patris patriæ nomen non nisi sero recepit. *Sueton.*

11. *Trabibus.*] Id est, ædificiis. *Monumentis æternæ laudis*, id est annalibus, & clarorum virorum scriptis. Hunc autem locum ita emendat, atque interpungit Gruterus ex editione Cuspiniani. *Quod ergo titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur, ibit in secula &c.*

1. *Et sane &c*] Et vero si voluerimus æque Trajanum laudare, atque olim Domitianum necesse erat, vincemur. Primum, quia veritate ingeniosior est adulatio. Qui enim adulatur majorem artem adhibet, & quasi ingenium intendit, ut eximium aliquid promat. Veritas autem, quæ simplicior est, ornari ambitiosius negat. Juxta illud Horatii de Arte poet. 431. *Ut qui conducti plorant*

& fastidio te [a] amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hoc, Cæsar, quam si recusares omnes, nam recusare omnes, ambitionis; moderationis est, eligere parcissimos. Quo temperamento [3] & nobis & ærario prodes: quod sumptibus ejus adhibes modum, ut qui
5 exhaustum non sis innocentium bonis repleturus. Stant igitur effigies tuæ, quales olim ob egregia in remp. merita privatis dicabantur: visuntur eadem e materia Cæsaris statuæ, qua [4] Brutorum, qua [5] Camillorum. Nec discrepat caussa, illi enim reges hostemque victorem mœnibus depulerunt: hic regnum ipsum, [a] quæque alia captivitas gignit, arcet ac submovet: sedem-
10 que obtinet principis, [b] ne sit domino locus. Ac mihi intuenti sapientiam tuam minus mirum videtur, quod mortales istos caducosque titulos, [c] aut depreceris, aut temperes. Scis enim ubi vera principis, ubi sempiterna sit gloria, ubi sint honores, [d] in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus enim & statuas, aras etiam templaque [6] demolitur
15 & obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas: contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab ullis magis laudatur, [7] quam quibus minime necesse est. Præterea, ut quisque factus est princeps; ex templo fama ejus, incertum bona an mala, ceterum æterna est. Non ergo perpetua principi fama, quæ
20 invitum manet, sed bona concupiscenda est, ea porro non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis prorogatur. Quinetiam leviora hæc, formam principis figuramque, [8] non aurum melius, vel argentum, quam favor hominum exprimat, teneatque: quod quidem prolixe tibi cumulateque

INTERPRETATIO.

a *Et cetera* mala *quæ servitus* secum *affert.*
b *Ne tyrannus* hanc sedem *occupet.*
c *Aut refugias, aut ex parte* tantum *admittas.*
d *Quos neque ignis, neque vetustas, neque posteri adimere possint.*

NOTÆ.

in funere, dicunt, ac faciunt prope plura dolentibus ex animo. Deinde quia adulatores jam novitatis gratiam præceperant.

2. *Amplissimos honores.*] Consulatum tertium, ut supra, & nomen patris patriæ, quod multis tantum post annis sibi decerni passus est.

3. *Et nobis, &c.*] Quia exhausto ad statuarum impensas ærario, non sumus ad illud replendum bonis spoliandi.

4. *Brutorum.*] Is est L. Junius Brutus qui Tarquinium superbum ac una cum eo regium nomen e republica sustulit an. V. C. 245. ob quod factum primus Romanorum consul factus est, atque in singulari certamine cum Arunte Tarquinii filio congressus cum cecidisset, libertatis per eum restitutæ memor populus Rom. corpus ejus in foro posuit: quin & in Capitolio inter Reges positus: dextra gladium tenens. *Plutarchus in Bruto.*

5. *Camillorum.*] De Camillis dictum est supra n. 12. not. 9. Huic qui Gallos expulit *statua sine tunica in rostris posita est.* Plinius.

6. *Demolitur &c.*] Lipsius, *Demolitur ætas, obscurat oblivio.* Bene: si alicujus codicis accedat auctoritas.

7. *Quam quibus &c.*] Quam ab iis, qui non ex servili quadam necessitate id facere coguntur.

8. *Non aurum.*] Id intelligebat Agesilaus, qui cum moriens vetaret, ne ulla sui imago fieret, si quod, inquiebat, præclarum facinus gessi, hoc erit mihi monumentum.

contingit,

contingit, cujus lætissima facies, & amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet.

LVI. Annotasse vos credo P. C. jamdudum me[1] non eligere quæ referam: propositum est enim mihi principem laudare, non principis facta, nam laudabilia multa etiam mali faciunt; ipse laudari,[2] nisi optimus, non 5 potest. Quare non alia major, imperator Auguste, gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias[a] nihil velandum est, nihil omittendum est. Quid est enim in principatu tuo, quod cujusquam prædicatio vel transilire, vel prætervehi debeat? quod momentum, quod imo temporis punctum, aut [3] beneficio sterile, aut vacuum laude? non omnia ejusmodi, ut is optime te 10 laudasse videatur, qui narraverit fidelissime? Quo fit, ut prope in immensum diffundatur oratio mea: & necdum[4] de biennio loquor. Quam multa dixi de moderatione, & quanto plura adhuc restant? ut illud, quod[5] secundum consulatum recepisti, quia princeps & pater deferebat. At postquam ad te imperii summam, & cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem 15 dii transtulerint; tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses. [6] Magnum est differre honorem; gloriam, majus.[b] Gestum consulatum mirer, an non receptum? Gestus non in hoc Urbis otio, & intimo sinu pacis: sed juxta[7] barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris,[8] paludamento mutare prætextam, ignotasque terras victoria 20

INTERPRETATIO.

a *Nihil obtegendum* dissimulatione.

b Utrum-ne *mirari debeo consulatum quem gessisti, an quem recusasti?*

NOTÆ.

1. *Non eligere.*] Elegans artificium hujus loci. Nam primo nihil æque fugit, quam ut videatur argutius conquisivisse, quæ ad Trajani laudem huc usque attulit. Deinde quia de biennio tantum loquitur, ac pauca habet præclare facta quæ sigillatim persequi possit, probat majus esse quidpiam ad principis laudem, si in genere laudetur.

2. *Nisi optimus.*] Id est, nisi omni laude cumulatus. Forte etiam alludit ad Trajani nomen, qui *optimus* appellatus est, ut supra dictum n. 2. not. 18.

3. *Beneficio sterile.*] Eam diem perdidisse se aiebat Titus, quo nullum in quemquam beneficium contulisset. Multo vero munificentior fuit Trajanus, qui ne momentum quidem sibi elabi patiebatur, quin alicui commodaret.

4. *De biennio loquor*] Hinc patet habitam hanc orationem tertio Trajani imperii anno. Sed hoc fusius initio demonstravimus in Plinii vita.

5. *Secundum consulatum.*] Trajanus annum agens 44. ab imperatore Nerva secundum consul factus est. Vide supra in Trajani vita.

6. *Magnum est.*] Magnum est differre magistratum, majus vero quidpiam dilatam velle gloriam, quæ ex magistratu bene gesto reditura est.

7. *Barbaras gentes.*] In Germania ubi toto primi & secundi consulatus tempore exercitui præfuit.

8. *Paludamento.*] Sensus est, ut erat mos eorum qui prætexta, quæ vestis magistratuum erat, deposita paludamenrum induebant. *Paludamentum* autem fuit chlamys coccinei coloris. *Plin. l.* 22. interdum & albi, ut ait Valerius Max. lib. 1. c 6. n. 11. ab humeris ad pedes dependens, ut ex numis patet. Vestis erat imperatoris ad expeditionem aliquam proficiscentis, vel, ut ait Festus, cujusvis militis. Videri potest *Lipsius de*

sequi. Pulchrum imperio, gloriosum tibi, cum te [9] socii atque amici, sua in patria, suis in sedibus adierunt. Decora facies consulis: multa post secula [10] tribunal viridi cespite exstructum, nec [11] fascium tantum, [12] sed pilorum signorumque honore circundatum. Augebant majestatem præsidentis, di-
5 versi postulantium habitus, ac dissonæ voces, raraque sine interprete oratio. Magnificum est civibus jura; [13] quid hostibus reddere? speciosum certam [14] fori pacem; quid immanes campos [15] sella curuli, victorisque vestigio premere? [16] imminere minacibus ripis tutum quietumque; quid spernere barbaros fremitus, hostilemque terrorem, non armorum magis, quam [17]
10 togarum ostentatione compescere? Itaque non te [18] apud imagines, sed ipsum præsentem audientemque consalutabant imperatorem: nomenque, quod alii domitis hostibus, tu contemptis merebare.

LVII. Hæc laus acti consulatus; illa dilati, quod adhuc initio principatus, [1] ut jam excusatus honoribus & expletus, [2] consulatum recusasti:
15 quem [3] novi imperatores destinatum aliis, in se transferebant. [4] Fuit etiam, qui in principatus sui fine, consulatum quem dederat, ipse magna ex parte

NOTÆ.

militia Rom. l. 2. Dial. ultimo.

9. *Socii.*] Fortasse Germani, qui socii potius populi Romani, quam ei subditi.

10. *Tribunal viridi cespite.*] Tacitus An. l. 1. c. 18. *simul congerunt cespites, extruunt tribunal*: In quem locum Lipsius variorum scriptorum loca congerit, quibus antiquum hunc morem probet in castris tribunal e cespite imperatori educendi.

11. *Fascium.*] Qui a lictoribus ante consulem duodeni præferebantur.

12. *Sed pilorum.*] Hastæ, pila, vexilla defixa in terram erant, dum Trajanus consul milites adloquebatur. Ita exhibetur in Trajani columna: ita in sexcentis numis quorum subscriptio est, *adlocutio*. Mox pro *honore* Lipsius legit *horrore*.

13. *Quid hostibus.*] Quanto vero majus quiddam est populis recens imperio Romano subjectis: proindeque obsequio nondum assuetis, jus dicere?

14. *Fori pacem.*] Alii *partem*.

15. *Sella curuli*] Sella curulis erat eburnea, & posita in eo curru, quo in curiam vehi honoris causa, non tantum consules solebant: sed & quicunque curulem, id est, majorem magistratum gessissent. Videri potest *Aulus Gellius l. 3. c. 18.*

16. *Imminere.*] Magnum est hoc, Rheni, vel Danubii ripis placidum & securum imminere.

17. *Togarum.*] Quas in jurisdictione fumebant, saltem advocati, & causidici & id genus. *Lipsius.*

18. *Apud imagines.*] Notat Lipsius imperatoris imaginem in castris poni solitam, ad quam venerandam exteri adducerentur.

1. *Ut jam excusatus.*] Gruterus: aliqui libri habent *exsatiatus*.

2. *Consulatum recusasti.*] Mos erat ut novi imperatores proximis post imperii auspicia Calendis Januarii consulatum ederent, quod fasti omnes ostendunt; & Apollinaris Sidonius de Avito Carmine 7. *Principis interior, nunc consulis iste coruscat annus, & emerita trabeis diademata crescunt.* Hic autem Plinius Trajani moderationem laudat, quod tertium consulatum qui sibi pro imperatoris jure debebatur, privatus hominibus cedere voluerit.

3. *Novi imperatores.*] Utrum Nero, qui *consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum*? Suet. Nerone c. 43. an Vitellius? *qui se in perpetuum consulem fecit*? Suet. c. 11. An, quod crediderim magis, Otho, qui Galba per insidias occiso, rerum potitus, *cum Titiano fratre consulem in Kal. Martias se fecit? ceteros autem consulatus, ex destinatione Neronis, aut Galbæ instituit.* Tacit Hist. l. 1. c. 77.

4. *Fuit etiam*] Catanæus id accipiendum putat de Domitiano, qui Acilium Glabrionem Trajani in consulatu collegam interfecit, *Dio.*

jam gestum, extorqueret & raperet. Hoc ergo honore, quem & incipientes principes, & desinentes adeo concupiscunt, ut auferant; tu otioso ac [5]vacante, privatis cessisti. Invidiosusne erat aut tibi [6] tertius consulatus, aut principi primus? nam secundum imperator quidem, sub imperatore tamen inisti: nihilque imputari in eo vel honori potest, [7] vel exemplo, nisi obsequium. Ita vero, quæ civitas [8] quinquies, atque etiam sexies consules vidit, [9] non illos qui exspirante jam libertate per vim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis & absentibus, in rura sua consulatus ferebantur; in hac civitate tertium consulatum princeps generis humani, ut per gravem, recusasti? Tantone Papiriis etiam & Quintiis moderatior Augustus, & Cæsar, & pater patriæ? [10] At illos resp. ciebat, quid te non eadem resp.? non senatus, non consulatus ipse? qui sibi tuis humeris attolli, & augescere videtur.

LVIII. [1] Non te ad exemplar ejus voco, qui continuis consulatibus fecerat longum quemdam, & [2] sine discrimine annum: his te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, [3] non sibi præstitisse. [4] Erat in senatu ter consul, cum tu tertium consulatum recusabas. [5] Onerosum nescio quid verecundiæ tuæ consensus noster indixerat, ut princeps toties consul esses, quoties senator tuus, [a] nimia modestia istud, etiam privatus, recusasses. An consularis viri triumphalisque filius, cum tertio consul creatur, ascendit? non debitum hoc illi? non vel sola generis claritate promeritum? Contigit

INTERPRETATIO.

a *Nimium modestus* fuisses, si *vel privatus*.

NOTÆ.

5. *Vacante.*] Extincto Nerva imperatore cum penes te unum esset tota auctoritas.

6. *Tertius.*] Si numerentur consulatus, quos privatus gessit: sin minus, primus censeri potest.

7. *Vel exemplo.*] Unde posteri principes exemplum petere possint sæpius consulatum ineundi.

8. *Quinquies, atque etiam sexies.*] Intelligit haud dubie L. Papirium Cursorem, qui quinquies, & T. Quinctium Barbatum Capitolinum, qui sexies consul fuit. Utrumque enim mox appellat.

9. *Non illos.*] Non C. Marium septies, non C. Cæsarem quinquies consulem factum.

10. *At illos.*] Haud dubie C. Attilium Regulum, cui Serrano cognomen.

1. *Non te.*] Quanquam nolim te Domitiano similem, qui septemdecim consulatus omnibus execrandos gessit. *Fasti Rom.*

2. *Sine discrimine.*] Annorum enim discrimen ab variis consulibus petebatur.

3. *Non sibi &c.*] Non utilitatis suæ causa, sed publicæ consulatus gessisse.

4. *Erat in senatu.*] An. C. Silius Italicus poeta, triplici consulatu clarus, qui tum exulabat quidem in Campania, ut apparet ex Plinii l. 3. ep. 7. sed tamen eo sensu in senatu tum fuisse dici potest, quod inter senatores censeretur. Errant vero qui de Virginio Rufo locum hunc intelligunt. Is enim obierat Nerva tertium consule, ejusque in locum Cornelius Tacitus historicus insignis suffectus est. *Onufr. Panvin.*

5. *Onerosum nescio quid*] *Eiρωνικῶς*: neque enim magnum onus afferebatur principi quantumvis verecundo, cum communibus omnium votis ab eo postulabatur, ut quem tertium consulatum unus e senatorum numero, nempe Virginius gessisset, ipse princeps non recusaret.

ergo [6] privatis [7] aperire annum, Fastosque reserare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul al us quam Cæsar esset. Sic exactis regibus cœpit liber annus: [b] sic olim servitus pulsa privata Fastis nomina induxit. [8] Miseros ambitionis, qui ita consules semper, ut semper principes erant!
5 quanquam non ambitio magis, quam livor & malignitas videri potest, omnes annos possidere, summumque illud purpuræ decus, non nisi præcerptum [9] præfloratumque transmittere. Tuam vero magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem prius mirer? Magnanimitas fuit expetito semper honore abstinere; modestia cedere, benignitas [10] per alios frui.
10 LIX. Sed jam tempus est [a] te ipsi consulatui præstare, ut majorem eum suscipiendo gerendoque facias. Nam sæpius recusare, ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem ut maximum recusasti, sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando & non recusaveris. Cum [1] arcus, cum [2] tropæa, cum statuas deprecaris; tri-
15 buenda est verecundiæ tuæ venia: illa enim sane [3] tibi dicantur: Cum vero postulamus, ut futuros principes doceas inertiæ renunciare, paulisper delicias differre, paulisper & saltem ad brevissimum tempus, ex illo felicitatis somno velut excitatos [4] induere prætextam, quam cum dare possent, occuparint; ascendere curulem quam detineant; [5] esse denique quod concu-
20 pierunt, nec ideo tantum velle consules fieri ut fuerint. Gessisti alterum

INTERPRETATIO.

b *Sic quondam servitute depulsa privatorum nomina fastis inscripta sunt.*

a *Ut te impendis consulatui gerendo.*

NOTÆ.

6. *Privatis.*] Sosio Senecioni, & A. Cornelio Palmæ.

7. *Aperire annum.*] Consules aperire annum dicebantur, quia primo anni die, & inibant consulatum, & eorum nomina fastis inscribebantur.

8. *Miseros ambitionis.*] Usus loquendi usitatus Horat. *Felix cerebri. Integer vitæ, animi, mentis. Amens animi. Egregius animi. Vagus animi, Fortunatus laborum, seri studiorum. Somni benignus. Fessus operum &c.*

9. *Præfloratumque.*] Prælibatum. In rerum initiis inest novitatis nitor quidam, ac veluti flos, quem si præcerpseris ac prælibaris; quod reliquum fuerit, nihili aut certe flocci fiat.

10. *Per alios.*] Non placet Lipsii emendatio qui legi vult, *pati alios frui.*

1. *Arcus.*] Exterarum gentium victoribus erigi solitos, quique laterini primum, ut Romuli temporibus, tum ex lapide quadrato, ut Camilli ætate. Demum, aucta majestate Rom. nominis, facti sunt marmorei. *Georg. Fabricius in sua vetere Roma c. 15.*

2. *Tropæa.*] Tropæum vox Græca est a τρόπη fuga. Monumentum est a victore erectum in eo loco, ubi hostes vicit. Fiebant primum ex trunco arboris, cui, ut ait Virgilius Æneid. l. 11. 5. *decisi essent undique rami.* Hunc autem, ut speciem humani corporis referret, armis vestiebant; aut aliis ornabant hostium spoliis. Neque pro spoliorum strue illa, ac victoriæ signo apud bonos scriptores sumitur tantum, sed & pro victoria ipsa. Horat. l. 2. od. 9. *Et potius nova cantemus Augusti tropæa.* Aliqui legi malunt *trophæa* quam *tropæa*, quibus non dissentio, etsi Græce τρόπαιον nam ῥιπαῖα ὄρη *Riphæi montes*, & Βόσπορος latine *Bosphorum* dicitur.

3. *Tibi dicantur &c.*] Tibi uni, tuæ gloriæ dantur, neque ulla inde ad nos manat utilitas.

4. *Induere prætextam.*] Consularem.

5. *Esse denique quod &c.*] Id est, reipsa

consulatum, scio; illum exercitibus, illum provinciis, illum etiam [6] ceteris gentibus poteris [7] imputare, non potes nobis. Audimus quidem te omne munus consulis obiisse, sed audimus. Diceris justissimus, humanissimus, patientissimus fuisse: sed diceris: æquum est aliquando nos judicio nostro, nostris oculis, non famæ semper & rumoribus credere. Quousque absentes de absente gaudebimus? liceat experiri, an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus consulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominum, [8] medius annus valet, in principum plus. [9] Didicimus quidem, cui virtus aliqua contingat, omnes inesse: cupimus tamen experiri, an nunc quoque una eademque res sit, bonus consul, & bonus princeps. Nam præter id quod est arduum, duas, easque summas, simul capere potestates? tum inest utrique nonnulla diversitas, cum principem quam simillimum esse privato, consulemque quam [10] dissimillimum deceat.

LX. Atque ego video [1] proximo anno consulatus recusandi hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poteras, sed jam Urbi votisque publicis redditus, quid est, in quo magis sis approbaturus, quæ quantaque fuerint quæ desiderabamus? Parum est ut in curiam venias, [2] nisi & convocas: ut intersis senatui, nisi & præsides: ut censentes audias, nisi & perrogas. Vis illud augustissimum consulum aliquando tribunal, majestati suæ reddere? ascende. Vis constare reverentiam magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam [3] postulantibus? adi. [4] Quod enim interesset reipub. si privatus esses, consulem te haberet tantum, an & senatorem; hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an & consulem.

NOTÆ.

officium consulis fungi.

6. *Ceteris gentibus.*] In Cuspiniani editione, item & in Lugdunensi est *exteris gentibus*, quod magis placet.

7. *Imputare.*] Afferre excusationis loco.

8. *Medius annus.*] Inieras consulatum Kal. Jan. eumque ad sex circiter menses gestum honorariis consulibus cessisti. Quis scit autem, an ab eo tempore quo te consulem non sentimus, hoc est a medio anno nulla in te facta sit morum mutatio? Sensus etiam esse potest. Liceat experiri, an medius annus (rotundat numerum) quo cum Nerva vixisti consul simul, & imperator, mores tuos non immutarit.

9. *Didicimus.*] Nempe a Stoicis statuentibus, ita virtutes communi quodam vinculo conjunctas esse, ut in quo virtus una sit, is ceteras complectatur.

10. *Dissimillimum deceat &c.*] Principem enim decet in primis humanitas: consul vero retinendæ dignitati magis studere debet.

1. *Proximo anno*] Id est, an. Chr. 99. qui proxime eum præcessit, quo Trajanus, ut mox addit, cessit tandem reipublicæ precibus, *non ut se privatis, sed ut privatos pares sibi faceret. Recepit enim tertium consulatum, ut daret.* Quæ verba oscitanter legisse Lipsium oportet, qui in panegyrici argumento *proximum annum* intellexit de anno quartum Trajani consulatum proxime consequente.

2. *Nisi & convocas.*] Nisi consul venias. Consulis enim erat senatum, cum libitum erat, convocare, in sella curuli tanquam in tribunali præsidere, quid censerent senatores rogare, & perrogare, quod postremum maxime ad eum pertinebat, penes quem eo mense fasces erant.

3. *Postulantibus.*] An *Petulantibus* ut alii legunt nam litigatores, & causidici, inquit Lipsius, immodestum sæpe genus & judicibus molestissimum.

4. *Quod enim.*] Sententia est. Quod

His tot tantiſque rationibus, quanquam multum reluctata verecundia principis noſtri, tandem tamen ceſſit. At quemadmodum ceſſit? non ſe ut privatis, ſed ut privatos pares ſibi faceret. Recepit enim tertium conſulatum, ut daret. Noverat moderationem hominum, noverat pudorem, qui non
5 ſuſtinerent [5] tertio conſules eſſe, niſi cum [6] ter conſule. [7] Bellorum iſtud ſociis olim, periculorum conſortibus, parce tamen tribuebatur; quod tu [8] ſingularibus viris, [9] ac de te quidem bene ac fortiter præſtitiſti, ſed in toga meritis. Utriuſque cura, utriuſque vigilantia obſtrictus es, Cæſar: ſed in principe rarum, ac prope inſolitum eſt, ut ſe putet obligatum, aut ſi putet,
10 amet. Debes ergo, Cæſar, & ſolvis. Sed cum ter conſules facis, non tibi magnus princeps, ſed non ingratus amicus videris. Quin etiam perquam modica quædam civium merita, fortunæ tuæ viribus in majus extollis: efficis enim, ut tantum tibi quiſque præſtitiſſe videatur, quantum a te recipit. Quid iſti benignitati precer? niſi ut ſemper obliges, obligeris, incertumque
15 facias, [10] utrum magis expediat civibus tuis debere tibi, an præſtitiſſe.

LXI. Equidem illum antiquum ſenatum contueri videbar, cum ter conſule aſſidente [1] tertio conſulem deſignatum rogari ſententiam cernerem, quanti tunc illi, quantuſque tu? Accidit quidem, ut corpora quamlibet ardua & excelſa, procerioribus [a] admota, decreſcant, item, ut altiſſimæ ci-
20 vium dignitates, [b] collatione faſtigii tui, quaſi deprimantur, quantoque

INTERPRETATIO.

a *Cum altioribus comparata, minora videantur.*

b *Comparatione dignitatis tuæ quaſi decreſcant.*

NOTÆ.

enim priſcis temporibus fuiſſet e bono reipublicæ, ſi privatus fuiſſes, ut te non conſulem modo, ſed & ſenatorem haberet; id puta plurimi nunc ejus intereſſe, ut te non principem tantum, verum & conſulem habeat, ut & auctoritatis tuæ præſidio tuta ſit, & adminiſtretur ſapientia.

5. *Tertio conſules*] Fuit illud Ciceronis temporibus a viris doctiſſimis agitatum; utrum in æde, quam Pompeius Victoriæ dedicabat, inſcribendum eſſet: *Tertio*, vel *Tertium* conſul. Quam controverſiam dirimere ne auſus quidem eſt Tullius: Tres tantum, inquit, hujus vocis literæ incidantur, *Ter.* Sic & *Tertio*, & *Tertium* conſul pro arbitrio legetur. Id ex Varrone & Tironis epiſtola fuſe narrat *Aulus Gellius l.* 10. *c.* 1.

6. *Ter conſule.*] Utrum Plinii, aut librarii cautio eſt; *Ter* pro *Tertium*, aut *Tertio* juxta Tullii conſilium ſcribentis; alii viderint: ſed in alio Plinii loco *iterum conſul*, & apud alios *bis conſul* legitur.

7. *Bellorum.*] Ut Julius Cæſar Antonio.

8. *Singularibus viris.*] Puta M. Cornelium Frontonem oratorem, quem Trajanus conſul tertio conſulem ſecum fecit, & Sextum Pompeium, ſi Onufrio quidem credimus, in Kal. Martias tertium conſulem deſignatum.

9. *Ac de te quidem.*] Obſcura ſententia, niſi reſtituatur ordo, qui eſt ad oram editionis Livinejanæ: *Ac de te quidem bene ac fortiter, ſed in toga meritis præſtitiſti.* Id eſt, id quidem eis dediſti, cum propter ea quæ in te contulere beneficia, tum propter egregie navatam in negotiis civilibus operam.

10. *Utrum magis expediat.*] Utrum utilius ſit *debere tibi*, id eſt, accepiſſe a te beneficium, *An præſtitiſſe*, id eſt, an dediſſe. Quia nimirum, præſentem meritorum noſtrorum fructum, & remunerationem ferimus.

1. *Tertio conſulem.*] Sext. Pompeium, de

propius ad magnitudinem tuam ascenderint, [c] tanto etiam a sua descendisse videantur. Illos tamen tu, quanquam non potuisti tibi æquare cum velles, adeo in edito collocasti, ut tantum super ceteros, quantum infra te cernerentur. [2] Si unius tertium consulatum eundem in annum, in quem tuum contulisses: ingentis animi specimen haberetur: ut enim felicitatis est, 5 quantum velis, posse, sic magnitudinis, velle, quantum possis. Laudandus quidem & ille, qui tertium consulatum meruit: sed magis, sub quo meruit. Magnus memorandusque qui tantum præmium cepit: sed major, qui capienti dedit. Quid? quod duos pariter tertio consulatu collegas tui sanctitate decorasti? ut sit nemini dubium, hanc tibi præcipuam causam fuisse 10 extendendi consulatus tui, ut duorum consulatus amplecteretur, & collegam te [3] uni daret. Uterque nuper [4] consulatum alterum gesserat a patre tuo, id est, [5] quanto minus quam a te datum: [d] utriusque adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrabant: utriusque solennis ille lictorum & [6] prænuncius clamor auribus insederat: cum rursus curulis, rursusque purpura, ut 15 olim, cum hostis in proximo, & in summum discrimen adducta respubl. expertum honoribus virum posceret, [7] non consulatus hominibus iisdem, sed iidem homines consulatibus reddebantur. Tanta tibi benefaciendi vis, ut indulgentiam tuam necessitas æmuletur. Modo prætextas exuerant, resumant; modo lictores abire jusserant, revocent; modo gratulantes amici re- 20 cesserant, revertantur. Hominisne istud ingenium est? hominis potestas? renovare gaudia, redintegrare lætitiam, nullamque requiem gratulationis dare: neque alia repetendis consulatibus intervalla permittere, [8] nisi dum finiuntur? Facias ista semper, nec unquam in hoc opere, aut animus tuus aut fortuna lassetur: des quam plurimis tertios consulatus, & cum plu- 25 rimis tertios consulatus dederis, semper tamen plures, quibus debeas dare, supersint.

INTERPRETATIO.

c *Tanto plus amisisse de sua.*
d *Etiam tunc ante oculos utriusque obversabantur fasces, quos paulo ante dimiserant.*

NOTÆ.

quo supra dictum est not. 8.

2. *Si unius &c.*] Sententia est. Si quo anno tertium consul factus es, eodem privatum hominem tertio consulem tecum esse voluisti.

3 *Uni.*] Id est, Frontoni. Neque enim Trajanus initio anni Pompeii collega fuit, si quidem Fronto in Kalendas tantum Martias fuit consul designatus.

4. *Consulatum alterum.*] Id est, secundum.

5. *Quanto minus.*] Quanto minus gloriosum est consulatum a Nerva, quam a te accepisse?

6. *Prænuncius clamor*] Populum pro more summoventium hoc solenni verbo, *animadverte*, ut adventanti consuli cederent, assurgentesque cum plausu illum exciperent. Sueton. in Julio c. 80. *Cum lictor ex more animadverti jussisset.*

7. *Non consulatus.*] Haud absimile illud Valerii Maximi l. 7. c. 5. de repulsis. n. 6. *Non Catoni tunc prætura, sed prætura Cato negatus est.* Seneca vero consol. ad Helv. c. 13. *Quis M. Catonis ignominiam putet fuisse, duplicem in petitione præturæ, & consulatus repulsam? ignominia illa præturæ & consulatus fuit.*

8. *Nisi dum finiuntur.*] Nisi quantum

LXII. Omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis quam ad similes redundat: præcipue tamen ex horum consulatu, non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum tanta lætitia pervenit, ut eundem honorem omnes sibi & dedisse,
5 & accepisse videantur. Nempe enim hi sunt, quos senatus, cum publicis [1] sumptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit equidem primos. Hoc est igitur, hoc est quod penitus illos animo Cæsaris insinuavit. An parum sæpe experti sumus, hanc esse rerum conditionem, ut senatus favor apud principem aut prosit, aut noceat? Nonne paulo ante nihil ma-
10 gis exitiale erat, quam illa principis cogitatio? hunc senatus probat, hic senatui carus est. [2] Oderat quos nos amaremus, sed & nos, quos ille. [a] Nunc inter principem senatumque dignissimi cujusque charitate certatur, demonstramus invicem, credimus invicem; quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. Proinde P. C. [3] favete aperte, diligite con-
15 stanter. Non jam dissimulandus est amor, ne noceat; non premendum odium, ne prosit. Eadem Cæsar, quæ senatus, probat improbatque: vos ille præsentes, vos [4] etiam absentes in consilio habet. Tertio consules fecit, quos vos elegeratis: & fecit hoc ordine, quo electi a vobis erant. [5] Magnus uterque honor vester, sive eosdem maxime diligit, quos scit vobis esse cha-
20 rissimos; sive illis neminem præfert, quamvis aliquem magis amet. Proposita sunt senioribus præmia, juvenibus exempla: adeant, frequentent securas tandem ac patentes domos: quisquis probatos senatui viros suscipit, hic maxime principem promeretur. Sibi enim accrescere putat, quod cuique astruatur: nullamque in eo gloriam ponit, quod sit omnibus major,
25 nisi maximi fuerint, quibus major est. Persta, Cæsar, in ista ratione propositi, [6] talesque nos crede, qualis fama cujusque est. [7] Huic aures, huic oculos

INTERPRETATIO.

a *Jam vero princeps & senatus dignissimos quosque certatim amant.*

NOTÆ.

necesse est, ut finito uno consulatu, alter incipiat.

1. *Sumptibus minuendis.*] Exhausto per Domitianum ærario, Nerva, multis sacrificiis circensibus, & spectaculis sublatis, necesse habuit publicos sumptus, quantum potuit, minuere. *Dio.*

2. *Oderat &c.*] Oderat Domitianus, quos amabamus, & vicissim, quos amabat ille, oderamus.

3. *Favete aperte.*] Quibuscunque lubitum est.

4. *Etiam absentes.*] Quantum autem id Nervæ senatum devinxerit, vide apud Dionem.

5. *Magnus uterque.*] In Lugdunensi editione, *uterque honor vester.* Catanæus legit, *magnum utrumque videretur.* Melius hic quidem, modo codicis alicujus auctoritatem proferret.

6. *Talesque.*] Sententia est: ut de nobis æquum judicium feras, famæ ac communi hominum opinioni, quæ, ut ait Aristoteles 3. Pol. 7. raro fallitur, credendum est potius, quam malevolis nonnullorum susurris.

7. *Huic aures.*] *Huc aures.* Livineius.

intende,

intende, ne respexeris clandestinas existimationes, [b] nullisque magis, quam audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus, quam singulis creditur, singuli enim decipere & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

LXIII. Revertor jam ad consulatum tuum; etsi sunt quædam ad 5 consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen. In primis, quod [1] comitiis tuis interfuisti, [2] candidatus non consulatus tantum, sed immortalitatis, & gloriæ, & exempli, quod sequerentur boni principes, mali mirarentur. Vidit te populus Romanus in illa [3] vetere potestatis suæ sede: perpessus es longum illud [4] carmen comitiorum, [5] nec jam irridendam moram: 10 consulque sic factus es, ut unus ex nobis, [6] quos facis consules. Quotusquisque principum antecedentium honorem istum aut consulatui habuit, aut populo? Non alii marcidi somno, hesternaque cœna redundantes, comitiorum suorum nuncios operiebantur? Alii sane pervigiles & insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus, a quibus consules renunciabantur, exilia & cædem machinabantur. O prava & inscia veræ majestatis ambitio, concupiscere honorem, quem dedigneris: dedignari, quem concupieris: cumque ex proximis [7] hortis campum & comitia prospectes, sic ab illis abesse, tanquam Danubio Rhenoque dirimare! [8] Averseris tu honori 15

INTERPRETATIO.

b *Nemini magis noxios, quam iis a quibus audiuntur.*

NOTÆ.

1. *Comitiis.*] Locum hic intelligit in quem ad creandos magistratus conveniebant, quicunque jus haberent suffragii. Is erat campus Martius. *Comitia* sumuntur sæpius pro conventu ipso.

2. *Candidatus.*] Dicebatur qui aliquem magistratum ambiebat, a *toga candida* quam per id tempus induebat, sive ut colore illo, qui solus purus sincerusque est, integritatem suam testaretur, sive ut agnosci ab omnibus posset. Illi autem prima luce, in loco aperto, captatis auspiciis, ire per comitia, suffragatores rogare, prensare illorum manus, & nudato etiam corpore cicatrices, si quas in bello accepissent, ostendere. Hoc loco metaphorice dicitur *candidatus immortalitatis & gloriæ*: quomodo apud Quintil. *Candidatus eloquentiæ*.

3. *Vetere.*] Nempe quandiu tum magistratus hic libere creati, tum latæ aut abrogatæ, ex populi placito leges fuerunt. Extremis vero temporibus quasi *servitutis sedes*.

4. *Carmen.*] Hic pro solenni quadam eaque longa precationum formula sumitur, qua comitiorum præses, sive is consul, sive absente consule dictator aut interrex esset, a diis petebat, ut quidquid decernendum esset, sibi, magistratui, senatui, populoque bene ac feliciter verteret.

5. *Nec jam irridendam.*] Quid enim ridendum magis quam mora illa, & ad exquirendam deorum voluntatem accommodata precatio: siquidem nulla comitiorum, deorumque ratione habita, eligendi erant, quos lubitum esset principibus.

6. *Quos facis consules.*] Jul. Cæsar jus creandi consulis a populo totum in se transtulit, donec comitiorum more revocato Caligula suum populo jus reddidit. Extremis vero reipublicæ temporibus, ut aliqua saltem priscæ libertatis umbra esset, consulem in comitiis imperator aut proponebat, aut, si abesset, proponi jubebat: populus suffragio rem totam comprobabat.

7. *Hortis.*] Agrippinæ, quos Caius, & alii subinde imperatores suo palatio adjunxere, unde patebat prospectus in campum Martium, ubi comitia habebantur.

8 *Averseris.*] Sententia est. Itane unus ex illis fores, qui dedignabantur ipsa suf-

tuo ſperata ſuffragia, renunciarique te conſulem juſſiſſe contentus liberæ civitati ne ſimulationem quidem ſerves? abſtineas denique comitiis, abſtruſus atque abditus, quaſi illic tibi non conſulatus detur, ſed abrogetur imperium? Hæc perſuaſio ſuperbiſſimis dominis erat, ut ſibi viderentur
5 principes eſſe deſinere, ſi quid facerent tanquam ſenatores. Plerique tamen non tam ſuperbia, quam metu quodam ſubmovebantur. An [9] ſtuprorum ſibi inceſtarumque noctium conſcii, [10] auſpicia polluere, [11] ſacratumque campum nefario auderent contaminare veſtigio? non adeo deos hominesque contempſerant, ut in illa [12] ſpatioſiſſima ſede hominum deorumque
10 conjectos in ſe oculos ferre ac perpeti poſſent. Tibi contra, & moderatio tua ſuaſit, & ſanctitas: ut te & religioni deorum, & judiciis hominum exhiberes, alii conſulatum ante quam acciperent, tu & [13] dum accipis, meruiſti.

LXIV. Peracta erant ſolennia comitiorum, [1] ſi principem cogitares,
15 jamque ſe omnis turba [2] commoverat: cum tu, mirantibus cunctis, accedis ad conſulis ſellam, adigendum te præbes [3] in verba principibus ignota, niſi cum jurare cogerent alios. Vides quam neceſſarium fuit conſulatum non recuſare? Non putaſſemus iſtud facturum te fuiſſe, ſi recuſaſſes. Stupeo, P. C. necdum ſatis aut oculis meis, aut auribus credo, atque identi-
20 dem me, an audierim, an viderim interrogo. Imperator ergo, & Cæſar, & Auguſtus, [4] Pontifex maximus, ſtetit ante gremium conſulis? ſeditque

NOTÆ.

fragia, quibus ſibi conferebatur conſulatus, & contenti præcepiſſe ut conſules renunciarentur, ne id quidem pro accepto tanto honore populo, ſenatuique rependebant, ut eorum adverſus ſe ſtudia non ingrata ſibi eſſe ſimularent?

9. *Stuprorum.*] Caium, & Domitianum notat, quorum teferendis libidinibus abſtineo, cum eas, ut & ceterorum imperatorum, ſatis prolixe referat Suetonius.

10. *Auſpicia*] Comitia, ut alia ferme alicujus momenti negotia, non niſi captatis prius auſpiciis agebantur. Supra n. 1. not 2.

11 *Sacratum.*] Marti, fortaſſe a Romulo.

12. *Spatioſiſſima.*] Hic enim & deorum delubra & multorum illuſtrium virorum erant imagines. Quare campum illum, quod etiam ait Strabo, ampliſſimum fuiſſe oportet.

13. *Dum accipis.*] Quia non dedignaris inter candidatos videri.

1. *Si principem cogitares.*] Quæ enim prætetea ad privati hominis electionem neceſſaria fuiſſent, ad principem eligendum in conſulem non requirebantur. Haud abſimili loquendi formula utitur Plinius, l 6. ep. 31. de Trajani cœna. *Modica* erat, *ſi principem cogites.*

2. *Commoverat.*] Facta ab eo qui comitiis præerat abeundi poteſtate; hoc ſolenni verbo, *Nihil moramur vos P. C.* Tumque, ſigno militari, quod initio comitiorum in Janiculo erectum fuerat, detracto, exercitum dimitti ſolitum refert *Dio l.* 37.

3. *In verba principibus ignota.*] Conſules magiſtratus ſui initio ſolenni ſe ſacramento obſtringere ſolitos, idque apud eum qui de conſulatu abibat, tum ex hoc Plinii loco poteſt colligi, tum *ex Tulli orat. in Piſonem, n.* 7. & *orat. pro Muræna.* Juramenti vero & rationem, & ſi non formulam integram, clauſulam certe habes in ſequentibus verbis, *ſi ſciens fallo, tum Jupiter diique omnes mihi meæque domui irati ſunto.* Quod autem addit verba hæc principibus ignota, tamen ab Auguſto factum hoc juramentum refert *Dio initio lib.* 53.

4. *Pontifex maximus*] Qui maximarum re-

consul, principe ante se stante: & sedit inturbatus, interritus & tanquam ita fieri soleret? quin etiam sedens [5] præbuit jusjurandum, & ille juravit, expressit explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. Ingens, Cæsar, & par gloria tua, [6] sive fecerint istud postea principes, sive non fecerint. Ullane satis prædicatio digna est, idem tertio consulem fecisse, quod primo? [7] idem principem, quod privatum? idem imperatorem, quod sub imperatore? Nescio jam, nescio pulchriusne sit istud, quod [8] præeunte nullo, an hoc, quod alio præeunte jurasti.

LXV. [1] In Rostris quoque simili religione ipse te legibus subjecisti: legibus, Cæsar, quas nemo principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: sic fit, ut nos tibi [2] plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum disco: non est princeps supra leges, sed leges supra principem. Idem Cæsari consuli, quod ceteris non licet, jurat in legem attendentibus diis: nam cui magis, quam Cæsari attendant? jurat observantibus his, quibus idem jurandum est, non ignarus alioquin, nemini religiosius quod juraverit custodiendum, quam cujus maxime interest non pejerare. Itaque & abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse. Magnum hoc erat, cum promitteres, majus postquam præstitisti. Jam toties procedere in Rostra, [a] inascensumque illum superbiæ principum locum terere, hic

INTERPRETATIO.

a *Locum in quem antea superbi principes non ascenderant.*

NOTÆ.

rum, id est, sacrorum & religionis curam gereret. Julius Cæsar hanc supremam dignitatem imperatorum primus invasit, ceterique ab eo imperatores etiam Christiani, nomine saltem tenus; donec Gratianus, *ut Zozimus ait*, edicto vetuit, ne nomine illo donaretur.

5. *Præbuit jusjurandum.*] Est in editione Lugdunensi, *stanti præbuit jusjurandum*, id est, obtulit de scripto juramenti formulam, quam stans Trajanus pronunciaret. Mavult Lipsius *præivit jusjurandum.* Moris enim erat, ut mox addit Plinius, *alio verba præeunte*, solenne jusjurandum emittere, ne quid aut præteriretur, aut præposterum diceretur, ut ait Plin. l. 28. c. 2. & Plinius noster l. 10. ep. 60 *Præivimus & commilitonibus jusjurandum more solenni præstantibus, & provincialibus &c.*

6. *Sive fecerint.*] Illud quidem ipsum fecit trecentis post annis Gothorum rex Athalaricus, *idque ut Trajani clarum seculis repararet exemplum.* Cassiod. l. 8. c. 3.

7. *Idem principem.*] Haud valde mirum quod Trajanus privatus adhuc jurejurando se obstrinxerit: sat idipsum eundem fecisse tertio consulem cum imperator esset, hoc vero mirificum.

8. *Præeunte nullo.*] Equidem affirmare non possum (*inquit Plinius*,) plusne laudis tibi debeatur, quod nullo principum exemplo inductus, fidem tuam jurejurando firmasti, an quod consule verba præeunte, & tanquam jubente.

1. *In Rostris.*] Designatus consul conceptis verbis jurabat primum in comitiis, iterum in Rostris cum inibat magistratum, se leges servaturum. Denique cum abibat magistratu, ut *ex Cicerone, Dione, & Plutarcho* manifestum est. Neque id ad solos consules, sed & ad ceteros magistratus & senatores pertinebat; qui aliter magistratu non plures, quam quinque dies fungi poterant. *Liv. l.* 51. Quare bene addit principis multum interesse, ut juramenti fides, qua & ipsius & reipublicæ salus nititur, stet incolumis.

2. *Plus velimus.*] Addunt aliqui *licere.*

suscipere, hic ponere magistratus: quam dignum te, quamque diversum consuetudine illorum, qui [3] pauculis diebus gestum consulatum, [4] imo non gestum abjiciebant per edictum. [5] Hoc pro concione, pro rostris, pro jurejurando: scilicet ut primis extrema congruerent; utque hoc solo intel-
5 ligerentur ipsi consules fuisse, quod alii non fuissent.

LXVI. [1] Non transilivi, Patres Conscripti, principis nostri consulatum: sed eundem in locum contuli, quidquid de jurejurando dicendum erat: neque enim ut in sterili, jejunaque materia eandem speciem laudis diducere ac spargere, atque identidem tractare debemus. Illuxerat primus consu-
10 latus tui dies, quo tu [2] curiam ingressus, nunc singulos, nunc universos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, & [3] insurgere. [4] Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo percu-
15 lerat. Quod enim tam infidum mare: quam blanditiæ principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut [5] facilius esset iratos, quam propitios habere? Te vero securi & alacres, quo vocas, sequimur, jubes esse liberos? erimus: jubes quæ sentimus, promere in medium? proferemus.[a] Neque enim adhuc ignavia quadam & insito torpore cessavimus: terror & metus,
20 & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut a rep. (erat autem omnino nulla resp.) oculos, aures, animos averteremus. At nunc tua

INTERPRETATIO.

a *Non enim huc usque nihil egimus in republicâ, propter inertiam quandam & innatam pigritiam, sed præ metu.*

NOTÆ.

Sed si nihil omissum est, ut satis mihi verisimile sit, sensus erit: sic fit ut plus te amemus. *Velle* enim *alicui*, id significat.

3. *Pauculis diebus.*] Domitianum carpit, qui, ut refert Sueton. *omnes consulatus pene titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kal. Maias, plures ad Idus usque Januarias.*

4. *Imo non gestum*] Quia nihil plane dignum consulatu gessisset.

5. *Hoc pro concione.*] Edictum illud per superbiam latum, quo significabat se abire magistratu, erat ei instar omnium, id est, instar concionis & juramenti, quod alii consules in hujusmodi discessu religiose emittebant.

1. *Non transilivi.*] At enim, inquiet aliquis, satis multa de jurejurando, quod Trajanus & iniens consulatum, & eo excedens præstitit. Nihilne de interjecto inter utrumque tempore, id est, de ipso ejus consulatu dicturus es? Nihil prætermittam, *inquit Plinius*, sed eo loci conferendum mihi visum est, quidquid ad jusjurandum pertinebat.

2. *Curiam ingressus.*] Consul primo magistratus sui die, id est, Kal. Jan habebat in curia orationem ad senatum. *Curia autem locus erat, ubi publicæ curæ gerebantur.* Festus.

3 *Insurgere.*] Animos erigere, quos superiorum principum superbia, & crudelitas depresserat.

4 *Omnes ante &c.*] Vel ipse Nero, ut ait Tacit. Annal. l. 13. initio.

5. *Facilius.*] Longe venustior erit sententia, si cum Lipsio substituas *felicius*. Domitianum hic tangit, ac Tiberium, quorum insidiosas blanditias, & callidam sævitiam, vide apud *Suetonium.*

[6] dextera tuisque promissis freti & innixi, obsepta diutina servitute ora reseramus, frænatamque tot malis linguam resolvimus. Vis enim tales esse nos, quales jubes: nihilque exhortationibus tuis [7] fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret, non sine periculo fallentis, neque enim unquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit. 5

LXVII. Equidem hunc parentis publici sensum, cum [1] exhortatione ejus, tum pronunciatione ipsa perspexisse videor. Quæ enim illa gravitas sententiarum, quam inaffectata veritas verborum, quæ asseveratio in voce, quæ affirmatio in vultu, quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides? [2] Tenebit ergo semper, quod suaserit: scietque nos, quoties 10 libertatem quam dedit experiemur, sibi parere. Nec verendum est ne incautos putet, [a] si fidelitate temporum constanter utamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse. Nuncupare vota & [3] pro æternitate imperii & pro salute civium, imo pro salute principum, ac propter illos pro æternitate imperii solebamus. Hæc pro imperio nostro, [b] in quæ sint verba 15 suscepta, operæ pretium est annotare. [4] Si bene remp. & ex utilitate omnium rexeris. Digna vota, quæ semper suscipiantur, semperque solvantur. Egit cum diis, ipso te auctore, Cæsar, resp. ut te sospitem incolumemque præstarent, si tu ceteros præstitisses: si contra, illi quoque [5] a custodia tui corporis oculos dimoverent, teque relinquerent [6] votis, quæ non palam sus- 20 ciperentur. Alii se superstites reip. optabant, [7] faciebantque: tibi salus tua

INTERPRETATIO.

a *Si confidenter temporum libertate utimur.* b *Quibus verbis concepta sunt.*

NOTÆ.

6. *Dextera.*] Id est, auxilio tuo. Quia enim dextra validior est sinistra, vel quia supplicantes dextra erigere solemus, hinc factum, ut *dextram dare alicui* dictum sit pro eo quod est, auxilium alicui præstare. Æneid. 6 370. *Da dextram misero.* Sumitur etiam pro *fide*. Numa Pompilius dextram *fidei* consecravit. Unde & porrecta dextra antiqui se invicem consalutabant (idque etiam hodie apud nos in usu est.) Per dextram fidei obsidem jurabant.

7. *Fucatum.*] Dissimulatum. Fucus proprie pigmentum est, quod fœminæ adhibere solent, ut formæ vel vitium emendent, vel pulchritudinem augeant. Hic per translationem sumitur quomodo *fucum facere alicui* dicitur, qui aliquem decipit.

1. *Exhortatione.*] Potius *ex oratione*, ut ingeniose suspicatur *Lipsius*.

2. *Tenebit ergo.*] Semper igitur efficiet, ut, quemadmodum suasit nobis, concessa ætati nostræ libertate utamur.

3. *Pro æternitate imperii.*] Nuncupabantur vota illa vel Kal. Jan. vel postridie, aut 3. non. Jan. Quod Julii Cæsaris temporibus cœptum, factum quoque in Augusti honorem, ac pro Pompeio. Atque hæc vota in Capitolio, aut in castris facta tabulis mandabantur, aut plerumque femore, *ut Apuleius ait in Apolog.* obsignata deorum statuis affigebantur. Unde vota signata appellat Plinius ad Trajanum l. 10. ep. 44.

4. *Si bene &c.*] Trajanus clausulam hanc votorum eorum esse voluit, quæ pro imperatore populus nuncuparet.

5. *A custodia tui corporis.*] Forte *tui capitis*, ut ex editione Cuspiniani emendat doctissimus Gruterus.

6. *Votis.*] Id est, execrationibus, quæ in malos principes non palam quidem, sed clam & in sinu emittuntur.

7. *Faciebantque &c.*] Et re ipsa extinctæ per sua ipsorum scelera reipublicæ superstites erant.

invisa est, si non sit cum reip. salute conjuncta, nihil pro te pateris optari, nisi expediat optantibus: omnibusque annis [8] in consilium de te deos mittis, exigisque ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis electus es. Sed ingenti conscientia, Cæsar, pacisceris cum diis, ut te, si mereberis,
5 servent: cum scias, an merearis, neminem magis, quam deos scire. Nonne vobis P. C. hæc diebus ac noctibus agitare secum videtur? Ego quidem in me, si omnium utilitas ita posceret, etiam [9] præfecti manum armavi: sed ne deorum quidem aut iram, aut negligentiam, deprecor, quæso imo & obtestor, ne unquam pro me vota resp. invita suscipiat; aut si susceperit, in-
10 vita [10] ne debeat.

LXVIII. Capis ergo, Cæsar, salutis tuæ gloriosissimum fructum ex consensu deorum, [1] nam cum excipias, ut ita demum te dii servent, si bene remp. & ex utilitate omnium rexeris: certus es te bene remp. gerere, cum servent. Itaque securus tibi, & lætus dies exit, qui principes alios cura &
15 metu distinebat: cum suspensi & attoniti, parumque confisi patientia nostra, hinc atque inde publicæ servitutis nuncios [2] expectarent. Ac si forte aliquos flumina, nives, venti præpedissent, statim hoc illud esse credebant, [3] quod merebantur, nec erat discrimen ullum pavoris: propterea quod cum a malo principe tanquam successor timeatur, quisquis est dignior, cum
20 sit nemo non dignior, omnes timentur. Tuam securitatem non mora nunciorum, non literarum tarditas differt, scis tibi ubique jurari: cum ipse juraveris omnibus. [4] Nemo hoc sibi non præstat, amamus quidem te, in quantum mereris: istud tamen non tui facimus amore, sed nostri, nec unquam illucescat dies, [a] quo pro te nuncupet vota, non utilitas nostra, sed

Interpretatio.

a *Quo* die *pro te faciamus vota non* propter *commoda nostra, sed* propter *fidem* imperatori debitam.

Notæ.

8. *In consilium mittis.*] Supra n. 36. not. 8. dixi prætorem, seu qui juri dicundo præesset, *mittere ad judicia* solitum, id est, ad rem judicandam, quos forte & urna judices elegisset. Sensus igitur est: Dum jubes ut populi supra dictam clausulam addant, videris prætoris instar eos dimittere ad judicandum, dignusne sis, quem incolumem præstent.

9. *Præfecti manum.*] Factum Trajani insigne & dignum in quo jactet se magnifice ac triumphet Plinii eloquentia, referunt Dio, Zonaras, Suidas, Victor *cum præfecto prætorii*, nempe Licinio Suræ, *gladium traderet quo accingi eum moris erat, strinxit, & nudatum tenens, cape istum, & si recte imperavero, pro me: sin aliter, contra me utere.*

10. *Ne debeat.*] Aut si futurum est, ut invita resp. pro me vota suscipiat; obtestor deos, ut eam religione votorum absolvant, neve ea persolvere necesse habeat.

1. *Nam cum &c.*] Cum enim ea tantum exceptione, id est, ea conditione conservari a diis velis, ut tu recte rempublicam administres.

2. *Expectarent.*] Certos homines, qui militum & provinciarum solenne juramentum principis nomine quotannis exciperent.

3. *Quod merebantur.*] Nempe ut aliqua provincia deficeret.

4. *Nemo hoc sibi &c.*] Nemo est, quin sua causa id faciat, non tua.

fides, Cæſar.[5] Turpis tutela principis, cui poteſt imputari.[6] Queri libet, quod in ſecreta noſtra non inquirant principes, niſi quos odimus. Nam ſi eadem cura bonis & malis eſſet; quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque deprehenderes? quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domeſticis aris focisque ſermones? ſcires[7] molliſſimis iſtis auribus parci, & alioquin cum ſint odium amorque contraria, hoc perquam ſimile habent, quod[8] ibi intemperantius amamus bonos principes, ubi liberalius malos odimus.

LXIX. Cepiſti tamen & affectus noſtri, & judicii experimentum; quantum maximum præſens capere potuiſti, illo die, quo ſollicitudini pudorique candidatorum ita conſuluiſti, ne ullius gaudium alterius triſtitia turbaret. Alii cum lætitia, alii cum ſpe receſſerunt: multis gratulandum, nemo conſolandus fuit. Nec ideo ſegnius juvenes noſtros exhortatus es, conſulatum[1] circumirent, ſenatui ſupplicarent: atque ita a principe ſperarent honores,[2] ſi a ſenatu petiſſent. Quo quidem in loco, ſi quibus opus exemplo, adjeciſti ut te imitarentur. Arduum, Cæſar, exemplum, & quod imitari non magis quiſque candidatorum, quam principum poſſit. Quis enim vel uno die reverentior ſenatus candidatus, quam tu cum omni vita, tum illo ipſo tempore, quo judicas de candidatis? An aliud a te, quam ſenatus reverentia, obtinuit, ut[3] juvenibus clariſſimæ gentis, debitum generi honorem, ſed antequam deberetur, offerres? Tandem ergo nobilitas non obſcuratur, ſed illuſtratur a principe: tandem illos ingentium virorum nepotes, illos[4] poſteros libertatis, nec terret Cæſar, nec pavet: quin imo feſtinatis honoribus amplificat atque auget, & majoribus ſuis reddit, ſi quid uſquam ſtirpis antiquæ, ſi quid reſiduæ claritatis: hoc amplexatur & refovet, & in uſum reip. promit. Sunt[5] in honore hominum,

NOTÆ.

5. *Turpis tutela principis*] Turpe eſt principi, cum populi in ejus clientelam ſe conferunt, non propriæ utilitatis gratia, ſed ut ei potius hoc imputent, id eſt, beneficii loco illud ei tribuant.

6. *Queri libet.*] Factum male, quod nefarii principes ſoli avide inquirant, qui ſint hominum de ſe in ſecretis colloquiis ſermones. Quin & boni eadem cura id perveſtigant? Id ſi ita eſſet quam &c.

7. *Molliſſimis.*] Verecundis id auribus tuis dari, ſi laudaris tam parce.

8. *Ibi.*] Nempe domi, intra privatos parietes eo impenſius bonos principes, (id eſt, te, o Trajane,) amamus, laudamus, quo ibidem amarioribus verbis improbos libere ſolebamus inſectari.

1. *Circumirent.*] Ambirent. De petitione conſulatus videri poteſt Tullii *ad Q. fratrem epiſtola.*

2. *Si a ſenatu petiſſent.*] In dandis enim honoribus eorum præcipue rationem habebat, qui ſibi eſſent a ſenatu commendati.

3. *Juvenibus.*] Candido, & Quadrato; quibus Trajanus, ſi Spartiano fides eſt, ſecundum conſulatum dedit, *antequam utrique deberetur*, id eſt, antequam per ætatem eis licuiſſet id mereri.

4. *Poſteros libertatis.*] Id eſt, eorum qui libertatis egregii defenſores fuerant. Quadratus enim ex gente Caſſia, ex qua Caſſius notus ille Romanæ libertatis vindex.

5. *In honore hominum.*] Lege cum omnibus interpretibus *in ore hominum. In ore famæ. In ore agens gentibus, populo, civitati.* Salluſtius.

& in honore famæ, magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris: cujus est, ut nobiles & conservet, & efficiat.

LXX. Præfuerat provinciæ [1] quæstor unus ex candidatis, [2] in quem ea civitas amplissima reditus egregia constitutione fundaverat, hoc senatui [3] allegandum putasti. Cur enim te principe, qui [4] generis tui claritatem virtute superasti, deterior esset conditio eorum, qui posteros habere nobiles mererentur, quam eorum qui parentes habuissent? O te dignum, qui de magistratibus nostris semper hæc nuncies: nec pœnis malorum, sed bonorum præmiis, bonos facias! Accensa est juventus, erexitque animos ad æmulandum, quod laudari volebat: nec fuit quisquam, quem non hæc cogitatio subiret, cum sciret quidquid [5] a quoque in provinciis bene fieret, omnia te scire. Utile est, Cæsar, & salutare præsidibus provinciarum, hanc habere fiduciam: paratum esse sanctitati, industriæ suæ, maximum præmium, judicium principis, suffragium principis. Adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, & si non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio: [6] Vides enim, si quid bene fecero, nesciet Cæsar; aut si scierit, testimonium non reddet. Ita eadem illa seu negligentia, seu malignitas principum, cum male consultis impunitatem, recte factis nullum præmium polliceretur: nec illos a crimine, & hos deterrebat a laude. At nunc, si bene aliquis provinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur, patet enim omnibus honoris & gloriæ campus: ex hoc quisque, quod cupit petat; & assecutus, [7] sibi debeat. Provinciis quoque in posterum, & injuriarum metum, & accusandi [8] necessitatem remisisti. Nam si profuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur, [9] & alioquin nihil magis prodesse candidato, ad sequentes honores, quam peractos, optime magistratus magistratu, honore honor petitur. Volo

NOTÆ.

1. *Quæstor.*] Nempe Candidus. *Quæstores non a pecuniis tantum, sed a criminibus inquirendis ita dictos esse* auctor est Varro. Alii *Provinciales* qui consulibus, aut prætoribus dati, ut sub iis, & publicam pecuniam in provinciis procurarent, & exacta per publicanos vectigalia Romam in ærarium referrent. *Urbani* vero qui bona publica locarent, & ærarii pecunias expensas & acceptas in tabulas referrent. Hi neque lictores, neque viatores habebant, illis & lictores erant, & toga prætexta. De utrorumque juribus passim videri potest *Tullius*.

2. *In quem.*] Locus haud dubie corruptus. Emendat Lipsius. *Inque ea civitatis amplissimæ &c.* Id est, præfuerat provinciæ in qua ejus, quæ omnium caput erat civitatis reditus singulari prudentia ordinarat.

3. *Allegandum.*] Id est, coram senatu laudandum putasti.

4. *Generis tui claritatem.*] Atqui teste Eutropio *Trajanus familia* fuit *antiqua magis, quam clara.*

5. *A quoque.*] Ab uno quoque magistratu.

6. *Vides enim.*] Melius alii, *vide enim*, id est, quid enim?

7. *Sibi debeat.*] Id est, suæ virtuti, quam imperator, pro singulari sua justitia, summis honoribus remuneratus est.

8. *Necessitatem remisisti.*] Modus loquendi sæpe ab eodem Plinio in epistolis ad Trajanum usurpatus, pro eo quod est; exemisti me a necessitate.

9. *Et alioquin.*] Cæcutire se ait hoc loco Lipsius, nisi legatur, *Et liquebit nihil magis prodesse &c.*

ego

ego, qui provinciam rexerit, non tantum [10] codicillos amicorum, nec urbana conjuratione eblanditas preces, sed decreta [11] coloniarum, decreta civitatum alleget. [12] Næ suffragiis consularium virorum, urbes, populi, gentes inseruntur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi gratias agere. 5

LXXI. Jam quo assensu senatus, quo gaudio exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaveras, [1] osculo occurreres? [2] devexus quidem in planum, & quasi unus ex gratulantibus. Te mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, ut istud magnum videretur? cum velut affixi curulibus suis, [3] manum tantum, & hanc cunctanter & pigre, & imputantibus similes promerent. 10 Contigit ergo oculis nostris insolita facies; princeps & candidatus æquales, & simul stantes: intuerique parem accipientibus honorem, qui dabat. Quod factum tuum a cuncto senatu quam vera acclamatione celebratum est? [4] Tanto major, tanto augustior. Nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, 15 securus magnitudinis suæ. Neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam humilitatis. Mihi quidem non tam humanitas tua, [a] quam intentio ejus admirabilis videbatur. Quippe cum orationi oculos, vocem, manum [b] commodares: [5] ut si alii eadem ista mandasses,

INTERPRETATIO.

a *Quam humanitatis expressio.* b *Aptares.*

NOTÆ.

10. *Codicillos.*] Quibus provinciæ commendata præsidis sui integritate, senatui gratias agerent quod is ad se missus esset. Martialis l. 12. ep. 9. *Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos, & placido fruitur pax peregrina jugo. Ergo agimus læti tanto pro munere grates: misisti mores in loca nostra tuos.*

11. *Coloniarum.*] Colonia sumitur pro oppido, vel in quod Romani cives mittebantur, vel quod coloniarum jure donatum erat. Aliæ civium Romanorum dictæ, quæ gauderent jure civitatis: aliæ latinæ, quæ jure latii.

12. *Næ suffragiis &c.*] Livineius sublata interpunctione legendum suspicatur: *ut suffragiis consularium virorum inserantur.* Vulgarem tamen editionem secutus sum.

1. *Osculo.*] *Ut moris erat in itu, reditu, gratulatione &c.* Lipsius. *Gratum erat quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fuerat.* Supra n. 23. Nero vero notatus superbiæ quod *neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertiret.* Sueton.

2. *Devexus.*] Id est, mea quidem sententia, non tantum, *ut Lipsio videtur*, e tribunali tuo te inclinans, & quasi ad alios osculandos demittens, sed descendens reipsa in planum; ut satis ostendunt verba quæ proxime consequuntur. *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, princeps & candidatus, æquales & simul stantes.*

3. *Manum tantum.*] Ut Caligula, qui, Dione teste, *plerisque senatorum vel manum, vel pedem prabuit adorandum.* Idipsum de aliis refertur. Videri potest Lipsius Electorum l. 2. c. 6.

4. *Tanto major.*] Laudationis & acclamationis formula. Seneca de tranquillitate animi: *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus: Tanto fortior, tanto felicior.* Idem ep. 7. *Multo audire mavult, tanto melior, quam felicior.*

5. *Ut si alii.*] Id est, tanquam privato cuivis istud præcepisses. Melius Lipsius, *ut si alius eadem ista mandasset*, sed qua auctoritate?

omnes comitatis numeros obibas, atque etiam, cum [6] suffragatorum nomina, honore quo solent, exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, & ex ore principis ille senatorius assensus audiebatur. Quodque apud principem perhibere testimonium merentibus gaudebamus, perhibebatur a
5 principe. Faciebas ergo, cum diceres [7] optimos: nec ipsorum modo vita a te, sed judicium senatus comprobabatur: [c] ornarique se, non illos magis, quos laudabas, lætabatur.

LXXII. Nam quod precatus es, ut illa ipsa ordinatio comitiorum [1] bene ac feliciter eveniret nobis, reip. [2] nonne tibi tale est, ut nos hunc ordi-
10 nem votorum convertere debeamus? deos denique obsecrare, ut omnia quæ facis, quæque facies, prospere cedant tibi, reip. nobis? vel si brevius sit optandum, ut uni tibi, in quo & resp. & nos sumus? Fuit tempus, ac nimium diu fuit; quo alia adversa, alia secunda principi & nobis. nunc communia tibi nobiscum tam læta, quam tristia: nec magis sine te nos esse
15 felices, quam tu sine nobis potes. An, si posses, in fine votorum adjecisses, ut ita precibus tuis dii annuerent, si judicium nostrum mereri perseverasses? Adeo nihil tibi amore civium antiquius; ut ante a nobis, deinde a diis, atque ita ab aliis amari velis, si a nobis ameris. Et sane [3] priorum principum exitus docuit, ne a diis quidem amari, nisi quos homines ament. [a] Arduum
20 erat, has precationes tuas laudibus adæquare: adæquavimus tamen. Qui amoris ardor, qui stimuli, quæ faces illas nobis acclamationes subjecerunt? Non nostri, Cæsar, ingenii, sed tuæ virtutis tuorumque meritorum voces fuerunt, quas nulla unquam adulatio invenit, nullus cujusquam terror expressit. Quem sic timuimus, ut hæc fingeremus? quem sic amavi-
25 mus, ut hæc fateremur? [4] Nosti necessitatem servitutis. Quando simile aliquid audisti, & quando dixisti? Multa quidem excogitat metus, sed quæ

INTERPRETATIO.

c *Gaudebatque quod non minus* judicium *suum a te ornaretur, quam illi ipsi, quos laudabas.*

a *Difficile erat te laudare, prout precationes illæ tuæ merebantur.*

NOTÆ.

6. *Suffragatorum nomina.*] Huic loco lucem afferet comitiorum ratio quam Plinius explicat l. 3 ep. 20 *Citato nomine candidati, silentium summum. dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat.... addebat quosdam ex suffragatoribus: Illi graviter & paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces proderat.* Itaque sensus esse poterit: Ubi appellabantur & cum honoris significatione excipiebantur nomina eorum, quorum testimonio ac suffragiis candidati singuli niterentur; tu &c. Alius vero sensus erit, atque clarior, si cum Lipsio legetur. *Cum suffragatores nomina, honore quo solent, exciperent; tu quoque &c.*

7. *Optimos.*] Nota solenne verbum. *Boni* vel *optimi* candidati acclamabantur, quibus dabatur suffragium. Hinc illud Senecæ ep. 3 *Itaque verbo illo quasi publico usus es, & tu amicum dixisti, quomodo omnes candidatos viros bonos dicimus.*

1. *Bene ac feliciter.*] Nota solennem comitiorum precationem.

2. *Nonne tibi tale est?*] Melius alii, *Nobis, reipublicæ, tibi nonne tale est?*

3. *Priorum principum.*] Ut Caii, Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellii, Domitiani quorum infelix & magnam partem cruentus fuit exitus.

4. *Nosti necessitatem servitutis.*] Nam, ut

appareant quæsita ab invitis. Aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est. Alia tristium inventio, alia gaudentium: neutrum simulationes expresserint. Habent sua verba miseri, sua verba felices: utque jam maxime eadem ab utrisque dicantur.

LXXIII. Testis ipse es, quæ in omnium ore lætitia. [1]non amictus cuiquam, non habitus quem modo extulerat. inde resultantia vocibus tecta: nihilque tantis clamoribus satis clausum. Quis tunc non e vestigio suo exiluit? quis exiluisse sensit? Multa fecimus sponte, plura [2] instinctu quodam & imperio, nam gaudio quoque cogendi vis inest. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? nam quanto magis a te reprimebatur, exarsimus. non contumacia, Cæsar: sed ut in tua potestate est, an gaudeamus, [a] ita in quantum, nec in nostra. Comprobasti & ipse acclamationum nostrarum fidem, lacrymarum tuarum veritate. Vidimus humescentes oculos tuos, [3] demissumque gaudio vultum, tantumque [4] sanguinis in ore, quantum in animo pudoris. Atque hoc magis incensi sumus, ut precaremur, ne quando tibi non eadem causa lacrymarum, utque nunquam frontem tuam [5] abstergeres. Hoc ipsum, has sedes nobis quasi responsuras, interrogemus, viderintne unquam principis lacrymas. at [6] senatus sæpe viderunt. [b] Onerasti futuros principes, sed & posteros nostros, nam & hi a principibus suis exigent, ut eadem audire mereantur: & illi, quod non audiant, indignabuntur.

LXXIV. Nihil magis possum proprie dicere, quam quod dictum est a cuncto senatu, o te felicem! quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Sed cum multa illo die dicta sunt sapienter & graviter, tum vel in primis, [1] crede nobis, [2] crede tibi. Magna hoc fiducia nostri, majore tamen tui diximus. [3] alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit.

INTERPRETATIO.

a *Sic penes nos non est, in quantum* gaudere debeamus.

b *Onus imponis futuris imperatoribus, atque etiam futuris post nos senatoribus.*

NOTÆ.

supra dixit n. 44. *Vixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti.... meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus.*

1. *Non amictus cuiquam.*] Signum effusæ lætitiæ, jactare togam, toto corpore exilire &c.

2. *Instinctu &c.*] Nimirum ex impetu repentinæ lætitiæ.

3. *Demissumque.*] Præ verecundia & pudore.

4. *Sanguinis in ore.*] Hoc pudoris proprium, ut sanguinem ad vultum, qui verecundiæ sedes est, evocet.

5. *Abstergeres.*] Ut perpetuo hujusmodi lacrymæ, id est, plenæ pudoris & verecundiæ ex oculis tuis manarent.

6. *Senatus sæpe.*] Lacrymas senatorum reipublicæ calamitatem lugentium viderant.

1. *Crede nobis.*] Nihil tibi ea in re adulantibus.

2. *Crede tibi*] Qui tuæ felicitatis sat tibi conscius es.

3. *Alius enim.*] Haud difficile est simulata virtute alteri imponere, sibi vero non item.

Introſpiciat modo vitam, ſeque quid mereatur, interroget.[a] Proinde dabat vocibus noſtris fidem apud optimum principem, quod apud malos detrahebat, quamvis enim faceremus, quæ amantes ſolent, illi tamen non amari ſe, credebant[4] ſibi. Super hæc precati ſumus, ut ſic te amarent dii, quem-
5 admodum tu nos. Quis hoc aut de ſe, aut[5] principi diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipſis quidem hæc fuit ſumma votorum, ut nos ſic amarent dii, quomodo tu. Eſtne verum, quod inter iſta clamavimus, o nos felices! Quid enim felicius nobis, quibus non jam illud optandum eſt, ut nos diligat princeps: ſed dii, quemadmodum princeps? Civitas religionibus
10 dedita, ſemperque deorum indulgentiam[6] pie merita, nihil felicitati ſuæ putat adſtrui poſſe, niſi ut dii Cæſarem imitentur.

LXXV. Sed quid ſingula conſector & colligo? quaſi vero aut oratione complecti, aut memoria conſequi poſſim, quæ vos P. C. ne qua intercideret oblivio, &[1] in publica acta mittenda, & incidenda in ære cenſuiſtis.
15 Ante,[a] orationes principum tantum, ejuſmodi genere monumentorum mandari æternitati ſolebant: acclamationes quidem noſtræ[3] parietibus curiæ claudebantur. Erant enim, quibus nec ſenatus gloriari, nec princeps poſſent. Has vero & in vulgus exire, & poſteris prodi, cum ex utilitate, tum ex dignitate publica fuit. Primum, ut orbis terrarum pietatis noſtræ adhi-
20 beretur teſtis & conſcius: deinde, ut manifeſtum eſſet, audere nos de bonis maliſque principibus,[a] non tantum poſt ipſos, judicare: poſtremo, ut experimento cognoſceretur,[4] & ante nos gratos, ſed miſeros fuiſſe, quibus eſſe nos gratos, probare antea non licuit. At qua contentione, quo niſu, quibus clamoribus[5] expoſtulatum eſt, ne affectus noſtros, ne tua
25 merita ſupprimeres: denique ut in poſterum exemplo provideres? Diſcant & principes acclamationes veras falſaſque diſcernere:[b] habeantque muneris tui, quod jam decipi non poterunt.[c] Non inſtruendum illis iter ad bonam famam; ſed non deſerendum: non ſubmovenda adulatio; ſed non reducenda

INTERPRETATIO.

a *Quamobrem* hoc *verbis noſtris fidem faciebat apud optimum principem, quod &c.*

a *Non ſolum poſt illorum* mortem.

b *Et hoc a te beneficii loco accipiant.*

c *Non quærenda illis* nova *ad gloriam via, ſed non eſt* a tua *deflectendum.*

NOTÆ.

4. *Sibi.*] Scelerum ſuorum teſti conſcientiæ.

5. *Principi.*] An *principe* & mox *amante?* ut mavult Lipſius.

6. *Pie merita.*] Mirum ni, ut Lipſio videtur, decurtata a librariis voce, *pie* pro *pietate* ſcriptum.

1. *In publica acta.*] Cui quidem rei, qui præerat ſenator *ab actis* dicebatur. Tac. Annal. 5. *Junius Ruſticus componendis patrum actis delectus a Cæſare.*

2. *Orationes principum.*] Habitas aut principibus, aut a principibus, ut a Nerone factum videri poteſt *apud Dionem.*

3. *Parietibus curiæ.*] Non emanabant extra curiam, ubi ejuſmodi orationes habebantur.

4. *Et ante &c.*] Domitiani tempora ſuo more notat *Plinius.*

5. *Expoſtulatum eſt.*] Vehementer poſtulatum eſt.

est. [6] Certum est & quæ facere, & quæ debeant audire, si faciant. Quid nunc ego super ea, quæ sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer? nisi ut hæreat animo tuo gaudium, quod tunc oculis protulisti. Ames illum diem, & tamen [7] vincas, nova merearis, nova audias: eadem enim dici, nisi ob eadem facta, non possunt. 5

LXXVI. Jam quam antiquum, quam consulare, quod [1] triduum totum senatus [a] sub [2] exemplo tui sedit, cum interea nihil præter consulem ageres. Interrogavit quisque quod placuit; dissentire, [3] discedere, & [b] copiam judicii sui reip. facere tutum fuit. consulti omnes, atque etiam [4] dinumerati sumus: vicitque sententia non prima, sed melior. At quis antea loqui, quis hiscere audebat præter miseros illos, qui primi interrogabantur? Ceteri quidem defixi & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Unus solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent; in primis ipse, qui censuerat. Adeo nulla magis omnibus displicent, quam quæ sic fiunt, tanquam omnibus placeant. Fortasse imperator in senatu [c] ad reverentiam ejus componebatur, ceterum egressus, statim [d] se recipiebat in principem, omniaque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. [5] Ille vero ita consul, ut si tantum consul foret: nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset. Ac primum, ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, 10 15 20

INTERPRETATIO.

a *Exemplo tuo.*
b *Et sententiam suam* pro bono *republicæ dicere.*
c *Sese componebat, ut honorem* haberet *senatui.*
d *Tyrannicum* fastum *resumebat.*

NOTÆ.

6. *Certum est.*] Discent boni principes ex tuis moribus, quid agere debeant, ex acclamationibus vero nostris in acta relatis, quid a senatu audituri sint.

7. *Vincas.*] Majus in dies aliquid & facias, & audias, novas quotidie acclamationes mereare.

1. *Triduum totum.*] Quo Marius Priscus Africæ proconsul a provincialibus cum suis ministris accusatus repetundarum, agente pro Afris causam Plinio nostro & Cornelio tacito, damnatus est, a Trajano qui triduanæ huic causæ interfuit. Plin. l. 2 ep. 12. de hac causa. *Dixi horis pene quinque, nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Cæsar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere sollicitudinem) præstitit, ut libertum meum post me stantem, sæpius admoneret, voci laterique consulerem, cum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti posset &c.*

2. *Exemplo tui.*] Melius *exemplo patientiæ tuæ*, ex editione Lugdunensi.

3. *Discedere.*] In utramvis partem licet. Qui enim idem sentiebant cum aliquo, in ejus partem discedebant, sicque dicebantur pedibus ire in eorum sententiam, pro qua libertate antea Tyranni ut mox addit *mutam & sedentariam assentiendi necessitatem induxerant.*

4. *Dinumerati sumus.*] Solenne verbum teste Festo *numerare senatum*, id est, utra in parte plures sint computare, quo facto pronunciabat consul. *Hæc pars maior videtur*, Senec. libro de beata vita.

5. *Ille vero.*] Trajanus vero ita est consul, quasi idem præterea non esset imperator.

nullus [6] præcurſorum tumultus detineret. Una erat in limine mora, [7] conſultare aves, revererique numinum monitus. Nemo perturbabatur, nemo ſubmovebatur. tanta [8] viatoribus quies, tantus pudor faſcibus, ut plerumque aliena turba ſubſiſtere & conſulem & principem cogeret. Ipſius quidem [9] officium tam modicum, tam temperatum, ut antiquus aliquiſque magnus conſul, ſub bono principe incedere videretur.

LXXVII. Iter illi ſæpius [1] in forum, frequenter tamen & [2] in campum. nam comitia conſulum obibat ipſe, & tantum ex renunciatione eorum voluptatis, quantum prius ex [3] deſtinatione capiebat. Stabant candidati ante [4] curulem principis, ut ipſe ante conſulis ſteterat: adigebanturque in verba, in quæ paulo ante ipſe juraverat princeps: qui tantum putat eſſe in jurejurando, ut illud & ab aliis exigat. Reliqua pars diei [a] tribunali dabatur. Ibi vero quanta religio æquitatis? quanta legum reverentia? Adibat aliquis ut principem? reſpondebat, ſe conſulem eſſe. Nullius ab eo magiſtratus jus, nullius auctoritas imminuta eſt: aucta etiam, ſiquidem pleraque [5] ad prætores remittebat: atque ita, ut collegas vocaret, [6] non quia populare gratumque audientibus: ſed quia ita ſentiebat. [b] Tantum [7] dignationis in ipſo honore ponebat: ut non amplius eſſe cenſeret, quod aliquis

INTERPRETATIO.

a *Impendebatur juri dicundo.*
b *Tantam dignitatem in ipſa prætura putabat eſſe, ut non exiſtimaret majus* quiddam *eſſe quod &c.*

NOTÆ.

6. *Præcurſorum.*] Præambulonum, & apparitorum, qui ut viam præmunirent principi, turbam ſubmovebant.

7. *Conſultare aves.*] Quid ergo? utrum in domorum egreſſu auſpicia ſemper captabantur? Certe quidem victor in limine palatii *auguratorium ponit.* Forte ipſe Trajanus hanc ab Hiſpanis conſuetudinem hauſerat, quos captandis auguriis dedituſſimos fuiſſe ait *Lampridius in Alexandro.*

8. *Viatoribus*] Viatores proprie dicebantur, qui magiſtratus, ſi forte rus otiandi cauſa conceſſerant, in curiam accerſebant. Videri in eam rem poteſt *Tullius de ſenectute, & Columella in præfatione lib.* 1. Sæpe tamen, uti hoc in loco, pro apparitoribus ſumuntur, ut *ex Tullii orat. pro Cluentio* patet. Apparitores autem ex eo videntur nomen inveniſſe, quod magiſtratui apparerent. *Hotomanus in Cicer.*

9. *Officium.*] Id eſt, qui officii cauſa proſequebantur.

1. *In forum.*] Ut inibi jus diceret populis.

2. *In campum.*] Martium, ut comitiis conſularibus intereſſet.

3. *Deſtinatione.*] Conſul vocabat tribus in campum Martium. Tum princeps, quibus conſulatum deſtinaſſet aperiebat. Illæ ferebant ſuffragia: deſcribebantur qui electi erant. Demum conſules renunciabantur.

4. *Curulem.*] Supra n. 56. not. 14.

5. *Ad prætores.*] Primis temporibus conſules iidem erant, & prætores, ſed anno V. C. 386. cum conſules diſtinerentur bellis finitimis, neque in Urbe eſſet qui jus redderet: primum unus, tum & alter prætor creatus eſt. *Urbanus* qui civibus: *peregrinus* vero qui extra Urbem jus reddebat, dicebatur. Utrique ſella erat curulis, utrique haſta & gladius pro inſignibus: illa ad juridictionem, hic ad quæſtionem ſignificandam. Prætores conſulum collegas appellat A. Gellius: *quod,* inquit, *eodem auſpicio crearentur.* Plures ſubinde prætores fuere, ſed de his alio loco.

6. *Non quia populare.*] Non ut id populi auribus daret, ſed quod revera ita exiſtimaret.

7. *Dignationis.*] Id eſt, dignitatis quo

collega appellaretur a principe, quam quod prætor esset. Ad hæc, tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. Quis nostrum idem curæ, idem sudoris sumit? [c] quis adeo expetitis honoribus aut deservit, aut sufficit? Et sane æquum est, tantum ceteris præstare consulibus ipsum, qui consules facit. quippe [8] etiam fortunæ videbatur indignum, si posset 5 honores dare, qui gerere non posset. Facturus consules, doceat; accepturisque amplissimum honorem persuadeat, scire se quid sit quod daturus sit. sic fit, ut illi quoque sciant, quid acceperint.

LXXVIII. Quo justius senatus ut susciperes quartum consulatum, & rogavit & jussit. Imperii hoc verbum, non adulationis esse, [1] obsequio 10 tuo crede: quod non alia in re magis aut senatus exigere a te, aut tu præstare senatui debes. Ut enim ceterorum hominum, ita principum illorum etiam qui dii sibi videntur, ævum omne & breve & fragile est. Itaque optimum quemque niti & contendere decet, ut post se quoque reipublicæ prosit, moderationis scilicet justitiæque monumentis; quæ prima statuere consul po- 15 test. [2] Hæc nempe intentio tua, ut libertatem revoces ac reducas. Quem ergo honorem magis amare? quod nomen usurpare sæpius debes, quam quod [3] primum invenit recuperata libertas? [4] Non est minus civile, & principem esse pariter, & consulem: quam tantum consulem. Habet etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum: collegarum inquam. ita enim & 20 ipse loqueris, & nos loqui vis. Onerosa erit modestiæ illorum tertii consulatus sui recordatio, donec [5] te consulem videant. Neque enim potest non nimium esse privatis, quod principi satis est. Annuas, Cæsar, optantibus, quibusque [6] apud deos esse consuesti; quorum potes ipse votorum compo- 25 tes facias.

INTERPRETATIO.

c *Quis desideratæ dignitati ita* vult *aut potest se impendere?*

NOTÆ.

sensu apud Tullium ad Attic. l. 10. ep. 10. *de dignatione laborare*, & passim apud Velleium Paterculum: *tantæ dignationis homines. Dignatio Octavii. Dignatione Brutus obruerat Vatinium*, & apud Suetonium in Vespasiano *nec sine magna dignatione Africam administravit*.

8. *Etiam fortunæ.*] Sententia est. Non diis modo, sed vel fortunæ ipsi, etsi cæcæ honorum dispensatrici, indignum videbatur, magistratus ab eo conferri posse, qui eos gerere ipse non posset.

1. *Obsequio tuo.*] Si enim adulationis verbum esse credes, recusabis consulatum: sin vero putabis esse imperium, tum pro tua singulari erga senatum observantia haud dubio obsequeris. Igitur imperii hoc verbum esse, ostende senatui obsequendo.

2. *Hæc intentio.*] Vox illa hoc sensu apud Pliniani ævi scriptores frequens, hujus exempla referre abstineo.

3. *Primum invenit.*] Post exactos reges, & recuperatam libertatem creati sunt consules. Quare consulatus nomen fuit veluti primum recuperatæ libertatis signum.

4. *Non est minus.*] Quia si quid invidiosum habet principis nomen, illud totum popularis consulis nomine temperatur, & corrigitur.

5. *Te consulem.*] *Quartum*, inserit post Livineium Rittershusius.

6. *Apud deos esse.*] Id est, quibus instar

LXXIX. Fortasse [1] sufficiat tertius consulatus, sed nobis tanto minus sufficit. [2] Ille nos instituit & induxit, ut te iterum iterumque consulem habere cupiamus. [a] Remissius istud contenderemus, si adhuc non sciremus, qualis esses futurus. [3] Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis, 5 quam usum negari. Dabiturne rursus videre consulem illum? [4] Audiet, reddet, quas proxime voces: præstabitque gaudium, quantum ipse percipiet? præsidebit lætitiæ publicæ, auctor ejus & causa? tentabitque affectus nostros, ut solet, cohibere, nec poterit? Pietati senatus cum modestia principis felix speciosumque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit! Equidem 10 incognitam quandam, proximaque majorem præsumo lætitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem consulem speret, quanto sæpius fuerit? Alius labores si non continuos desidiæ ac voluptati dedisset, otio tamen & quiete recreasset. [b] Hic consularibus curis exolutus, principales resumpsit; tam diligens temperamenti, ut nec consulis officium, 15 princeps; nec principis, consul appeteret. Videmus ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus occurrat. nulla [5] in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim: tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

LXXX. Quid? in omnibus cognitionibus quam mitis severitas, 20 quam non dissoluta clementia! [1] Non locupletando fisco sedes, nec aliud tibi sententiæ tuæ pretium, [2] quam bene judicasse. Stant ante te litigatores, non de fortunis suis, sed de tua existimatione solliciti; nec tam verentur quid de causa sua, quam quid de moribus sentias. O vere principis, atque etiam [3] consulis, reconciliare æmulas civitates; tumentesque populos non

INTERPRETATIO.

a *Minus acriter id postularemus.*

b *Hic consulis cura deposita, principis* officium *resumebat, servata moderatione ea, ut nec princeps ageret consulis officium, nec principis partes consul.*

NOTÆ.

dei huc usque fuisti. Alii legunt *adesse*. Sensus esset, qui adesse nobis deos precantibus soles, & quodcunque petimus pro nobis consequi, hoc jam concede quod non ab iis, sed a te uno pendet.

1. *Sufficiat.*] Nimirum *tibi*, sed propter tuam illam verecundiam tanto minus nobis sufficit. Respexisse videtur ad illud Tullii pro Marc. n. 26. *Satis, si ita vis, naturæ fortasse: addo etiam, si placet, gloriæ: at quod maximum est, patriæ certe parum vixisti.*

2. *Ille.*] Tertius ille consulatus tanta cum laude a te gestus nos impulit &c.

3. *Tolerabilius.*] Minus molestum fuisset, si te non habuissemus consulem, quam si singularem tuam sapientiam semel atque iterum experti, amplius te uti non possemus.

4. *Audiet.*] An erit adhuc ut nostras acclamationes *audiat* bonus princeps, & *quas vicissim* pro populo *proxime* emisit *precationes reddat?*

5. *In audiendo.*] In audiendis populorum querelis.

1. *Non locupletando.*] Id est. Non sedes pro tribunali, ut fiscum ex damnatorum bonis augeas, ac locupletes.

2. *Quam bene judicasse.*] Notum illud Senecæ ep. 81. *Recte facti fecisse merces est.*

3. *Consulis.*] Supple officium.

imperio

imperio magis, quam ratione compescere; intercedere [4] iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit: postremo, velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, & undecunque invocatum statim, veluti numen adesse & assistere. Talia esse crediderim, quæ ipse mundi parens temperat nutu, [5] si quando oculos demisit in terras, & facta mortalium inter divina opera numerare dignatus est. Quibus nunc per te liber solutusque, [6] cœlo tantum vacat: postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. Fungeris enim, sufficisque mandanti, cum tibi [7] dies omnis, summa cum utilitate nostra, summa cum tua laude condatur. 10

LXXXI. [a] Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti, [1] instar refectionis existimas, mutationem laboris. Quæ enim remissio tibi, nisi [2] lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium juga,

Interpretatio.

a *Quod si aliquando confluentibus negotiis satisfecisti, recreationis loco habes, &c.*

Notæ.

4. *Iniquitatibus magistratuum.*] Ut Marii Prisci Africæ proconsulis, de quo supra n. 76. not. 1. Classici Bæticæ proconsulis de quo Plinius lib. 3. ep. 9. & Julii Bassi Bithyniæ proconsulis, cujus acta fisco utilia quidem, sed iniqua rescindi jussit: data omnibus potestate quæcunque ab eo decreta fuissent, tanquam infecta ex integro senatui proponendi.

5. *Si quando.*] Utrum Plinium hunc, ut & ejus avunculum, Epicuri de grege fuisse dicam? ita enim hujus sectæ hominibus videbatur, humanarum rerum curam diis indignam esse. An potius ita locutum esse ut principi adularetur?

6. *Cœlo tantum.*] Tale illud Virgilii. *Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.*

7. *Dies condatur.*] Id est, finiatur ut Virg. Ecloga 9. 52. *Totos cantando condere soles.* Horat. *Condit quisque diem collibus in suis*, l. 4. od. 5. v. 30.

1. *Instar refectionis.*] Jam Plinius n. 77. Trajanum dixit *tam assiduum in tribunali fuisse, ut labore refici, ac reparari videretur.*

2. *Lustrare saltus.*] A bonis animi transit ad bona corporis, quæ etiam laudem habent in principe. Ac primum a venandi studio (quo delectabatur imprimis ipse Plinius) Trajanum commendat: hoc tamen nonnulli *servile officium* putaverunt, decepti haud dubie Sallustii loco, ubi ait *sibi consilium non esse socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo, aut venando servilibus officiis intentum agere.* Sed aut restituendum cum Vincentio Castilionco *servilibusve officiis*. Vel servilia officia dicuntur, quod perinde a servis, atque a viris nobilibus exerceri possint. Nam quod ad agriculturam spectat, nihil homine libero dignius esse testatur Cicero l. 2. de off. ac pro Roscio Amerino. *Multos*, inquit, *nominatim proferre possum (ne longius abeam) vel tribules vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt agricolas assiduos esse cupiunt.* Quod vero ad venationem pertinet *Romanis solenne viris opus*, fuisse & *utile formæ*, tradit Horat. ep. 18. l. 1. ac meminit cujusdam, qui, ut quantivis pretii videretur, *mane plagas, venabula, servos, differtum transire forum, populumque jubebat, unus ut e multis populo spectante referret emptum mulus aprum.* Tullius lib. 2. de natura deorum. *Suppeditant autem & campus noster, & studia venandi honesta exempla ludendi* Et vero, si aut venatio aut agricultura turpe quiddam fuisset; qui poterat dubitare Sallustius, an ei exercitationi operam daret? Quanquam habet hæc exercitatio vitium, si nimia est; unde non immerito carpitur apud Dionem Ha-

& horrentibus scopulis gradum inferre,[3] nullius manu, nullius vestigio adjutum, atque inter hæc pia mente adire[4] lucos, & occursare[5] numinibus?[6] Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus
5 robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, &[7] obsidione quadam liberatus agrestium labor. Usurpabant gloriam istam[8] illi quoque principes, qui obire non poterant: usurpabant autem, ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde[9] in ipsorum quidem ludibrium emissas, mentita sagacitate colligerent. [b] Huic
10 par capiendi quærendique sudor; summusque & idem gratissimus labor, invenire. Enimvero siquando placuit idem corporis robur [c] in maria proferre, non ille fluitantia vela aut oculis sequitur, aut manibus: sed nunc gubernaculis assidet, nunc [d] cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque[10] transire obstantia
15 freta.

LXXXII. Quantum dissimilis illi, qui non[1] Albani lacus[a] otium, [2]Bajanique torporem & silentium ferre, non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret. Itaque procul ab omni sono, inconcussus ipse & immotus, religato
20 revinctoque navigio,[3] non secus ac piaculum aliquod trahebatur. [b] Fœda

INTERPRETATIO.

b *Trajani æqualis & in capienda, & in quærenda præda labor.*

c *Ad maritima extendere. Non ille vela undantia oculis observat tantum, aut nutu* regit.

d *Cum robustissimo quoque sociorum.*

a *Maladiam.*

b *Turpe spectaculum.*

NOTÆ.

drianus imperator, quod usque ad insaniam & vitæ periculum studio venationis teneretur.

3. *Nullius manu.*] Supple sustentantis, *nullius vestigio*, supple præeuntis, & iter signantis.

4. *Lucos*] Juxta veterum mentem sacros.

5. *Numinibus.*] Ut Faunis, Satyris, Dianæ, & aliis diis, quos in sylvis habitare credebat antiquitas.

6. *Olim hæc experientia.*] Mavult Lipsius *hæc experimenta.* Vide Xenoph. Cyropæd. & de venatione.

7. *Obsidione*] Sententia est: crebra & indefessa principis venatione *rusticorum agri* & labores *liberati* sunt a feris, a quibus antea *quodammodo obsidebantur* & vastabantur.

8. *Illi quoque principes.*] Domitianum puta, qui ut ait Sueton. centenas interdum *varii generis feras in Albano secessu conficiebat.* Non quæsitas quidem illas longo labore aut sagacitate magna, sed e claustris & caveis, ubi eam ob rem conclusæ domitæque tenebantur, emissas.

9. *In ipsorum quidem ludibrium.*] Quod iis potius ludibrio, quam laudi erat.

10. *Transire.*] Alii *transferre* quod non ita probatur.

1. *Albani lacus.*] Lacus in nemore Albano, sub monte ejusdem nominis.

2. *Baianique torporem.*] Lacus propter Baias. Baiæ autem oppidum fuit Campaniæ, inter Puteolos & Cumas, a Baio Ulyssis socio ita dictum: locus propter aeris, & tepentium aquarum salubritatem amœnissimus idemque ædificiis & Romanorum eo confluentium frequentia celebratissimus. Horat. 1. epist. 17. *Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.*

3. *Non secus ac piaculum.*] Ut piacularis

facies, cum populi Romani imp. alienum curſum, alienumque rectorem, velut capta nave, ſequeretur. Nec deformitate iſta ſaltem flumina carebant atque amnes. [4] Danubius, ac Rhenus [d] tantum illud noſtri dedecoris vehere gaudebant; non minore cum pudore imperii, quod hæc Romanæ aquilæ, Romana ſigna, [5] Romana denique ripa; [6] quam quod hoſtium proſpectarent: hoſtium, quibus moris eſt eadem illa nunc rigentia gelu flumina, [e] aut campis ſuperflua, nunc liquida ac deferentia luſtrare navigiis, nandoque ſuperare. Nec vero laudaverim per ſe magnopere duritiam corporis ac lacertorum: ſed ſi his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad ſegnitiem luxumque detorqueant; tunc ego, ſeu montibus, ſeu mari exerceatur, & lætum opere corpus, & creſcentia laboribus membra mirabor. Video enim jam inde antiquitus [7] maritos dearum, ac [8] deorum liberos, nec dignitate [f] nuptiarum magis, quam his artibus inclaruiſſe. Simul cogito, cum ſint iſta ludus & avocamentum hujus, quæ quantæque ſint illæ ſeriæ & intentæ, & a quibus ſe in tale otium recipit, voluptates? Sunt enim voluptates, quibus optime de cujuſque gravitate, ſanctitate, temperantia creditur. Nam quis adeo diſſolutus, cujus non occupationibus aliqua ſpecies ſeveritatis inſidat? otio prodimur. An non plerique principes hoc idem tempus in aleam, ſtupra, luxum conferebant? cum ſeriarum laxamenta curarum vitiorum contentione ſupplerent.

LXXXIII. Habet [1] hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: principum vero non modo domus, ſed cubicula ipſa intimoſque ſeceſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat. Sed tibi, Cæſar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quam penitus inſpici. Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers, ſed non minora ea, [a] quæ limine tenes. Eſt magnificum, quod te

INTERPRETATIO.

d *Tantum illud probrum noſtrum.*
e *Vel in exundantia agris*, qui inde *ſic liquidi* fiunt, & apti *ad deferendas* naves.
f *Conjugum.*
a *Quæ domi agis.*

NOTÆ.

victima. Vide ſupra n. 34 not. 10.

4. *Danubius, ac Rhenus.*] Plinius hoc loco tangit Trajani expeditiones in Getas & Sarmatas, de quibus extat elegans Martialis epigramma lib. 9. ep. 102. *Cornua Sarmatici ter perfida contudit Iſtri, ſervantem Getica ter nive lavit equum.* De Danubio vero Germaniæ fluvio ſupra n. 12. not. 9. De Rheno fluvio etiam ſupra n. 14. not. 5.

5. *Romana rip. &c.*] Id eſt, a Romano exercitu infeſſa.

6. *Quam quod hoſtium &c.*] Quam quod Germani e ripa ſua probrum illud noſtrum proſpectarunt.

7. *Maritos dearum.*] Ut Peleus, cui fortitudinis laus Thetidis nuptias conciliavit. Sic Hippolytus propter venandi peritiam Dianæ acceptus fuit &c.

8. *Deorum liberos.*] Ut Theſeum, Caſtorem & Pollucem &c.

1. *Hoc primum.*] Alii *privum* legunt, alii *proprium*, id eſt, ſingulare, & præcipuum. In hanc ſententiam Juvenal. Sat. 8. 140. *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe cri-*

ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas; sed magnificentius, quod tuos. Quanto enim magis arduum est [b] alios præstare quam se; tanto laudabilius quod, cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. Multis illustribus dedecori fuit, aut [2] inconsultius uxor assumpta,
5 aut [3] retenta patientius. Ita foris claros [c] domestica destruebat infamia: & ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod [4] mariti minores erant. Tibi [5] uxor in decus & gloriam cedit. Quid enim illa sanctius? [6] quid antiquius? Nonne si [7] pontifici maximo deligenda sit conjux, aut hanc, aut similem (ubi autem est similis?) elegerit? Quam illa nihil sibi ex fortuna tua, [8] nisi
10 gaudium vindicat? quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reveretur? [9] Idem estis invicem quod fuistis, probatis ex æquo: nihilque vobis felicitas addidit, nisi quod scire cœpistis, quam bene uterque vestrum felicitatem ferat. Eadem quam modica cultu? quam parca comitatu? [d] quam civilis incessu? mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit. nam
15 uxori sufficit obsequii gloria. An cum videat quam te [10] nullus terror, nulla comitetur ambitio: non & ipsa cum silentio incedat, ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur sexus imitetur? [11] Decuerit hoc illam, etiamsi diversa tu facias. Sub hac vero modestia viri, quantam debet verecundiam uxor marito, fœmina sibi?

20 LXXXIV. [1] Soror autem tua ut se sororem esse meminit? ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur? ut si quis eam uxori

INTERPRETATIO.

b *Bonos efficere.*
c Uxor *infamis denigrabat.*

d *Quam modeste incedit.*

NOTÆ.

men habet, quanto major qui peccat habetur. Idem Sat. 9. 102. *Secretum divitis ullum esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur.*

2. *Inconsultius.*] Haud satis exploratis ejus moribus.

3. *Retenta patientius.*] Cognitis ejus stupris. Ut Domitianus Domitiam Longinam tulit.

4. *Mariti minores.*] Id est, infelici matrimonio juncti, ideoque felicioribus maritis *minores*, ut Cataneo placet: vel uxoribus *minores*, quod iis serviliter obsequantur.

5. *Uxor.*] Plotina de qua plura. Vide in vita Trajani huic Panegyrico præfixa.

6. *Quid antiquius?*] An ulla alia est, quæ castas & nobiles *priorum temporum* matronas, morum sanctitate melius referat?

7. *Pontifici maximo.*] De Pontifice maximo dixi n. 64. not. 4.

8. *Nisi gaudium.*] Neque enim, ut cæterarum mulierum ingenium est, eam ob rem intumescit, quod auctus sis imperio: nec tam sua causa gaudet, quam tua.

9. *Idem estis.*] Iidem estis in imperatoria dignitate, qui olim in privata fortuna. Unde inferri potest Trajanum duxisse Plotinam, antequam imperator fieret.

10. *Nullus terror.*] Nulli satellites, nullus alius, aut ad terrorem populis incutiendum, aut ad inanem ostentationem, apparatus.

11. *Decuerit hoc illam.*] Illam deceat hæc agendi ratio, vel si alio modo te geras: nunc vero cum te conjugem habeat tam modestum, quam verecunda esse debet, ut & marito, & sexui suo satisfaciat.

1. *Soror tua.*] Marciana, cujus filia Mati-

tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum, [2] bene institui, aut [3] feliciter nasci. Nihil est tam [a] pronum ad simultates, quam æmulatio, in fœminis præsertim: ea porro maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidia; cujus finis est odium. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in una domo, parique fortuna, nullum certamen, nulla contentio est: [b] suspiciunt invicem, invicem cedunt; cumque te utraque effusissime diligat, nihil sua putant interesse, utram tu magis ames. Idemque utrique propositum, idem tenor vitæ; nihilque ex quo sentias duas esse. Te enim imitari, te subsequi student, ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos habet. Inde moderatio, inde etiam perpetua securitas. [4] Neque enim unquam periclitabuntur esse privatæ, quæ non desierunt. Obtulerat illis senatus cognomen [5] Augustarum, quod certatim deprecatæ sunt, quandiu appellationem [6] patris patriæ tu recusasses: seu quod plus esse in eo judicabant, si uxor & soror tua, quam si Augustæ dicerentur. Sed quæcunque illis ratio tantam modestiam suasit, hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris & sint & habeantur Augustæ, quia non vocantur. Quid enim laudabilius fœminis, quam si verum honorem, non in splendore titulorum, sed in judiciis hominum reponant; magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant?

LXXXV. Jam etiam & in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum amicitia, cujus in locum migraverant assentationes, blanditiæ, & pejor odio amoris simulatio. Etenim in principum domo nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumque, manebat. Nam quæ poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi [1] alii domini, alii servi videbantur? Tu hanc pulsam & errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse es. Neque enim ut alia subjectis, ita [2] amor imperatur: neque est ullus affectus

INTERPRETATIO.

a *Proclive ad inimicitias.* b *Se venerantur.*

NOTÆ.

dia, mater Sabinæ Hadriani imp. uxoris, ante sextum Trajani consulatum extincta, atque, ut ex fornice Anconitano liquet, consecrata.

2. *Bene instituti.*] Ut Plotina, quæ Trajano adolescenti nupta, diu instituta fuit domesticis ejus virtutibus.

3. *Feliciter nasci.*] Ut Marciana ejus soror, quæ in eadem nata est domo atque Trajanus. Fuit agitata quæstio a Quintiliano lib. 11. cap. 19. & a Tullio pro Archia poeta: *Plusne ad bene vivendum bona institutio conferat, quam natura.* De Sabina, & Marciana, vide *in Trajani vita.*

4. *Neque enim.*] Id est, non erit periculum ne mutent mores, si te defuncto redigantur in privatorum fortunam: siquidem eandem animi æquabilitatem servant sub te principe, quam dum privatus esses. *Baudius.*

5. *Augustarum.*] Uxores & sorores imperatorum, ut ex historicis notum est, Augustarum cognomine donabantur.

6. *Patris patriæ.*] De nomine patris patriæ dictum est supra n. 21. not. 1.

1. *Alii domini.*] An enim eum ames, qui te ut servum adhibeat?

2. *Amor imperatur.*] Notum illud Clau-

[a] tam erectus & liber, & dominationis impatiens; nec qui magis vices exigat. Potest fortasse princeps inique, potest tamen odio esse nonnullis, etiam si ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo, cum diligaris, & in eo [3] quod utrique honestissimum est, tota gloria tua est: 5 qui superior factus, descendis in omnia [4] familiaritatis officia; [b] & in amicum ex imperatore submitteris: imo tunc maxime imperator, cum amicum ex imperatore agis. Etenim cum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, præcipuum est principis opus amicos parare. Placeat tibi semper [5] hæc secta, & cum alias virtutes tuas, tum hanc constantissime teneas: nec 10 unquam persuadeatur, [c] humile esse principi, nisi odisse. Jucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum utroque ita frueris, ut cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. Primum, quia facilius est [6] unum amare, quam multos; deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, ut nemo possit te nisi ingratus non 15 magis amare.

LXXXVI. Operæ pretium est referre, [a] quod tormentum tibi injunxeris, [1] nequid amico negares. Dimisisti optimum virum, tibique carissimum invitus & tristis, & quasi retinere non posses. Quantum amares eum, [b] desiderio expertus es: distractus separatusque, dum cedis & vinceris. Ita 20 quod fando inauditum, cum princeps & principis amicus diversa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O rem memoriæ literisque mandandam! [2] præfectum prætorii [c] non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus

INTERPRETATIO.

a *Tam generosus.*
b *Et* deposita *imperatoris* majestate, *personam amici induis.*
c *Quidquam indignum esse principe, praterquam odisse.*

a *Quam vim tibi feceris.*
b Ejus *absentia sensisti.*
c *Non* unum *ex us qui se obtrudunt, sed ex iis, qui* honoribus *se subducunt.*

NOTÆ.

diani, *non extorquebis amari. Amare* enim, *& odisse res omnium liberrima*, Senec. de breu. vit. cap. 19.

3. *Quod utrique.*] Id est, & ei qui diligitur, & ei qui diligit.

4. *Familiaritatis officia.*] Ita ut sæpe amicos cœnæ adhiberet, apud eosdem etiam diverteret, ægros inviseret, cum iis accumberet, in eadem lectica veheretur, ut habent Trajani vitæ scriptores.

5. *Hac secta.*] Id est, ratio vitæ, seu agendi ratio: quo modo supra n. 45. *Quæ si hi secta vitæ, quod hominum genus placeat.* Et Cicero pro M. Cælio n. 40. *qui hanc sectam rationemque vitæ secuti sumus.*

6. *Unum amare.*] In amicitia quæ est principem inter & subditos, laus potior est principis; subditis enim facilius est amare unum principem, quam principi subditos innumeros.

1. *Ne quid amico.*] An Licinio Suræ? Non putat Lipsius, quomodo enim, inquit ille, biennio post discessum illum consul fuisset, iterumque quadriennio interjecto? Verum quidni revocatus fit ille ex otio ad gerendos istos consulatus? Et vero ut ex hoc Plinii loco patet, eum, de quo hic agitur ex otio eduxerat, & eidem otio reddidit.

2. *Præfectum prætorii.*] Is præerat militibus, quos imperator ad sui custodiam allegerat. Qui magistratus ab Augusto insti-

legere: eundemque otio, quem pertinaciter amet, reddere; cumque sis ipse distentus imperii curis, non quietis gloriam cuiquam invidere! Intelligimus, Cæsar, quantum tibi pro laboriosa ista statione & exercita debeamus, cum otium a te tanquam res optima & petatur, & detur. Quam ego audio[3] confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris? prosecutus es enim, nec temperasti tibi, quo minus exeunti in litore amplexus osculum ferres. Stetit Cæsar in illa [4] amicitiæ specula, precatusque maria, celeremque, si tamen ipse voluisset, recursum: nec sustinuit recedentem, non etiam atque etiam votis, lacrymis sequi. Nam de liberalitate taceo, quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia potest? qua meruisti, ut ille sibi nimium fortis ac prope durus videretur? Nec dubito quin agitaverit secum, an [d] gubernacula retorqueret. Et fecisset, nisi quod pœne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est[5] desiderare principem desiderantem. Et [6] ille quidem, ut maxima fructus suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur: tu autem facilitate ista consecutus es, ne quem retinere videaris invitum.

LXXXVII. Civile hoc erat, & parenti publico convenientissimum, [a] nihil cogere, semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas. Dignus es, Cæsar, qui officia mandes deponere optantibus; qui [b] petentibus vacationem invitus quidem, sed tamen tribuas; qui ab amicis orantibus requiem non te relinqui putes; qui semper invenias, & quos ex otio revoces, & quos otio reddas. [1] Vos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fovete sancte judicium ejus, quod de vobis habet. hic vester labor est. Princeps enim cum in uno probavit, amare se scire, vacat culpa, [2] si alios minus amat. Ipsum quidem quis mediocriter diligat? cum leges amandi non det, sed

INTERPRETATIO.

d *Navim.*
a Nemini *in ulla re vim facere.*

b *Postulantibus* facultatem *vacandi a rebus publicis.*

NOTÆ.

tutus, stabilitus a Tiberio; tandem a Constantino sublatus est, cum prætoriani pro Maxentio contra ipsum stetissent. Hi ex equitibus primum, tum etiam ex senatoribus, atque adeo ex consularibus viris eligebantur. Tanta erat eorum auctoritas ut ab iis appellari non posset.

3. *Confusionem.*] Vox frequens non modo apud Plinium, sed apud alios illius temporis scriptores, pro eo quod est *tristitia.*

4. *Amicitiæ specula.*] In litore eminentiore, inquit Lipsius, unde amicum videret, & oculis prosequeretur abeuntem. Addo ego, ubi dabat omnibus perfectum amicitiæ signum. Hic enim locus duplicem pati sensum potest.

5. *Desiderare principem.*] Quam præsente frui. *Nihil enim æque gratum est adeptis, quam concupiscentibus.* Plin. l. 2. ep. 15.

6. *Ille.*] Sura nimium durus, qui invito principe, cui ita carus erat, præfecturam deponeret ut in otium secederet.

1. *Vos quoque.*] Transfert orationem ad senatores quos præsentes videbat.

2. *Si alios minus amat.*] Ut enim Trajanus amat bonos, sic quos non amat, habentur ab omnibus indigni hoc amore, idque eis vitio vertitur potius, quam principi.

accipiat?[3] hic præſens, ille mavult abſens amari! uterque ametur ut mavult. nemo in tædium præſentia, nemo in oblivionem abſentia veniat. Tenet quiſque locum,[4] quem ſemper meruit, faciliuſque eſt, ut oculis ejus vultus abſentis, quam ut animo charitas excidat.

5 LXXXVIII. Plerique principes, cum eſſent civium domini,[1] libertorum erant ſervi: horum conſiliis, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos præturæ etiam, & ſacerdotia, & conſulatus, imo & ab his petebantur. Tu libertis tuis,[2] ſummum quidem honorem, ſed tanquam libertis habes: abundeque ſufficere his credis, ſi 10 probi & frugi exiſtimentur. ſcis enim præcipuum eſſe indicium, non magni principis, magnos libertos. Ac primum neminem in uſu habes niſi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuiquam principum dilectum,[3] ſtatimque hos ipſos quotidie, deinde ita formas, ut ſe[4] non tua fortuna,[5] ſed ſua metiantur. & tanto magis digni, quibus honor omnis præſtetur[6] a nobis, quia 15 non eſt neceſſe. Juſtiſne de cauſis ſenatus populuſque Rom.[7] optimi tibi cognomen adjecit?[a] Paratum id quidem & in medio poſitum,[8] novum tamen: ſcias neminem ante meruiſſe,[b] quod non erat excogitandum, ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit[9] felicem vocare? quod non moribus, ſed

INTERPRETATIO.

a *Facile illud quidem, & omnibus notum.* b *Quod non erat magno labore quærendum.*

NOTÆ.

3. *Hic præſens.*] Alii: ita amari volunt a principe, ut abeſſe ſibi ab aula liceat: alii, ut adeſſe ſemper. Utrumque concedit Trajanus.

4. *Quem ſemper meruit.*] Melius Lipſius *quem ſemel meruit.*

1. *Libertorum ſervi.*] Ut Claudius qui Poſidis, Felicis, Harpocræ, Polybu, & Pallantis libertorum ſtudio ac libidine honores & immunitates diſpenſabat. *Suet. c.* 28. *&* 29. De Narciſſo *Juvenal. Sat.* 14. 329. Galba item duorum libertorum arbitrio nihil non gerebat. Idem de Vitellio traditur.

2. *Summum quidem.*] Malim cum Lipſio, *ſuum quidem*, ut enim Plinius l. 6 ep. 30. refert: Cum Eurythmus Trajani libertus idem, & procurator accuſaretur, & hæredes pro ſua erga imperatorem reverentia accuſationem hanc remitterent, Trajanus pulcherrime dixit: *Nec ille Polycletus, nec ego Nero.*

3. *Statimque hos ipſos.*] Corruptum hunc locum ita reſtituunt Gruterus, & Lipſius: *Aut optimo cuique principum dilectum, æſtimatumque: hos ipſos quotidie deinde ita formas.*

4. *Non tua fortuna.*] Cum ſe tanti imperatoris libertos ſentiant.

5. *Sed ſua.*] Sed libertina conditione ſua.

6. *A nobis.*] Senatoribus.

7. *Optimi.*] Cognomen illud hoc anno Trajano datum eſt a ſenatu, ſed ut ſupra n. 11. not 18. diximus, nono tantum poſt anno in titulis eſt uſurpatum.

8. *Novum tamen.*] At enim Scipio Naſica id nominis habuit ut habet *Seneca ep.* 19. Omnino; ſed non erat ille imperator. Idem aſſumpſit Cajus, *inquit Suet.* ſed illud quidem *aſſumpſit*, non habuit a ſenatu.

9. *Felicem.*] Fortaſſe Auguſtum: principibus enim acclamari ſolitum erat *Felicior Auguſto, Trajano melior*, vel potius L. Syllam Felicem cognomento dictum, ſeu quod hoſtes pene innumeros feliciter ſuperaſſet; ſeu quod placidam dictaturam, quod nemini hucuſque contigerat, diu geſſiſſet, & cum libitum fuerat depoſuiſſet; ſeu demum quod, cum parvulus inter nu-

fortunæ

fortunæ datum eſt. Satius [10] magnum? cui plus invidiæ, quam pulchritudinis ineſt. Adoptavit te optimus princeps [11] in ſuum, ſenatus in optimi nomen. Hoc tibi tam proprium, [12] quam paternum: nec magis definite diſtincteque deſignat, qui Trajanum, quam qui optimum appellat: ut olim [13] frugalitate Piſones, [14] ſapientia Lælii, [15] pietate Metelli monſtrabantur. Quæ 5 ſimul omnia uno iſto nomine continentur: nec videri poteſt optimus, niſi qui eſt omnibus optimis in ſua cujuſque laude præſtantior. Merito tibi ergo, poſt [16] ceteras appellationes hæc eſt addita, ut major. Minus eſt enim imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum, quam omnibus imperatoribus, & Cæſaribus, & Auguſtis eſſe meliorem. Ideoque [17] ille parens hominum deorumque [18] optimi prius, deinde maximi nomine colitur: quo 10 præclarior laus tua, quem non minus conſtat optimum eſſe quam maximum. Aſſecutus es nomen, quod ad alium tranſire non poſſit, niſi ut appareat in bono principe alienum, in malo falſum: quod licet omnes poſtea uſurpent, ſemper tamen agnoſcetur ut tuum. Etenim ut nomine Au- 15 guſti admonemur ejus, cui primum dicatum eſt: ita hæc optimi appellatio nunquam memoriæ hominum ſine te recurret; quotieſque poſteri noſtri optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari.

LXXXIX. Quanto nunc, [1] dive Nerva, gaudio frueris, cum vides & 20 eſſe optimum & dici, quem tanquam optimum elegiſti? quam lætum tibi,

NOTÆ.

tricis brachia geſtaretur, de via occurrens mulier neſcio qua: *Salve*, inquit, *puer, & tibi, & reipublicæ felix*, quod bonæ mulieris omen ſibi non injucundum edicto longo poſt tempore confirmavit. *Plutarchus*.

10. *Magnum.*] Pompeium puta: quem Africa ſubacta in Urbem redeuntem occurrens Sylla *magnum* conſalutavit, ut ait Plutarchus in ejus, & in Craſſi vita.

11. *In ſuum.*] Id eſt, in *Nervæ* nomen, nam dictus eſt M. Ulpius Nerva Trajanus.

12. *Quam paternum.*] Id eſt, quam *Trajani* nomen, quod a patre habes.

13. *Frugalitate Piſones.*] *Frugales* dicti, non quia abſtinentes, ſed quia multis utiles, id eſt, fructuoſi. *Plin. lib.* 18. *Val. Maxim. lib.* 4. *cap. de abſtin.*

14. *Sapientia Lælii.*] Fuit Scipioni intimus ejuſque legatus perpetuus. Is cum agrariæ legi vellet intercedere, veritus ne civitatis locupletes, quos ea in re ſibi adverſos ſentiebat, concitaret, ab incœpto deſtitit, & ſapientis propterea cognomen meruit, ut habet *Plutarchus*. & Tullius pro Muræna n. 66. *Quis vero C. Lælio ſapientior? &c.*

15. *Pietate Metelli.*] Utrum L. Cæcilii Metelli, cujus egregia pietate Palladium ab incendio ſervatum refert *Plinius lib.* 7. *cap* 43. An. Q. Metelli, qui ad pedes Furii Trib. plebis cum lacrymis in conſpectu populi provolutus, & pro Numidico patre ſupplex, nihil quidem ab eo conſecutus eſt, ſed anno poſt a populo tandem obtinuit, ut pater ab exilio revocaretur *Appianus lib.* 1. *bellorum civilium.*

16. *Ceteras appellationes.*] Ut *imperatoris, Cæſaris, Auguſti, Germanici, patris patriæ*, quibus ante donatus eſt, quam *optimus* appellaretur.

17. *Ille parens.*] Antiqui deos omnes *patres* vocabant: ſic Jupiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: ſic pater Apollo, Liber, Neptunus, Vulcanus, Mars, &c.

18. *Optimi prius.*] *Jupiter ante optimus dicitur*, id eſt, *beneficentiſſimus, quam maximus: quia majus eſt certeque gratius prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere* Tullius de nat. Deorum l. 2.

1. *Dive Nerva.*] Convertit orationem ad Nervam, qui, anno poſt ejus mortem altero, fuerat a Trajano conſecratus.

quod comparatus filio tuo [a] vinceris? neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipse, [2] non timuisti eligere meliorem. Sed & tu, pater Trajane, nam tu quoque [3] si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem, quantam percipis voluptatem?
5 cum [4] illum Tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem, tantum principem cernis: cumque eo, qui adoptavit amicissime contendis, [b] pulchrius fuisse genuisse talem, an elegisse? Macte uterque ingenti in remp. merito, cui hoc tantum boni contulistis! Licet alteri vestrum filii virtus [5] triumphalia, cœlum alteri dederit: non minor tamen vestra laus, quod
10 ista per filium, quam si ipsi meruissetis.

XC. Scio, patres conscripti, cum ceteros cives, tum præcipue consules [a] oportere sic affici, ut se publice magis, quam privatim obligatos putent. Ut enim principes rectius pulchriusque est [b] ex communibus injuriis odisse, quam propriis: ita boni speciosius amantur ob ea quæ generi hu-
15 mano, quam quæ [c] hominibus præstant. Quia tamen [d] in consuetudinem vertit, ut consules publica gratiarum actione [e] perlata, suo quoque nomine, quantum debeant principi, profiteantur: concedite me non pro me magis, munere isto, quam pro collega meo [1] Cornuto Tertullo [2] C. V. fungi, cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo?
20 præsertim cum indulgentissimus imp. in concordia nostra ea præstiterit ambobus, quæ si tantum in alterum contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. Utrumque nostrum [3] ille optimi cujusque spoliator & carnifex,

INTERPRETATIO.

a *Inferior illo es.*
b Utrum *gloriosius fuerit.*
a *Sic affectos esse debere, ut credant magis se obligatos esse principi ob beneficia, quæ in omnes, quam* ob ea, *quæ in se ipsos conferuntur.*
b *Propter communes iniurias, quam propter privatas.*
c *Privatis.*
d *Transiit in morem.*
e *Habita.*

NOTÆ.

2. *Non timuisti.*] Quod fecisse Augustus a nonnullis reprehenditur, qui eo tantum Tiberium adoptavit, *ut comparatione pessimi gloriam sibi augeret.* Taciti Annal. 3. c. 10.

3. *Si non sidera.*] Debet enim aliquod esse discrimen inter privatum hominem, qualis fuerat Trajani pater, & Nervam imperatorem. Lucanus l. 9. 6. *Quodque patet terras inter lunæque meatus, semidei manes habitant, quos ignea virtus, innocuos vita, patientes ætheris imi fecit.* Manilius l 1. 768. *altius ætherei qua candet circulus orbis, illa deum sedes: hæc illis proxima, divum qui virtute sua similes vestigia tangunt.*

4 *Illum tribunum.*] Supra n. 15. Tribunum fuisse Trajanum dicit: haud dubie sub patre, sive in Judæa, sive apud Parthos, ut ostendimus in Trajani vita.

5. *Triumphalia.*] Non victoriam & triumphum, ut credere videtur Lipsius, quod non admodum Trajano patri esset honorificum, si victoriam suam puero debuisset, sed marmoream, aut æream statuam, quæ in porticu, aut arcu imposita triumphantem exhiberet. Igitur Nervam adoptione patrem consecravit. Trajano autem patri statuam erexit.

1. *Cornuto Tertullo.*] Cujus sanctitatem laudat Plinius l. 15. ep. 5.

2. *C. V.*] Id est, *clarissimo viro* ut putat Livineius ex veteri codice. Alii legunt, *consulari viro*, sed Cornutus Tertullus nullum adhuc consulatum gesserat.

3. *Ille.*] Domitianus, qui optimos quosque

ſtragibus [4] amicorum, & in proximum [5] jacto fulmine afflaverat: iiſdem enim amicis gloriabamur, eoſdem amiſſos lugebamus: ac ſicut nunc ſpes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor & metus erat. Habuerat hunc honorem periculis noſtris divus Nerva, ut nos etſi minus, ut bonos, tamen promovere vellet: quia mutati ſeculi ſignum & hoc eſſet, quod florerent, [f] quorum præcipuum votum ante fuerat, ut memoriæ principis elaberentur. 5

XCI. Nondum biennium compleveramus [1] in officio laborioſiſſimo & maximo, cum tu nobis, optime principum, fortiſſime imperatorum, conſulatum obtuliſti; ut ad ſummum honorem gloria celeritatis accederet. Tantum inter te & illos principes intereſt, qui beneficiis ſuis commendationem [2] ex difficultate captabant, gratioreſque accipientibus honores arbitrabantur, ſi prius illos deſperatio, & tædium, & ſimilis repulſæ mora [a] in notam quandam pudoremque vertiſſent. Obſtat verecundia quo minus percenſeamus, quo utrumque noſtrum teſtimonio ornaris, ut amore recti, amore reipublicæ priſcis illis conſulibus [b] æquaveris. Merito, nec ne, neutram in partem decernere audeamus: quia nec fas eſt affirmationi tuæ derogare, & oneroſum confiteri, vera eſſe, quæ de nobis, præſertim tam magnifica, dixiſti. Tu tamen dignus es, qui eos conſules facias, de quibus poſſis iſta prædicare. Tribuas veniam, quod inter hæc beneficia tua gratiſſimum eſt nobis, quod nos [3] rurſus collegas eſſe voluiſti. Ita charitas mutua, ita congruens tenor vitæ, ita una eademque ratio propoſiti poſtulabat: cujus ea vis, [4] ut morum ſimilitudo concordiæ noſtræ gloriam minuat, ac perinde ſit mirum, ſi alter noſtrum a collega, ac ſi a ſe ipſo diſſentiat. Non ergo temporarium & ſubitum eſt, quod uterque collegæ conſulatu, tanquam iterum ſuo gaudet; niſi quod tamen qui rurſus conſules fiunt, bis quidem, 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

f *Qui antea id præcipue optabant ut ne princeps de ſe cogitaret.*

a *In ignominiam quandam & dedecus.*

b Nos *pares eſſe dixeris.*

NOTÆ.

interfecerat, ut illorum bonis diteſceret.

4. *Amicorum.*] *Occiſis Serecione, Ruſtico, Helvidio: relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia.* Plin. l. 3. ep. 11.

5. *Jacto fulmine.*] Eo pertinet illud Plinii l. 3. ep. 11. *Tot circa me jactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibuſdam notis augurabar.* Has imperatorum animadverſiones Ovidius *fulmina* appellat, *ſævum præluſtri fulmen ab arce venit.*

1. *In officio.*] In præfectura ærarii. Ad quod munus una cum Cornuto promotus fuerat a Nerva. Quo tempore quia Trajanus, licet ab urbe abſens, Nervæ collega erat, Plinius videtur utrique acceptum id referre lib. 10. ep. 20. *Ut primum me domine indulgentia veſtra promovit ad præfecturam ærarii Saturni* &c. De præfectura illa ipſe Plinius l. 1. ep. 10. *Diſtringor*, inquit, *officio ut maximo, ſic moleſtiſſimo. Sedeo pro tribunali. ſubnoto libellos, conficio tabulas; ſcribo plurimas, ſed illiteratiſſimas literas.* Quam præfecturam quando geſſerit, vide in Plinii vita.

2. *Ex difficultate.*] Eo enim res pluris fiunt, quo difficilius parantur.

3. *Rurſus.*] Qui collegæ in ærarii præfectura jam fuimus.

4. *Ut morum.*] Ut qua ſumus morum ſimilitudine, non admodum mirum ſit aut glorioſum, quod tam concordes vivamus,

ſed temporibus diverſis obligantur : nos duos conſulatus accipimus ſimul, ſimul gerimus, alterque in altero conſul, ſed iterum, & pariter ſumus.

XCII. Illud vero quam inſigne, quod nobis præfectis ærario, conſulatum, [1] antequam ſucceſſorem dediſti. Aucta eſt dignitas dignitate. neque continuatus tantum, ſed [2] geminatus eſt honor : finemque poteſtatis alterius, tanquam parum eſſet excipere, [3] prævenit. Tanta tibi integritatis noſtræ fiducia fuit, ut non dubitares te ſalva diligentiæ tuæ ratione eſſe facturum, ſi nos poſt maximum officium privatos eſſe non ſineres. Quid, quod [4] eundem in annum conſulatum noſtrum contuliſti ? Ergo non alia nos [5] pagina, quam te conſulem accipiet, & noſtra quoque nomina addentur faſtis, quibus ipſe præſcriberis. Tu comitiis noſtris præſidere, tu nobis ſanctiſſimum illud [6] carmen præire dignatus es, tuo judicio conſules facti, tua voce renunciati ſumus : ut idem honoribus noſtris ſuffragator in curia, in campo declarator exiſteres. Nam quod eum potiſſimum [7] menſem attribuiſti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis ! quibus [8] edicto, quibus ſpectaculo celebrare continget [9] diem illum triplici gaudio lætum : qui principem abſtulit peſſimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit. Nos ſub oculis tuis [10] auguſtior ſolito currus accipiet, nos inter ſecunda omina & vota certantia, quæ præſenti tibi conferentur, vehemur alacres, & incerti [11] ex utra parte major auribus noſtris accidat clamor.

XCIII. Super omnia tamen prædicandum videtur, quod pateris [1] conſules eſſe quos feciſti. Quippe nullum periculum, nullus ex principe metus conſulares animos debilitat & frangit : nihil invitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. Manet, [a] manebitque honori veneratio ſua, nec ſecuritatem [b] auctoritate perdemus. Ac ſiquid

INTERPRETATIO.

a *Manebit debita conſulatui reverentia.* b *Propter auctoritatem.*

NOTÆ.

1. *Succeſſorem.*] In ærarii præfectura.

2. *Geminatus.*] Tum quia eodem tempore & præfecti ærario eramus, & conſules ſaltem deſignati, tum quia uterque collegæ ſui honore tanquam ſuo gaudebat.

3. *Prævenit.*] Vide chronologicam tabulam, a nobis huic operi præfixam.

4. *Eundem in annum.*] Quo tu conſulatum geſſiſti.

5. *Pagina.*] Faſtorum, in qua conſulum nomina inſcribebantur.

6. *Carmen præire.*] De hac conſuetudine ſupra n. 63. not. 4.

7. *Menſem.*] Septembrem, ut liquet ex iis quæ ſequuntur, quem ut conſulatum gereremus, aſſignaſti.

8. *Edicto.*] Conſul enim in honorem natalium principis juſtitium & ludos indicebat. Sic *natalem Auguſti* apud Dionem legimus *annuis circenſibus, idque decreto in perpetuum celebratum.*

9. *Diem triplici gaudio.*] Decimumquartum Kal. Octob. felicem 1. Domitiani morte, 2. Nervæ imperio, 3. Trajani natalibus. Sic Cæſar de alio die, *Fortuna quæ dicitur ludere in rebus humanis, mirificos caſus in eundem diem conjecit.*

10. *Auguſtior*] Eo quem, cum Tribunus aut prætor eſſet habuerat.

11. *Ex utra &c.*] Utrum a dextra, an a ſiniſtra civi parte, major plauſus audiatur.

1. *Conſules eſſe.*] Conſulum non tantum nomen, ſed etiam auctoritatem retinere.

forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra hæc erit culpa, non seculi: licet enim quantum ad principem, licet tales consules agere, quales ante principes erant. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus?[1] nisi tamen illam, ut semper nos meminerimus consules fuisse, & consules tuos. Ea sentiamus, ea censeamus, quæ consularibus digna sunt: ita versemur in rep. ut credamus esse rempublicam: non consilium nostrum, non operam subtrahamus:[c] nec disjunctos nos, & quasi dimissos consulatu, sed quasi astrictos & devinctos putemus;[3] eundemque locum laboris & curæ quem reverentiæ, dignitatisque teneamus. 5

XCIV. [1]In fine orationis præsides [2] custodesque imperii deos ego consul pro rebus humanis, ac te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, [3]ut beneficiis tuis faveas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. Audisti, quæ malo principi precabamur, exaudi quæ pro dissimillimo optamus.[a] Non te[4] distringimus votis. non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex, cunctaque ista complexum unum omnium votum est, salus principis. Nec vero nova tibi injungimus. tu enim jam tunc illum in tutelam recepisti, cum [5] prædonis avidissimi faucibus eripuisti. neque enim sine auxilio tuo, cum altissima quæque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior, inconcussus stetit. 10 15

INTERPRETATIO.

c *Nec liberatos nos* curis *consularibus, sed quasi, &c.*

a *Non te* multitudine *votorum distrahimus.*

NOTÆ.

1. *Nisi tamen.*] Ex consuetudine Plinii pro *nisi solum.*

3. *Eundemque.*] Id est, ut sicut primum in republica magistratum gerimus, ita omnium maxime ad reipublicæ salutem & gloriam invigilemus.

1. *In fine.*] A precatione duxerat orationis exordium; nunc eandem obsecratione religiosa concludit.

2. *Custodesque imperii Deos.*] Sui erant singulis urbibus dii tutelares custodesque, quorum nomina studiose occultabantur. Veteres enim in ea erant opinione, urbes capi non posse, quin ante dii illi, seu sponte, seu magicis carminibus evocati excessissent. Sic ante excidium Troiæ: *Excessere omnes adytis, arisque relictis dii quibus imperium hoc steterat.* Æneid. 2. 251. Sic ante ruinam Hierosolymitanam, *Expansæ repente delubri fores, exaudita major humana vox, excedere deos, simul ingens motus excedentium.* Tacit. Hist. l. 5. Quare apud Curtium l. 4. cum Tyriis, quorum urbem Alexander obsidebat, visus esset in somnis Apollo ipsorum urbem relinquere: hujus statuam illico ad Herculis hoc est, ad deorum omnium fortissimi aram arctissime alligarunt, a quo retineretur strenue. Atque hinc est, cur adhuc hodieque inter viros doctos controversum sit, utrum *Jupiter* an *Mars* an *Luna* an Opis *consivia*, aut *Angerona*, quæ ore obligato obsignatoque quasi ad præcipiendum arcanum exhibebatur, fuerit dea urbis Romæ tutelaris. Ejusdem urbis Romæ fuit nomen alterum, sed pari religione occultum: ut Valerius Soranus capite luerit, quod illud evulgasset. *Plin. l.* 3. *c.* 5.

3. *Ut beneficiis tuis.*] Ut Trajanum, quem nobis tanquam singulare beneficium concessisti, serves.

4. *Distringimus.*] Districtus negotiis dicitur cujus maximæ sunt ac variæ occupationes, quique ut singulis det operam quasi dividere se ac distrahere necesse habet.

5. *Prædonis avidissimi.*] Domitiani.

Præteritus est a pessimo principe,[6] qui præteriri ab optimo non potuit. Tu clara judicii tui signa misisti, cum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore cessisti. Tu voce imperatoris, quid sentires locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum elegisti. Quo majore fiducia, 5 iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro, & obtestor, si bene remp. si ex utilitate omnium regit, primum ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves, deinde ut quandoque successorem ei tribuas,[7] quem genuerit, quem formaverit, similemque fecerit adoptato: aut si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresque aliquem,[8] quem adoptari in 10 Capitolio deceat.

XCV. Vobis P. C. quantum debeam,[1] publicis etiam monumentis continetur, vos mihi[2] in tribunatu quietis,[3] in prætura modestiæ, vos in istis officiis etiam,[a] quæ e studiis nostris circa[4] tuendos socios injunxeratis, cuncti constantiæ antiquissimum testimonium perhibuistis. Vos proxime 15 destinationem consulatus mei his acclamationibus approbavistis, ut intelligam etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar & teneam, & in dies augeam. Etenim memini tunc verissime judicari meruerit quis honorem, necne,[5] cum adeptus est. Vos modo[6] favete huic proposito, & credite, si cursu quodam[7] provectus ab illo insidiosissi-20 mo principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est; substiti, cum viderem, quæ ad honores compendia paterent longius iter malui; si malis temporibus inter mœstos & paventes, bonis inter securos gaudentesque numeror; si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum invisus pessimo fui. Ego reverentiæ vestræ sic semper 25 inserviam, non ut me consulem, & mox consularem, sed ut candidatum consulatus putem.

INTERPRETATIO.

a *Quæ imposuistis mihi, ut, pro mea dicendi facultate, causam sociorum defenderem.*

NOTÆ.

6. *Qui præteriri.*] Qui præteriri non potuit, a Nerva egregium successorem sibi quærente.

7. *Quem genuerit.*] Nullos, quod sciam, liberos habuit Nerva.

8. *Quem adoptari.*] Id est, qui ut alter Trajanus, adoptari coram diis mereatur.

1. *Publicis monumentis.*] In quæ senatorum elogia super Plinii tribunatu, & prætura relata erant.

2. *In tribunatu.*] Cum tribuni plebis turbarum ferme auctores, aut fautores essent: Plinius quieti ac tranquillitati studuit.

3. *In prætura.*] De hoc magistratu supra n. 77. not. 5.

4. *Tuendos socios.*] Quas causas egerit Plinius. Vide in ejus vita.

5. *Cum adeptus est.*] Scilicet vestris suffragiis, quæ dignissimis tantum impertimini. Potest etiam ita explicari; cum illum magistratum gerit.

6. *Favete.*] Sensus est: *Favete, & credite; si substiti, si &c.* modus loquendi venustus, ut ille Ovidii; *Si fuit hic animus nobis, ita parcite divi*, id est, ut hic animus nobis fuit.

7. *Provectus.*] A Domitiano ad præturam, mox eidem imperatori *invisus*, ut videri potest in Plinii vita.

AD PANEGYRICVM II.

VITA

DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.





Anno V. C. 1001. *Christi* 248. *Philippi Aug.* 4.

AURELIUS VALERIUS DIOCLETIANUS, cognomento JOVIUS, quod tyrannos, ut ait Joan. Bap. Egnatius, velut alios gigantes a totius terrarum orbis segia Jovis instar propulisset, prope Salonas in Dalmatia nascitur. Fuit is Anulini senatoris aut libertinus, ut aliqui volunt; aut scriba, ut alii; aut libertinus idemque scriba: sic enim variæ sententiæ conciliari possunt. Patre ignoto genitus est, *Matre vero pariter, atque oppido nomine Dioclea; quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatur; post vero, Graio nomine in Romanum morem converso, Diocletianus*. Epit. Victoris.

Ex infima illa fortuna per omnia militiæ stipendia ad supremum tandem honoris apicem pervenit, non sine multo ante accepto futuræ suæ magnitudinis augurio. Cum enim gregarius adhuc miles apud Tungros, quæ Galliæ Belgicæ civitas est, in Druidis alicujus caupona diversatus, cum ea rationem sui convictus faceret; illa, *Diocletiane nimium avarus, nimium parcus es.* Cui ridens Diocletianus, *Tunc ego largus, cum imperator fuero.* Tum Druias: *Diocletiane jocari noli, nam imperator eris cum Aprum occideris.* Risit ille, verumtamen dicti illius memor, mirum quam acer ab eo tempore venator, quam cædendorum aprorum studiosus foret. Interim cum Aurelianus, Tacitus, Probus, ac porro Carus imperium accepisset, subinde dictitabat, *Ego semper apros occido, sed alter utitur pulpamento.* Hæc vera, an falsa sint non statuo; certe ista ab Druide ipsa audivisse avum suum refert *Vopiscus in Numeriano.*

An. V. C. 1003. *Christi* 250. *Decii imp.* 2.

M. VALERIUS MAXIMIANUS HERCULIUS libertini etiam sanguinis, inquit *Joan. Bap. Egnatius*, ortu agresti, inquit *Victor*, in Pannonia nascitur, haud longe Sirmio, quem locum adhue ætate sua, insignem tradit, palatio ibidem exstructo ubi ejus parentes opera mercenaria exercuerant.

An. V. C. 1037. *Chr* 284. *Carini, & Numeriani Augg.* 2. *Dioclet, ætatis* 36.

Diocletianus ardebat magis ac magis studio adipiscendi imperii, quo quidem eo dignior sibi videbatur, quod alios ex aliis honores gessisset. Igitur cum Numerianus imperator, patre in Perside prope Tygrim amisso, e Persico bello in lectica rediens ab Arriano Apro socero suo, eodemque prætorii præfecto occisus esset : re a militibus comperta, advocatur concio, in qua & imperator, & hujus necis ultor quæreretur. Ibi Diocletianus, tum domesticorum imperatoris comes, & Mœsiæ præfectus, omnium consensu proclamatur Augustus 15. Kal. Augusti. Quam dignitatem cum solenni de more accepisset : quoniam jubetis, inquit, ut de Numeriani interfectore quæratur, obsequar voluntati vestræ. Tum Aprum, quem milites eo protraxerant, proxime astantem digito commonstrans ; *Hic est auctor necis Numeriani*. Quem transfodiens : *Gloriare Aper, magni Æneæ dextra cadis* : & ad exercitum conversus, *Tandem Aprum fatalem occidi* : atque ita Druidis de suo imperio vaticinium implevit. Quæ visa & audita ab avo suo refert idem *Vopiscus in Numeriano*. Nicomediam purpuratus intravit 5. Kal. Oct. *Chronicon Alexandrinum*. Hic primum consulatum iniit. Ab eo anno incipit æra Diocletiani, quæ illo mortuo æra martyrum dicta est.

An. V. C. 1038. *Chr.* 285. *Dioclet. imp.* 2. *ætat.* 37. *Maxim. imp.* 1. *ætat.* 35.

Diocletianus e Syria redux consulatu Kal. Jan secundum inito, multis præliis in Illyrico congreditur cum Carino, qui in Galliis, Italia, & Illyrico post patris Cari & Numeriani fratris mortem sub Augusti nomine imperabat ; donec Carinus prope Murgum, inter Viminacium, atque Aureum montem in Mœsia superiore a suis, quibus propter nefaria scelera summe odiosus erat, confoditur. Qua morte cum vacuum esset Occidentis imperium, ab iis provinciis & exercitu, cui ille præerat, renunciatur imperator, & in Oriente & Occidente sine competitore regnat. Quo fit ut inde aliqui annos Diocletiani computent. Interim cum rusticorum factio, quibus *Bagaudarum* nomen, ducibus L. Pomponio Æliano, & Salonino Amando, ut Victor & Eutropius tradunt, tumultus in Galliis concitaret, castrumque Parisios inter, & Meldas ad Matronam situm, ubi nunc Fossatense S. Mauri Monasterium est, occupassent : Diocletianus metuens ne Galliæ omnes superiorum temporum injuriis, hoc est, Carini Augusti acerbitate ac ferocia, tyrannicisque judicum suorum exactionibus vexatæ deficerent, M. Aurelium Maximianum veterem amicum, & sub Probo atque Aureliano commilitonem, cui uni Druidis de suo imperio vaticinium aperuerat, hominem sibi ætate prope supparem,, bello strenuum, & inter arma educatum institutumque, Cæsarem facit Romæ, ubi ille Nicomedia evocatus magno populorum omnium plausu & acclamatione exceptus est. *Paneg.* 6. *n* 8. Eodem die inde in Gallias mittitur, ad quam expeditionem legionem Thebanam, quæ 6666. militum erat, secum abduxit. Gallias brevi seu vi, seu prudentia pacavit. Atque hinc Herculius dictus est, quod Diocletianum Jovium instar Herculis ad purgandas monstris Gallias adjuvisset. Maximianus legionem integram solitis gentilium sacrificiis pollui recusantem, trans Alpes Octoduri in Vetagris ad Rhodanum occidi jussit.

An. V. C. 1039 *Chr.* 286. *Dioclet. imp.* 3. *ætat.* 38. *Maxim. imp.* 2. *ætat.* 36.

Maximianus rediverat victor consulatum Treveris initurus. Cum ecce nunciatur Achilleum in Ægypto Tyrannidem invasisse: Narseum Persam Orienti bellum inferre: Quinquegentanas gentes in Africa turbare: Carausium Belgico & Armorico tractu contra Francos & Saxonas Pyratas tutando præfectum, abducta secum Romana classe Britannias occupasse : Burgundiones & Alamannos, imo & Chaibonas, Erulosque viribus primos barbarorum, locis ultimos, in Gallias irrumpere : Maximianus hos repente adortus fugavit ceciditque, ac Treveros redux magno omnium plausu exceptus est. Interim Diocletianus opus sibi consorte imperii, ad reliquos motus compescendos sentiens, Maximianum ex Cæsare Augustum facit Kal. Aprilis, moxque in Orientem convolat. Maximianus vero Carausio, quem propter publica latrocinia proscripserat, præcipue infensus, in Galliam contendit. Ibi cum ad Carausium, in Britannias persequendum classem nullam

lam reperisset: quo perduellis illius vires accideret, eam, quæ Rhætis objecta est, Germaniæ partem ingressus, in Burgundiones, & Alamannos propter occultum cum Carausio fœdus in Gallias effusos arma convertit, & eos partim fame, partim ferro conficit. *Pan. 2. n 5.* Chaibonas vero, & Erulos ad mare Codanum degentes internecione delet, ipsumque eorum regem inter ipsas, quas moliebatur insidias, capit: sicque Romanos limites ad Danubii caput, atque adeo ad transitum Guntiensem, id est, ad Guntzeburgi pontem extendit: captivos bene multos ad Nerviorum & Treverorum excolendos agros abducit. Qua victoria ita attriti sunt Franci, ut Esatech unus ex eorum regibus magna multitudine comitatus, pacis petendæ & sui purgandi causa ad Maximianum venerit; ac rebus ex animi sententia confectis domum reverterit; Genobaud vero item Francorum rex, quem fortasse amantem otii bellumque dissuadentem Franci expulerant, fuerit in regnum a Maximiano restitutus. *Pan. 2. n. 10. & Pan. 3. n. 3.*

Nec minus prospere rem gessit in Oriente Diocletianus: nam adversus Narseum Persarum regem cum Saracenis & Parthis Mesopotamiæ atque Armeniæ imminentem progressus, his quidem ultra Tigrim propulsis, illis acie victis. Narseum ad petendam pacem adegit. Inde reversus Gothos, Scythas, Sarmatas Daciam trajecto Istro populantes, nec multo post Quados & Marcomannos superato Danubio Rhætias ingressos subegit: quibus in victoriis annos omnino tres ambo imperatores impenderunt. Obiter autem notandum est Maximiani imperium ab anno 285. numerari, quo Cæsar factus est: ita enim anno imperii vicesimo purpuram deposuerit.

An. V.C. 1040. Chr. 287. Dioclet. imp. 4. ætat. 39. Maxim. imp. 3. ætat. 37

Diocletianus tertium, Maximianus secundum consulatum gerunt. Maximianum Massiliæ hoc anno fuisse constat *ex actis Martyrii S. Victoris.*

An V.C 1043. Chr. 290. Dioclet. imp. 7. ætat. 42 Maxim. imp. 6. ætat. 40.

Diocletianus IV. & Maximianus III. consules, deliberaturi de duobus periculosis bellis, Ægyptiaco adversus Achilleum tyrannum, & Africano adversus Quinquegentanas gentes in Africa turbantes; item & de Cæsaribus creandis, quibuscum hujus duplicis belli curam communicarent, acturi: Mediolanum hyemis tempore conveniunt, hic quidem e Germania, ille vero e Perside. *Pan. 2. n. 9.*

An. V.C. 1044. Chr. 291. Dioclet. imp. 8 ætat. 43 Maxim. imp. 7. ætat. 41.

Hoc igitur anno adoptant, & Cæsares faciunt Diocletianus quidem Galerium Maximianum, hominem in Dacia haud longe a Sardica natum, cui Valeriam filiam collocat; Maximianus vero Flavium Constantium, Constantini magni patrem, Claudii Aug. ex Claudia Crispi ejus fratris filia nepotem. Huic Maximianus Maximianam Theodoram privignam suam, conjugem dat. Ambo, quas prius habebant, uxores dimittere coacti. Confestim Diocletianus in Ægyptum adversus Achilleum abit. Idem Galerio genero suo dat limites Danubii defendendos. Maximianus Treveros concedit, ut scilicet ad Alamannos, si trans Rhenum in Gallias irrumperent, reprimendos, & ad opem suis si opus esset ferendam esset paratior. Generum vero suum Constantium, Gesoriacum (Bononiam hodie dicimus) mittit. Illuc Constantius relicto apud Diocletianum filio Constantino magno accurrit. Urbem a præsidiariis Carausii militibus & validissima classe defensam, incredibili celeritate occupat, inde, si præsto fuissent naves, consecuturus hostem in Britanniam. Interim Bataviam a Francis, Frisiis, & Chamavis Carausii fœderatis ibi grassantibus liberat. *Pan. 2. n. 11. Pan. 5. n. 6 Pan. 6. n. 4. Pan. 7. n. 5.*

An. V.C. 1045 Chr. 292. Dioclet. imp. 9. ætat. 44 Maxim. imp. 8. ætat. 42.

Imperatores Constantio & Galerio Cæsaribus Tribunitiam potestatem conferunt. Maximianus Rheno insistit, ut Francos & Alamannos contineat, interea dum Constantius cum classe in Britanniam appellere nititur. At repentina tempestate repulsus fœdus cum Carausio inire, Britanniarumque imperium ei remittere necesse habuit. *Eutrop.*

An. V.C. 1046. Chr. 293. Dioclet. imp. 10. æt. 45 Maxim. imp. 9 ætat. 43.

Diocletianus V. Maximianus IV. Consulatum ineunt. Illum trophæa Persica usque eo amentiæ adegerunt, ut Caligulæ & Domitiani exemplo adorari se tanquam deum vellet: ad cujus nominis majestatem aut conciliandam, aut tuendam, non modo vesti, sed & calceis ipsis gemmas pretiosissimas inserebat. Interim Carausio per Alectũ summum sub eo rerum administrum occiso, adversus hunc Romana classis apparatur.

An. V.C. 1047. Chr. 294. Dioclet. imp. 11. æt 46. Maxim. 10. ætat. 44.

Diocletianus adversus Bastarnas, Carpos, & Sarmatas rebelles, Galerium, qui hoc anno cum Constantio Chloro gerebat consulatum, mittit. Defuncta autem ejus uxore Valeria, Galerio cum imperator Susannam Gabinii affinis sui filiam conjugem dare vellet; illa Christiana gentilis hominis nuptias recusans in paternis ædibus cæditur. Ac duobus post annis Gabinius una cum Caio Pontifice uterino fratre propter Christianam pariter religionem Diocletiani jussu interfectus est. Kal. Maii.

An. V.C 1048 Chr. 295. Dioclet. imp. 12. æt. 47. Maxim. imp 11 ætat. 45.

Diocletianus morte afficit Serenam conjugem Christianam, Valeriæ & Eutropiæ matrem: quarum hæc Herculio, illa Galerio nupserat. Quod spectat ad res bellicas, *Carporum natio*, inquit Idatius, *translata omnis in Romanum solum, cuius fere pars iam tum erat ab Aureliano cæsa.*

An. V.C 1049. Chr. 296. Dioclet. imp. 13 æt. 48. Maxim imp. 12. ætat. 46.

Diocletianus VI. consul Alexandriam octavo obsidionis mense capit, ibique interfecto seditionis anctore Achilleo, direpta Alexandria, eversisque ejus muris, totam Ægyptum vastat. Busirin & Copton urbes Ægypti primarias funditus eruit, Saracenos Achillei partium faurores puniri jubet. Interim Galerium exercitus a Narseo Persarum rege intercisi reliquias ad se in Mesopotamiam, quo subacta Ægypto diverterat, ægre reducentem, per summum contemptum ne intuitus quidem, aliquot passuum millibus sinit, quamvis purpuratus ipse esset, ante suum carpentum peditem gregarii instar militis currere. *Ex Eutrop.* Maximianus vero a Rheni limitibus, quos toto Britannici belli tempore contra Francos & Alamannos strenue defenderat in Africam transire cogitat, Africanum bellum non amplius per duces suos, sed per se ipse gesturus. Igitur paucis post mensibus Quinque gentanas nationes in Africa grassantes profligat, & seditionis architectum Julianum interficit. Mauros vincit, quare sic illum compellat Mamertinus, *Tu ferocissimos Mauritaniæ populos inaccessis montium iugis & naturali munitione fidentes expugnasti, cepisti, transtulisti*, nempe in Romanas provincias, quas excolerent. *Pan. 6 n. 8.* Interea cum Alamanni Maximianum procul a suis finibus viderent Africano bello intentum, Rhenum glacie concretum transgressi in Gallias hostiliter irruunt. Quo nuncio commotus Constantius obviam iis procedit cum exercitu, ac primum infelici exitu pugnat vulneraturque, mox redintegrata pugna ad Lingonas LX. Alamannorum millia cædit, Vindonissam hostium strage complet, reliquos in Baravia quo fugerant, captos ad deditionem compellit.

An. V.C. 1050. Chr. 297. Diocl. imp. 14 ætat. 49 Maxim. imp. 13. ætat. 47.

Maximiano V. consule, Diocletianus Galerium II. consulem, e Perside, ubi profligato Narseo amissi anno superiore exercitus probrum eluerat, revertentem, honorifice in Mesopotamia excipit. Hac autem Galerii victoria quinque provinciæ recuperatæ sunt, imperiique limites ad Tigrim usque extensi. *Eutrop.* Diocletianus Nicomediam & Maximianus in Gallias revertuntur.

An. V.C. 1051. Chr. 298. Dioclet. imp. 15. ætat. 50 Maxim. imp. 14. ætat 48.

Imperatores devictis tandem cunctis hostibus, & pacato orbe terrarum, Romam regressi, dilatum hactenus propter varia quibus impediebantur bella triumphum agunt ingenti ferculorum pompa, antecedentibus currum, Narsei conjuge, sororibus, liberis, & omnibus Parthorum spoliis.

An. V.C. 1052 Chr. 299. Dioclet. imp. 16. æt. 51. Maxim. imp. 15. ætat. 49.

Diocletiano VII. & Maximiano VI.

Coss. victi sunt Marcomanni. *Idat.* Thermæ Romæ Diocletianæ factæ, & Maximianæ Carthagine. *Euseb. in Chron. Ausòn. in carmine de claris urbibus. Scaliger in Euseb. ex veteri lapide.* Idem Maximianus Palatium Aquileiæ, & amphitheatrum Veronæ extruit.

An. V. C. 1055. Chr. 302. Diocl. imp. 19. ætat. 54 Maxim. imp. 18. ætat 52.

Gravissima persecutio in Christianos cœpta est, quæ decima fuit.

An. V. C. 1056. Chr. 303 Dioclet. imp. 20. ætat. 55 Maxim. imp. 19 ætat. 53.

Diocletianus VIII. & Maximianus VII. consulatum gerunt.

An V. C. 1057 Chr 304. Dioclet. imp. 21 æt. 56. Maxim. imp. 20. ætat. 54.

Constantinum quoque Cæsarem factum esse addit *Victoris epitome*, haud dubie a Constantio patre Galerius Constantinum absque suspicione crudelitatis e medio sublatum volens, in expeditione adversus Sarmatas variis periculis obiecit, ut *ex Valesii Anonymo* fusius dicetur in Constantini vita. Interim ita Constantium inter & Galerium, Romanum imperium divisum est, ut Galerius Illyricum, Asiam & orientem obtineret, Constantio vero Gallia, Italia, Africa obtingeret. At Constantius Galliis contentus Africam & Italiam remisit Galerio, qui tot regionibus administrandis cum par esse non posset, Severum illico Italiæ, Maximinum præfecit Orienti, ipse Illyricum sibi retinuit *Quod Constantinus*, ut ait Victor, *Cæsar quoque effectus*, haud dubie a Constantio, & *a Galerio religionis specie ad vicem obsidis detentus*, ut in eius locum Severus intruderetur, *tolerare nequiens*, ad Constantium in Britanniam confugit; Eboracumque pervenit, VIII. Kal. Augusti anni Chr. 306 ubi eodem die eius pater e vivis excesserat. *Idatius.* Ante tamen successor a patre designatus fuerat, *Zozimus.* cunctis, qui aderant, annuentibus, ac præcipue Eroco Alamannorum rege auxilii gratia Constantium comitato, inquiunt *Victor & Zozimus* Addit *Eumenius* exercitus suffragationem accessisse At ille nihilominus Cæsaris appellatione contentus Augusti nomen recusavit

Diocletianus IX. Maximianus VIII. consules, purpuram ponunt Kal. Aprilis; ille Nicomediæ, hic Mediolani, in templo Jovis Capitolini. Ille ex imperii fortasse tædio, aut adversæ fortunæ metu: hic, ut Diocletiano, quem huc usque tanquam parentem coluerat, obsequeretur: uterque ex desperatione Christianæ religionis abolendæ: hic in Lucaniam, ille Salonas concessit. Simul vero Constantius, & Galerius Augusti nuncupantur, Cæsares fiunt Severus & Maximinus, vel a Diocletiano aut Maximiano, ut ait *Idatius*: vel a Galerio, ut contendit *Eutropius*.

An. V. C. 1060. Chr. 307 Constantini 2.

Maximianus IX. Consul, qui simul cum imperio nunquam imperandi cupiditatem deposuerat, ubi Maxentium (quem alii Maximiani ex Eutropia Augusta, alii Eutropiæ Aug. ex Eutropio Syro priore marito: Victor ab Eutropia suppositum tradit) mortuo Constantio Romæ acclamatum a prætorianis imperatorem audit, Lucaniæ solitudinem deserit, in speciem ut motus reipublicæ imminentes sedaret; revera autem, ut resumeret imperium. Porro Diocletianum Carnunti in Pannonia, non Carnuti in Celtica, ut vult *Zozimus*, agentem ad idem faciendum per literas cohortatur. At ille: *Utinam*, inquit, *Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta! profecto nunquam istud tentandum iudicaretis.* Qua Diocletiani constantia, Maximianus nihilo magis ab incepto deterritus, Romam contendit ubi insignibus imperatoriis, & Augusti nomine iterum sumpto, Ravennam venit, Severum mala fraude perdit, sed & Maxentium dolo nequicquam adortus, re agnita purpuram denuo exuit, ac non sine vitæ periculo Treveros Galliæ Belgicæ urbem ad Constantinum sub specie officii moliturus ei quoque insidias confugit. Ab eo humanissime excipitur: Pro quibus officiis Maximianus Faustam filiam ei dat in coniugem, cum Augusti nomine, quod præ modestia ut diximus huc usque recusarat.

An. V. C. 1061. Ch 308 Constantini 3.

Maximianum haud deluiit hæc generi sui Constantini humanitas, ac concessus, ut aliqui putant, decimus consulatus. Quin potius commodum recuperandi imperii tempus nactum se esse ratus, dissimulato consilio Treveris discedit, Are-

late resumit purpuram, tum Massiliam fugit, unde navigaturum se sperans in Italiam ad Maxentium, ibi oppressus interiit fractis laqueo cervicibus, *Epit. Victoris*, si Eusebio fides est, se ipse strangulavit, *lib.* 8. *c.* 29. Obiit anno ætatis sexagesimo. *Victor*.

An. V. C. 1069. *Chr.* 316. *Constantini* 11.

Diocletianus obit III. nonas Decemb. *in villa sua Spalato haud procul Salonis*, inquit Zozimus vel ut alii legunt *Salonæ in villa sua palatio*. De ejus obitu variæ sunt auctorum sententiæ. *Morte consumptus est*, inquit Victor, *& satis patuit per formidinem voluntaria Quippe cum a Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam quo minus interesse valeret, excusavisset: rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse, ac Maximiano favere, suspectans necem dedecorosam, venenum hausisse dicitur*. Alii suæ mentis impotem contabuisse dicunt. Ejusque palatium ictu fulminis absumptum fuisse, *Euseb. hist. l.* 8. Alii senatus jussu strangulatum, *Zonaras*. Alii corpore putrefacto, &, ut addit Cedrenus, lingua vermibus scaturiente obiisse. Quod vereor ne in osotem Christianæ religionis imperatorem iracunde nimis dictum sit. Certe *contigit ei quod nulli post natos homines, ut cum privatus obisset, inter divos referretur*. Eutrop. Imperavit annis non 25. ut ait vulgaris epitome Victoris, sed 20 tantum, ut ait Victor Schotti, ceterique consentiunt. Vixit annos 68. inquit Victor. Sed quoniam Maximianus sexto ante Diocletianum anno, ætatis vero sexagesimo obiit, atque ita Diocletianus non nisi duobus annis Maximiani anteibat ætatem, aliquam objicere difficultatem potest locus Mamertini in utriusque imperatoris Genethliaco, ubi ambos alloquens: *Quæ* (similitudo) *ne etiam intervallum vestræ vincit ætatis, & seniorem juniremque charitate mutua reddit æquales: ut jam illud falso dictum sit, non delectare societatem rerum nisi inter pares annos. Intelligimus enim, sacratissimi Principes, geminum vobis, quamvis dispares sitis ætatibus, inesse consensum, &c.* n. 7. Hinc enim colligi posse videtur majus inter utriusque ætatem fuisse quam duorum annorum intervallum. Quapropter Baronius cum ex Victore Diocletianum vixisse annos 68. in contextu scripsisset, ad oram libri legit 78. Totidem annos ei attribuunt Pomponius Lætus & Joa. Bap. Egnatius, quibus ego etsi facile assentior: propter hunc Mamertini locum tamen in hac utriusque vita secutus sum communem sententiam.

Uterque genere fuit ignobili, statuta magna, firmo & procero corpore, vultu feroci: uterque sub Probo & Aureliano scientiam militarem edoctus, pari uterque in Christianos sævitia, sed Diocletianum vel pietas in deos, vel amittendi regni metus crudelem efficiebat; Maximianum sola innata ferocia. Ille *consilii semper alti*, inquit Ammianus *nonnunquam tamen effrentis, sed prudentiæ*. Ut quo tendebat, perveniret vim semper adhibens, hic fraudem si minus vis succederet. Quam ille arrogans, & divinorum honorum cupidus, tam iste effusus in omnem libidinem. Postremum in hoc præter aliquam militiæ peritiam, nihil non agreste & humile, in illius vero vel vitiis inerant quædam magnæ mentis indicia.

DE AUCTORE HUJUS PANEGYRICI, ET QUO TEMPORE, QUOQUE LOCO SIT HABITUS.

Hujus & sequentis Panegyrici auctorem esse cum persuadet styli affinitatus, tum videtur auctor ipse innuere. *Vrum ut me dignatione qua pridem audieras rursus audires*. Pan. 3 n 1 & n. 5. *De victoriis vestris multi summa eloquentia præditi dixerunt, & ego pridem cum mihi auditionis tuæ divinæ dignatio eam copiam tribuit, quantum potui prædicavi*. Accedit Sigonii, Livineii & Puteani ita existimantium auctoritas. Hunc autem auctorem esse Mamertinum indicio est Panegyrici titulus. Ac Mamertinum alium

fuisse oportet ab eo, qui post septuaginta annos elegantissimo Panegyrico gratias egit Juliano imp. de consulatu. Etsi nominis fortasse similitudo fecit, ut aliqui ex duobus Mamertinis unum fecisse videantur.

Habitus est X I. Kal. Mart. die urbis natali. *Hoc die quo immortalis ortus dominæ gentium civitatis celebratur*, n. 1. anno Christi 292. cum Constantius Bononia capta, purgataque a barbaris Batavia classem, ut est n. 11. & 12. in Britanniam transiturus appararet: cum Diocletianus esset in Oriente, n. 14. præsente Maximiano Aug. *Quanto tandem studio laudari te hic a nobis convenit, qui te præsentem intuemur?* n. 2. Non Romæ. numero enim 13. quanto nunc civitas illa (Romam intelligit!) esset augustior, si vos (*imperatores*) conspiceret. In Gallia: *quoniam hunc optimum principem*(Maximianum) *in Galliis suis retinet ratio reipublicæ*, n. 13. Treveris, ut putat post Sigonium, & Livineium Cl. Puteanus, & vero erat urbs ista imperatorum domicilium, cum in Galliis versabantur.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. Rationem affert cur natali Urbis die potissimum laudari imperatorem oporteat, cujus si non conditor, restitutor certe sit. Quod si tanto honore iis diebus Hercules a Romanis colitur, quod eum de Geryone victorem in Italiam advenisse meminerint, multo magis sibi & Gallis ceteris laudandum esse Maximianum, quem compressa Bagaudarum seditione in Gallia præsentem intueatur. Primum dubitat quid in eo laudare maxime debeat, utrum ejus in patriam merita? an genus, nomen ve ductum ab Hercule? an traductam in castris adolescentiam? an demum ejus victorias? Hac ita prætermittit, ut laudet singula. DISTRIBUTIO *videtur esse.* I. *Quid, ante imperium.* II. *Quid in imperio gesserit. Priorem partem perstringit tantum, in altera commoratur. Adoptatus a Domitiano in summis reip. angustiis velut Hercules Atlanti opem ferre non recusat*, n. 3. *Rusticanorum factionem, quibus Bagaudarum nomen, ducibus Æliano, & Amando excitatam comprimit*, n. 4. *Vixdum sopito illo bello Burgundiones, & Alamannos excidium Galliæ minitantes, ita obsidet ut præ multitudine fame & peste conficiantur. Chaibonas, atque Erulos irrumpentes reprimit primum, tum eorum fines ingressus summa internecione delet*, n. 5. *simul adoptatur, simul fit Cæsar, Consul, simul adversus Bagaudas properat: unde redux incredibili populorum concursu & letitia Treveris excipitur*, n. 6. *Quantam securitatem hac victoria Galliis attulerit*, n. 7. *Maximianus e Germanico bello victor, Diocletianus e Persico Mediolanum conveniunt; de bello Ægyptiaco & Africano, ac de Cæsaribus creandis deliberaturi*, n. 9. *Maximianus suum Genebo regnum restituit, Esatech regem constituit, dum Diocletianus in oriente Narseum Persarum regem ad deditionem compellit*, n. 10. *De concordia utriusque imperatoris. De expeditione maritima, quam Maximianus Constantio Cæsari genero suo adversus Carausium commiserat. Ex felicibus hujus belli initiis bonum ejus exitus omen ducit*, n. 11. IN FINE *Romam compellat, quam feliciorem esse dicit sub Domitiano & Maximiano, quam sub Remo & Romulo. Eandem addit augustiorem futuram & natales suos celebraturam multo jucundius, si horum conspectu frueretur*, n. 13. *Hanc rogat ne Treverensi Urbi illos invideat; aut si triumphantes imperatores brevi in sinu acceptura sit, Diocletianum ocyus Orienti, Maximianum Galliis reddat*, n. 14.

CLAUDII MAMERTINI PANEGYRICUS

MAXIMIANO AUGUSTO DICTUS.

I. CUm omnibus festis diebus, sacratissime Imperator debet honor vester[a] divinis rebus æquari, tum præcipue celeberrimo isto, & imperantibus vobis lætissimo die veneratio numinis tui cum solenni sacræ [1] Urbis religione jungenda est. Verum est enim profecto,
5 quod de origine illius civitatis accepimus, primam in ea sedem numinis vestri, sanctum illud venerandumque palatium, [2] regem advenam condidisse. Neque enim fabula est de licentia poetarum, nec opinio de fama veterum seculorum, sed manifesta res & probata, sicut [3] hodieque testatur Herculis a a maxima, & Herculei sacri custos[4] familia Pinaria,[5] prin-
10 cipem illum tui generis ac nominis Palantea mœnia[6] addidisse victorem, &

INTERPRETATIO.

a *Deorum honoribus par esse.*

NOTÆ.

1. URbis religione &c.] Diem natalem non hominum tantum, & deorum, sed & urbium, coloniarum, imperii, adoptionis, reditus, navigationis, ac vindemiæ olim celebrari solitum, ex variis veterum locis notat Lindebrogius in Censorini librum de die natali. Maxima autem cum religione dies Urbis natalis celebrabatur xi Kal. Maii, quo die Romulus Urbem fundavit. In cujus rei memoriam instituta sunt *Palilia*, sic dicta a Pale Dea, cui eo die feriæ fiebant, seu *Parilia* a partu Iliæ. *Ovid. Fastorum l.* 4. 718. *Plutarchus in Romulo. Plin. l.* 18. *c.* 26.

2. *Regem advenam &c.*] Evandrum Mercurii, & Carmentis filium, Arcadiæ regem, qui cum patrem forte interfecisset, avito regno pulsus, suadente matre, quæ vates erat, in Italiam venit, pulsisque inde Aboriginibus, ea loca tenuit ubi postea Roma condita est, parvumque oppidum in Palatino monte extruxit *Pallanteum* dictum vel a *Pallante* proavo, vel a *Palantio* urbe Arcadica unde profectus erat, ut mavult *Dionys. Halic.* Videri potest Virgilius. *Æneid. l.* 8. *v.* 130.

3. *Hodieque.*] Legunt alii *hodie quoque.*

4. *Familia Pinaria.*] Respexit ad illud Virgil. l. 8. 271. *Primusque Potitius auctor, & domus Herculei custos Pinaria sacri.* Pinarius, & Potitius duo Arcadiæ senes fuere, quibus quomodo coli vellet, ostendit Hercules, scilicet ut mane, & vesperi sibi sacrificaretur. Igitur perfecto matutino sacrificio, cum sub solis occasum sacra essent pro more instauranda; Potitius prior advenit, Pinarius vero extis jam comesis. Quamobrem ei iratus Hercules statuit ut Pinarii ministrorum more cibos non attingerent, interea dum Potitii epularentur. Unde & Pinarii dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης id est, a fame; Potitii vero, quasi potiti extis. Vide libellum *de origine gentis Romanæ* ab Andræa Schotto Victori attributum.

5. *Principem illum tui generis.*] Ut Maximianus Herculius dicebatur; ideo hujus, & sequentis Panegyrici auctor Mamertinus perpetuam Herculem inter & Maximianum instituit comparationem.

6. *Addidisse.*] Lege *adiisse*, ut restituunt Livineius, & Bongarsius.

parva licet tunc regia, summa tamen religione susceptum, futuræ majestatis dedisse primordia : ut esse posset domus Cæsarum, quæ Herculis fuisset hospitium. Jure igitur hoc die, quo immortalis ortus [7] dominæ gentium civitatis vestra pietate celebratur, tibi potissimum, Imperator invicte, laudes canimus, & gratias agimus, quem similitudo ipsa stirpis 5 tuæ, ac vis tacita naturæ ad honorandum natalem Romæ diem tam liberalem facit, ut Urbem illam sic colas conditam, quasi ipse condideris. Re vera enim, sacratissime Imperator, merito quivis te, [8] tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores : estis enim, quod est proximum, restitutores : [9] & sit licet hic illi Urbi natalis dies, [10] quod pertinet ad 10 originem populi Romani; vestri imperii primi dies, sunt principes ad salutem.

II. Quare si nunc Romæ omnes magistratus, & pontifices, & sacerdotes, juxta [1] parentes Urbis, & statores deos Herculis templa venerantur, quia partam aliquando ex victoria prædam, [2] a flumine Ibero, & 15 conscio occidui solis oceano, ad [3] pabula Tyrrhena compulerit, & in Palatino jugo venturo tibi reliquerit vestigia ; quanto tandem studio nos hic convenit, qui [4] te præsentem intuemur deum, toto quidem orbe victorem, sed nunc quidem maxime in eadem Occidentis plaga non pastorem trino capite deformem, sed [5] prodigium multo tetrius opprimentem, 20

NOTÆ.

7. *Dominæ gentium.*] Romæ Vide Panegyricum sequentem n. 12. ubi multa in hanc rem congeremus.

8. *Tuumque fratrem.*] Diocletianum puta, quem hujus & sequentis Panegyrici auctor Maximiani fratrem semper appellat, sive quod ut idem ait n. 8. Romanum imperium ambo fraterna concordia regerent; seu quod virtutibus fratres essent.

9. *Et sit licet.*] Locus hic objecit errorem chronologis plerisque, & annalium historiarumque scriptoribus, qui inde collegerunt, Diocletianum, & Maximianum Palilibus, id est, XI. Kal. Maias, imperium auspicatos esse; ita ut idem Urbi, qui & illis imperii fuerit natalis. At merito Petavius l. 11. de doctrina temporum c. 30. negat ullam iis in verbis literam esse, qua probari id possit. Imo ibidem ait dies illos constitui, & κατ' ἀντίθεσιν opponi

10. *Quod pertinet.*] Bertinensem apographum sequor, in aliis est, *quod pertineat*, id est, quantum pertinet : sed expungendum illud penitus Gruterus putat, ut quod plus obscuritatis afferat orationi, quam lucis.

1. *Parentes Urbis,*] Martem, ideo parentem Urbis dictum, quia Remi & Romuli pater fuit. Hinc Virgil. Æneid. 6. 872. Romam appellat, *Mavortis urbem* : & Æneid 1. 281. *Mavortia mœnia.* *Statores deos,* id est, Jovem : ita dictum quod Romanos a Sabinis in fugam versos stiterit, atque confirmarit : in cujus rei memoriam Romulus in eo ipso loco, templum erexit *Statori Jovi.* Livius l. 1.

2. *A flumine Ibero.*] Tangit insignem Herculis de Geryone victoriam, de qua passim apud poetas omnes. In primis Æneid. l. 7. 662. & 8. 202. *Geryon* autem, seu *Geryones*, seu *Geryoneus*, triplici enim modo effertur, rex fuit Hispaniæ, cui tria ideo corpora attribuerunt poetæ; seu quod tribus insulis Hispaniæ adjacentibus imperaret, Baleari utrique, & Ebusi; seu quod cum duobus suis fratribus ita conjuncte viveret, ut unum veluti corpus efficere viderentur. Iberum flumen l'*Ebre* in Hispania apud Cantabros oriens.

3. *Pabula Thyrrena.*] Id est, in Etruriam.

4. *Te præsentem.*] Igitur coram Maximiano dicta est hæc oratio.

5. *Prodigium multo tetrius.*] Seditionem, quam rusticanorum factio, cui *Bagaudarum*

quidquid spiritus & vocis habemus, omne id in laudibus tuis non occupare modo, sed, si res poscat, absumere? Unde igitur ordiar? Commemorabo nimirum [6] patriæ tuæ in rempublicam merita? Quis enim dubitat, quin multis jam seculis, ex quo vires illius ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem sit gentium domina gloriæ vetustate, sed Pannonia virtute? An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam [7] nominis successione testaris? An quemadmodum educatus institutusque sis, prædicabo in illo limite, in illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuæ juventutis, & [8] armorum sonitus tuis vagitibus obstrepentes? Finguntur hæc de Jove, sed de te vera sunt, Imperator. An tuas res gestas enumerare conabor, [a] quæ te prima signa imperatoriis auspiciis inaugurarint, quæ castra dominum habitura susceperint, quæ bella deduxerint, quæ victoriæ auxerint? Ibo scilicet vestigiis virtutis tuæ colligentis per totum [9] Istri limitem, perque omnem, qua tendit [10] Euphratem, & [11] ripas peragrabo Rheni, & litus oceani? Sed qui velit omnia ista complecti, secula sibi optare debet, & innumerabiles annos; & quantam tu mereris ætatem.

III. Faciam igitur, compendio quidem orationis meæ, sed damno voluntatis, quod huic tempori maxime congruit; omittam cetera, & potissimum illud arripiam quod multis fortasse mirum videbitur, & tamen re ipsa verissimum est. Te cum ad restituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus, plus tribuisse beneficii, quam acceperis. Neque enim specie tenus ac nomine, fortuna imperii consideranda est. [1] Trabeæ

INTERPRETATIO.

a *Quibus copiis regendis bellici imperii exercendi initium feceris? quibus bellis interfueris?*

NOTÆ.

nomen, in Gallia ducibus L. Pomponio Æliano & Salonino Amando excitarat.

6. *Patria tua*] Pannoniæ, si Aurelio Victori ceterisque post illum scriptoribus credimus. De Pannonia diximus in Trajani paneg. n. 8. not. 5.

7. *Nominis.*] Herculii.

8. *Inter armorum sonitus*] Ut olim Jupiter in monte Ida inter Corybantum sonitus, tumultusque educatus est: sic Mamertinus ait Maximianum in Pannonia, quæ Romani imperii limes, erat perpetua belli sedes ac, inter armorum fragorem adolevisse. De Corybantum fabula *Virgilius Georg.* 4. 151. & alii passim poetæ.

9. *Istri limitem.*] Ubi contra Alemannos, & Francos pugnarat. De Danubio, maximo Europæ fluvio, qui, ubi Illyricum alluit, *Ister* appellatur; supra dictum est in Trajani panegyrico n. 8. not. 5.

10. *Euphratem.*] Ubi adversus Persas ad Syriam Romani imperii tum temporis provinciam tutandam decertavit. De Euphrate Mesopotamiæ, fluvio vide caput sequens not. 6.

11. *Ripas Rheni.*] Ad quas perpetua erant Romanos inter Germanosque bella.

1. *Trabea*] Trabea vestis genus est. Triplex autem fuit. Alia deorum propria, quæ ex purpura tantum: alia regum, aut consulum, quæ purpuræ aliquid albi habebat admixtum: Tertia demum Augurum, quæ ex purpura & cocco Virgil. Æneid. 7. 182. *Ipse Quirinali Lituo, parvaque sedebat succinctus Trabea*, & 612.

vestræ

vestræ triumphales, & [1] fasces consulares, & sellæ curules, & hæc obsequiorum stipatio & fulgor, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima quidem & augustissima; sed longe illa majora sunt, quæ tu [a] impartito tibi imperio [b] [3] vice gratiæ retulisti: admittere in animum tantæ reipublicæ curam, & totius orbis fata suscipere, & oblitum quodammodo sui gentibus vivere; & in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes & maria despicias, vicissimque oculis ac mente collustres, ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui justitiam vestram judices æmulentur, qui virtutis vestræ gloriam duces servent; accipere innumerabiles undique nuncios, totidem mandata dimittere; de tot urbibus & nationibus & provinciis cogitare, noctes omnes diesque [4] perpeti sollicitudine pro omnium salute transigere.

IV. Hæc omnia cum a fratre optimo oblata susceperis, tu fecisti fortiter, ille sapienter. Neque enim cum reipublicæ navem secundus a puppi flatus impelleret, salutarem manum gubernaculis addidisti; sed cum ad restituendam eam [1] post priorum temporum labem divinum modo, [2] ac ne id quidem unicum, sufficeret auxilium: præcipitanti Romano nomini [a] juxta principem subiisti; eadem scilicet auxilii opportunitate, qua [3] tuus Hercules Jovem vestrum quondam Terrigenarum bello laborantem

INTERPRETATIO.

a *Ascitus in partem imperii.*
b *Gratitudinis causa.*

a *Una cum principe subvenisti.*

NOTÆ.

Ipse Quirinali trabea cinctuque Sabino insignis. In funebri pompa trabeati erant equites. Ita in Germanici funere describuntur apud Tacitum Annal. l. 3. c. 2. *Trabea* ita dicta est quod diversi coloris fasciis, & quasi virgis instar trabium transcurrentibus distingueretur.

2. *Fasces.*] Habes hic præcipua imperatoriæ & consularis dignitatis ornamenta, trabeam, fasces, sellam curulem, stipatores, bis sex radios, quibus caput cinctus rex Latinus describitur Æneid. 12. 163. qualesque in nonnullis numismatis, imprimis in Probi & Maximiani numo videntur.

3. *Vice gratiæ.*] Ita restitui ex Viennensi & Bernniensi codicibus, atque ita legitur in editione Lugdunensi. In aliis editionibus est *mera gratia.* Legerem lubens *vice grata*, si accederet alicujus codicis auctoritas.

4. *Perpeti sollicitudine.*] Id est, perpetua. Plaut. in Amphitr. *Ibi cenavi, atque ibi quievi in navi nocte perpeti.*

1. *Post priorum temporum labem.*] Id est, post compressam Bagaudarum factionem.

2. *Ac ne id quidem unicum.*] Cum præter te in societatem imperii assumptum, duo Cæsares, nempe Galerius Armentarius, & Constantius Chlorus fuere ad pacandum imperium adoptati.

3. *Tuus Hercules.*] Constat plures fuisse Hercules. *Cicero l. 3. de nat. Deorum* sex hoc nomine appellatos commemorat, Herodorus 12. recenset, Varro etiam 43. Etsi autem variis temporibus floruerunt, eorum tamen omnium præclara facta attribuuntur Thebano Herculi, Alcmenæ & Jovis filio; quo sensu *apud Macrobium Saturnal.* 1. *c.* 20. Gigantes interemisse dicitur, quamvis ii longo ante tempore perierant, quam Herculis avia nata esset. Hoc modo intelligendus est Virgilius Æneid. 8. 298 *Nec te ulla facies, non terruit ipse Typhæus, arduus, arma tenens.* Et illud

magna victoriæ parte juvit, probavitque [4] non magis a diis accepisse cœlum quam eisdem reddidisse. An non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris fuit, quod tua, Cæsar, nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari
5 agricolæ appetiverunt: cum arator peditem, [5] cum pastor equitem, cum hostem barbarum suorum [b] cultorum rusticus vastator imitatus est? Quod ego cursim prætereo: video enim te, qua pietate es, oblivionem illius victoriæ malle quam gloriam.

V. Quod vero statim vixdum misero illo furore sopito, cum omnes
10 barbaræ nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum [1] Burgundiones & [2] Alamanni; sed etiam [3] Chaibones, [4] Erulique, viribus primi barbarorum, locis ultimi præcipiti impetu in has provincias irruissent, quis deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses? Tu enim divinæ providentiæ, Imperator, consilio prius, quam vi bel-
15 lum gerendum ratus, ceteros quidem perduelles, [a] quibus ipsa [5] pestifera multitudo, ire passus es in profundam famem, & ex fame in pestilentiam, mox [6] triumphi ornamenta capienda militum manibus usurus; Chaibones tamen [7] Erulosque non dignatus pari astu perdere; atque ut interim divina virtus tua exercitatione solita non careret, aperto Marte, atque uno
20 impetu perculisti, non universo ad id prælium usus exercitu, sed paucis cohortibus. Quid enim opus erat multitudine, cum ipse pugnares, ipse omnibus locis totaque acie dimicares? [7] ipsi hosti undique, & qua resisteret,

INTERPRETATIO.

b *Agrorum.* a *Quibus perniciosa* erat *sua multitudo.*

NOTÆ.

Horatii.l.2. od.12. *Domitosque Herculea manu, telluris juvenes, unde periculum fulgens, contremuit domus Saturni veteris.*

4. *Non magis.*] Fortasse *se non magis.*

5. *Arator peditem.*] In vulgaribus editionibus est *auctor equitem.* Quod Gruterus & Puteanus in editione sua juxta veteres codices expunxerunt. Hoc autem in loco scite admodum Bagaudas cavillatur, qui cum rusticani essent, virorum agrestium cultum militari habitu commutarant. Quomodo vero a Maximiano compressi sint, referunt *Eutropius, & Victor.*

1. *Burgundiones.*] Seu Burgundi, populi Germaniæ juxta Flumen Oderam, qui primum Chattorum, deinde Alamannorum agros, demum Gallias occupaverunt.

2. *Alamanni.*] Populi Germaniæ, inter Rhænum, Mœnum ac Danubium amnes, Hermundurorumque confinium incolentes.

3. *Chaibones.*] Quos Caviones, Caybones, Cayvones, Caviones vel etiam Chabiones aliqui appellant. Populi sunt Germaniæ, ad Albim fluvium Thuringis finitimi; ubi nunc Daneberga & Lavemburgum oppida sunt, *Cluver.*

4. *Erulique.*] Seu *Heruli* populi Germaniæ olim regionem incolentes ad septentrionem mari Codano, ad Orientem Vistula definitam. Nunc parti Orientali Pomeraniæ, & Occidentali Prussiæ respondet.

5. *Pestifera multitudo.*] Fortasse addita vocula legendum est, *pestifera erat multitudo*, ut suspicatur Livineius.

6 *Triumphi ornamenta.*] Alii addunt *ad*, quod mea quidem sententia melius; ut legatur, *mox ad triumphi ornamenta capienda.*

7. *Ipsi hosti.*] Fortasse *ipse*, ut volunt nonnulli.

& qua cederet, [8] & qua fugeret, occurreres? erroremque adversariis pariter ac tuis faceres? cum neque te barbari unum putarent, neque milites [b] non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent? Toto quippe prælio ferebare; non aliter quam [9] magnus amnis solet, hybernis imbribus auctus & nivibus, passim fluere qua campus est. 5 Ita cuncti Chaibones, Erulique cuncti, tanta internecione cæsi interfectique sunt, ut extinctos eos relictis domi conjugibus ac matribus non profugus aliquis e prælio, sed victoriæ tuæ gloria nunciaret.

VI. Transeo [1] innumerabiles tuas tota Gallia pugnas atque victorias. Quæ enim tot tantisque rebus sufficiat oratio? Illum tamen primum [a] con- 10 sulatus tui auspicalem diem, tacitus præterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis; [2] unoque sol curriculo suo, eoque brevissimo, & officia te consulis inchoantem videret, & imperatoris implentem. Vidimus te, Cæsar, eo- 15 dem die pro republica & vota suscipere, & [3] conjuncta debere. Quod enim optaveras in futurum, fecisti continuo transactum: ut mihi ipsa deorum auxilia quæ precatus eras prævenisse videaris, & quidquid illi promiserant ante fecisse. Vidimus te, Cæsar, eodem die & in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia deum dixerim, 20 ne Jupiter quidem ipse tanta celeritate faciem cœli sui variat, quam facile tu, Imperator, togam prætextam sumpto thorace mutasti, hastam posito [4] scipione rapuisti, a tribunali temet [5] in campum, a curuli in equum transtulisti, & rursus ex acie cum triumpho rediisti: [6] totamque hanc urbem,

INTERPRETATIO.

b *Non dico ad stipandum* te *& comitandum.* a *Quo consulatum tuum iniisti.*

NOTÆ.

8. *Et qua fugeret.*] Expungendas putat has voces Livineius, ut quæ ab imperito librario, ad interpretandum quod præcessit, nempe *qua cederet*, additæ sint, ac postmodum ex glossemate in contextum delapsæ.

9. *Magnus amnis.*] Tale est illud Horatii. l. 4. od. 2. *Monte decurrens, velut amnis imbres quem super notas aluere ripas &c.*

1. *Innumerabiles pugnas.*] Intelligit, ut puto, varios conflictus in uno eodemque bello.

2. *Unoque sol curriculo &c.*] Uno eodemque die consul & imperator factus, in Germaniam profectus est, unde non multo post Mediolanum redux, ut est infra n. 9. spolia Germanica cum Parthicis, quæ Diocletianus retulerat, conjunxit.

3. *Conjuncta debere.*] Alii legunt *conjuncte*, id est simul. Votum suscipere simul & debere dicitur, qui statim post nuncupatum votum, fit illius compos.

4. *Scipione &c.*] Præter prætextam, Tribunal, & curulem sellam. *Cassiod. Variar. l. 5. c. 1.* Inter insignia consularia victorialem scipionem recenset.

5. *In campum.*] Vix Maximianus Treveris, ubi incundi magistratus causa solennia vota concipiebat, audiit Alamannos receptis ex pestilentia viribus Rhenum, ad depopulandas Gallias trajecisse, cum sumptis raptim armis palantes hostes adortus ultra Rhenum eos repulit, confestimque victor Treveros reversus est an. Christi 287.

6. *Totamque hanc urbem.*] Treverensem,

repentina tua in hostes eruptione sollicitam, lætitia & exultatione, [7] & aras flagrantibus, & sacrificiis, & odoribus accensis numini tuo implesti. Ita utroque illius diei supremo tempore bis divina res pari religione celebrata est, Jovi, dum pro futuris vovetur, tibi, dum pro victoria solvitur.

5 VII. Tale igitur auspicium illius anni quid sequebatur nisi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione? qua tu, primus omnium imperatorum, probasti Romani imperii nullum esse terminum, nisi qui [1] tuorum esset armorum. Atqui Rhenum antea videbatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite 10 Romanæ provinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur. [2] Et quis unquam ante vos principes non gratulatus est Gallias illo amne muniri? Quando non cum summo metu nostro Rheni alveum minuit diu serena tempestas? Quando non cum securitate nostra illius diluvia creverunt? Credo, itidem [3] optimam illam fertilemque [4] Syriam velut amplexu suo tegebat 15 [5] Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. Verum hoc [6] Jovis sui more, [7] nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, & majestate vestri nominis consecutus est. Tu autem, Imperator invicte, feras illas indomitasque gentes vastatione, prælüs, cædibus, ferro, ignique domuisti. Herculei generis hoc fatum est, virtuti debere 20 quod vindicat. Exinde igitur soluto animo ac libero sumus. Licet Rhenus arescat, tenuique lapsu vix læves calculos perspicuo vado pellat, nullus inde metus est. Quidquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est.

NOTÆ.

ubi habitam hanc orationem puto.

7. *Et aras.*] Fortasse *aris.* Ita Grutero & Acidalio placet. Sensus erit: aræ flagrabant victimis, aromatibus, & incensis cereis, ac tædis. Quia gratulationis specie, interdum exceptos imperatores fuisse, notant *Lipsius & Casaubonus.*

1. *Tuorum armorum.*] Gruterus: *ardorum,* Langius, *laborum legit.* Ego Danielis emendationem secutus sum, cum in vulgaribus editionibus esset *tuorum arborum.*

2. *Et quis.*] Forte *ecquis*: ut ad oram marginis notat Livineius ex veteri codice.

3. *Optimam.*] Forte *opimam*, ut suspicatur Livineius.

4. *Syriam.*] Ut Gallicas provincias Rhenus a Germanorum incursionibus defendebat, sic Syriam Romanam quoque provinciam contra Persas Euphrates tutabatur, antequam Persæ Diocletiano sponte se dedissent: quod an. Chr. 286. aut 287. contigisse observavi in Diocletiani vita. Syria autem regio inter Euphratem, Arabiam, & mare Mediterraneum.

5. *Euphrates.*] Ex Pariedro, qui apud Strabonem Abus dicitur, ad occidentem excurrit primum, inde ad Austrum flectens majorem Armeniam, a Cappadocia & Armenia minore dirimit, tum Syriam atque Arabiam desertam a Mesopotamia; donec longo flexu ad orientem versus duplici finditur alveo, quorum alter Tigri miscetur, alter per Babylonem in plura divisus incilia, partim in paludes effunditur, partim etiam in Tigrim relabitur. Ante tamen, alium ex se se rursum emittit, qui Babylonem interfluit, denuoque Maarsari junctus per fossam, cui Pallacopa nomen est, derivatur magnaque ex parte in vastas paludes abit.

6. *Jovis sui.*] Ut Maximianum Herculium cum Hercule, sic Diocletianum Jovium, cum Jove perpetuo comparat.

7. *Nutu.*] Alludit ad illud Æneid. 10. 115. *Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.*

VIII. Sic illa quondam Romanæ potentiæ diu æmula & inimica [1] Carthago a P. Scipione devicta est, cum is trajecto in Africam exercitu, Annibalem ab Italiæ vastatione revocavit. Audieras hoc Imperator? an [2] ipse per te divina tua mente prospexeras, ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur, nec prædam modo quam 5 cepissent amitterent, sed ipsi conjuges ac liberos, & parentes suos, & carissima omnia capta mœrerent? Hoc tu sive cognitum secutus es, seu te auctore fecisti, utrumque pulcherrimum est. Neque enim minorem laudem magnarum rerum æmuli, quam ipsi merentur auctores, quin imo, quamvis optimum [3] intentatæ rei consilium, Fortunæ committitur; ite- 10 ratum idem atque repetitum ad certam judicii gloriamque pertinet. Ideoque hoc nunc ambo, sacri Imperatores, ipso estis Scipione potiores; quod & tu Africanum, & [4] te Diocletianus imitatus est.

IX. Ingressus es nuper illam quæ [1] Rhætis est objecta Germaniam; [2] [a] similique virtute Romanum limitem victoria protulit: [a] adeo numini 15 illius simpliciter amanterque quidquid [3] pro his ceteris feceras retulisti, cum [4] ex diversa orbis parte coeuntes invictas dexteras contulistis: adeo fidum fraternumque fuit illud [5] eloquium. In quo [6] nobis mutua præbuistis

INTERPRETATIO.

a *Ita candide & benevole ejus potentiæ attribuisti.*

NOTÆ.

1. *Carthago.*] P. Cornel. Scipio Africanus major an. V. C. 543 ætatis 24. in Hispanias ad necem patris, & patrui ulciscendam, simul ut Asdrubali & Syphaci, se opponeret missus, variis prælis utrumque devicit: Verum, ut Annibalem in Italia interim grassantem a vastatione Italiæ revocaret, an. 549. exercitum in Africam trajecit, ubi Annibale victo conditiones pacis Carthaginiensibus dedit. Urbemque ingressus an. 553. Syphacem in triumpho duxit, qui paulo post in carcere obiit. *Polyb. Florus.*

2. *Ipse.*] Forte *ipsa*, ut suspicatur Livineius.

3. *Intentatæ rei.*] Quæ tentamus primum absque usu & experientia, ea, si bene successerint, fortunæ tribui solent: quæ vero jam facta & felici usu comprobata repetimus, judicio sunt ac prudentiæ adscribenda.

4. *Te Diocletianus.*] Ut enim Maximianus Germanos in ipsorum finibus oppugnavit, sic Diocletianus Persas cis Euphratem primum, tum eosdem trajecto fluvio, in ipsorum oris.

1. *Rhætis.*] De hac Maximiani expeditione diximus in ejus vita ad annum Christi 286. Livineius tamen legi putat oportere *ingressus est*, itaque esse in veteri codice testatur Puteanus: ut id referatur ad Diocletianum, non ad Maximianum. Sed alii omnes secus sentiunt: in aliis editionibus legitur *ingressus es.*

2. *Similique virtute.*] De Diocletiano jam sermo est, qui compulsis ad deditionem Persis, victorias ultra Romanos fines protulerat.

3. *Pro his ceteris.*] Forte *pro hisce terris*, ut ex veteri codice emendat Claud. Puteanus.

4. *Ex diversa orbis parte.*] Diocletianus e Perside victor; Maximianus vero e Germania Mediolanum an. Chr. 290 ad seditionum motus tollendos, item & de Ægyptiaco & Africano bello deliberaturi conveniunt.

5. *Eloquium.*] Id est, colloquium: Idem auctor in paneg. sequenti n. 11. *Quam invicti sedent! quam concorditer eloquuntur!*

6. *Nobis.*] An *vobis*, ut est in Bertiniensi codice, probatque Livineius.

omnium exempla virtutum, atque invicem [b] vos, quod fieri jam posse non videbatur, auxistis : ille tibi ostendendo dona Persica ; tu illi spolia Germanica. Sed neque illum virtutes tuæ bellicæ a liberalitate ; neque illius opes a bellica virtute te revocarunt : ambo nunc estis largissimi, ambo
5 fortissimi : ab hac ipsa vestri similitudine magis magisque concordes, &, quod omni consanguinitate certius est, virtutibus fratres. Sic fit ut vobis tantum imperium sine ulla æmulatione commune sit, neque ullum [8] inter vos discrimen esse patiamini ; sed plane, ut [9] gemini illi reges Lacedæmones Heraclidæ, rempublicam pari sorte teneatis. Quanquam hoc vos
10 meliores & justiores, quod illos mater astu coegit, cum nemini fateretur quem prius edidisset in lucem, pari ætatis auctoritate regnare : vos hoc sponte [10] faciatis, quos in summis rebus æquavit [11] non vultuum similitudo sed morum.

X. [1] Attamen illos, [a] etiam si discrimen sui scire potuissent, minus mirum
15 fuisset exiguam sibi communicasse regionem, quam sæpe uno die impiger viator emensus est. Vos vero, qui imperium non terræ, sed cœli regionibus terminatis, tantam vim, tantam potestatem mutuo vobis impartire, divinæ profecto immortalisque fiduciæ est, quam cupiditas nulla perturbet. Et tamen vides, Imperator, non invenire me ex omni antiquitate quod comparem vobis, nisi Herculeæ gentis exemplum. Nam ille
20 quidem magnus Alexander jam mihi humilis videtur. [2] Indo regi sua regna reddendo, cum tam multi reges, Imperatores, vestri clientes sint ; cum

INTERPRETATIO.

b *Gloriam vestram.* a *Inter se divisisse.*

NOTÆ.

8. *Inter vos.*] Ita sensus exegit, ut juxta veteres codices emendarem, pro *vitæ vos*, qnomodo in vulgaribus editionibus legitur.

9. *Gemini illi Reges.*] Eurystheus, & Procles Aristodemi & Argiæ filii gemelli, Heraclidæ dicti, quod ab Hercule genus ducerent. Hi Peloponneso an. mundi 2881. capta, pulsoque inde Tisamene Lacedæmoniorum rege, & Penthilo Orestis filio, statim ab obitu patris, qui in expeditione illa interiit, ambo regnarunt, simul, quod in incerto esset uter altero prior in lucem exisset. Inde porro duæ regum familiæ fuerunt Eurysthenidarum, qui & Agidæ ab Agide Eurysthenis filio dicti sunt, & Proclidarum qui & Eurypontidæ ab Euryponte Proclis nepote appellati. Eurysthenidæ magis eam ob rem honorati sunt, quod deprehensum subinde sit, prius in lucem editum fuisse Eurysthenem. Ex hac familia 31. reges extitere, ex altera vero 24. tantum numerantur. Videri potest *Pausan. in Lacon.*

10. *Faciatis.*] Lege *facitis*, ut Livineius juxta vetera exemplaria emendat.

11. *Non vultuum similitudo.*] Inspice si lubet utriusque numisma, quod eorum vitæ præfiximus.

1. *Attamen illos.*] Quod si Heraclidæ discernere utcunque potuissent, uter altero prior in lucem prodiisset, haud valde fuisset mirum, si regionem tam exiguam, fratres duo qualis est extrema Peloponnesi pars, tam unanimiter gubernassent. At vos, qui totum terrarum orbem habetis inter vos dividendum &c.

2. *Indo regi.*] Poro Indiæ regi, quem devictum, captumque Alexander restituit in regnum, ejus in maxima clade con-

per te regnum receperit Genobon; Esatech vero munus acceperit. Quid enim ille aliud expetivit ad conspectum [3] cum omni sua gente veniendo, nisi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te Maximiane placasset? Ostendit ille te identidem, ut audio, popularibus suis, & intueri diu jussit, & obsequia discere, cum tibi ipse serviret. Hoc eodem modo [4] rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat, totumque si ingredi ille dignaretur, regnum suum pandit. Offert interim varia miracula, eximiæ pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus, promeretur obsequio.

XI. Vestra hoc concordia facit, invictissimi Principes, ut vobis in tanta æqualitate successuum, [a] etiam fortuna respondeat. Rempublicam enim una mente regitis: neque vobis tanta [1] locorum diversitas obest, quominus etiam velut [2] invictis dexteris gubernetis. Ita quamvis majestatem regiam geminato numine augeatis, utilitatem imperii singularis consentiendo retinetis. Quare si non frustra Græci poetæ hominibus justitiam colentibus repromittunt [3] binos gregum fœtus, & duplices arborum fructus, nunc omnia gentibus universis gemina debentur, quarum vos domini tam sancte justitiam, & concordiam colitis. Tu quidem certe, Imperator, tantum esse in concordia bonum statuis, ut etiam eos qui circa te potissimo funguntur officio, necessitudine tibi & [4] affinitate devinxeris: id pulcherrimum arbitratus, adhærere lateri tuo [b] non timoris obsequia, sed vota pietatis. Quorum ductu proxime, cum felicissimis

INTERPRETATIO.

a *Ut fortuna pares vobis successus impertiat.*

b *Qui non obsequantur præ timore, sed ex officio pietatis tibi* addicti sint.

NOTÆ.

stantiam admiratus. *Diodorus Sicul. l.* 17. *Plutarchus in vita Alexandri. Justin. l.* 12 *Curtius l.* 8. *c.* 14.

3. *Cum omni sua gente*] Utrum cum sua familia? an eum gentis suæ primoribus? Ea de re nullibi quod sciam præterquam in his panegyricis mentio est.

4. *Rex ille.*] Narseus, qui se & regnum Diocletiano dedidit. Vide *victorem Schotti.*

1. *Locorum diversitas.*] Maximianus enim erat Treveris, Diocletianus vero in oriente, ut ex n. 14. manifestum est: *hoc idem Diocletianum oriens rogat.*

2. *Invictis dexteris.*] Forte *junctis.* Ita emendant ad unum omnes, itaque postulat sensus. Et vero pan. 4 n. 5. *Ita non dexteras tantum, sed etiam omnes sensus nostros, mentesque junxisse.* Et pan. 3. n. 12. *Mihi ante oculos pono quotidiana vestra colloquia, conjunctas in omni sermone dexteras.*

3. *Binos gregum fœtus.*] *His*, inquit Hesiodus, *alma quotannis terra tumet, ter fruge nova, ter ponit aristas.* Ejus verba sunt latine reddita.

4. *Affinitate devinxeris.*] Constantium Chlorum mea quidem sententia intelligit, quem anno Christi Cæsarem factum data ei in uxorem Theodora filia privigna, sibi affinitate junxerat. Quo fit ut iis non assentiar qui orationem hanc dictam volunt anno Christi 289. cum Constantius factus sit tantum Cæsar an Chr. 291. & mentio fit de Mediolanensi imperatorum conventu quem ad annum Christi 290. pertinere ostendi in Diocletiani & Maximiani vita.

vestris auspiciis uterentur, [5] lubrica illa fallaxque gens barbarorum ut merebatur affecta est. Vestra hæc [6] Imperator; vestra laus est. A vobis proficiscitur, etiam quod per alios administratur. Ut enim omnia commoda cœlo terraque parta, licet diversorum numinum ope nobis provenire videantur, a summis tamen auctoribus manant, Jove rectore cœli, & Hercule pacatore terrarum; sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quæ aliorum ductu geruntur, [7] Diocletianus facit, tu tribuis effectum. Vestræ inquam fortunæ, vestræ felicitatis est Imperator, quod jam milites vestri [8] ad oceanum pervenere victoria, jam cæsorum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt.

XII. Quid nunc animi habet [1] ille pirata, cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, pene vestros exercitus videat ingressos, oblitosque navium, [a] refugum mare secutos esse qua cederet? Quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? Quo denique pacto effugere pœnas reipublicæ potest? Nisi si [b] haustu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur. [2] Ædificatæ sunt, ornatæque pulcherrimæ classes, cunctis simul amnibus Oceanum petituræ. Neque solum ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repente creverunt. Toto fere anno, Imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut navalia [3] texerentur, ut trabes cæderentur,

INTERPRETATIO.

a *Recessum maris.* b *Hiatu terræ absorbeatur, aut aliqua procella &c.*

NOTÆ.

5. *Lubrica illa* &c.] De Francis Carausii fœderatis loquitur, quos Constantius capta Bononia, cum deficientibus navibus fugientem hostem in Britanniam sequi non posset, ad Rhenum profligavit. Nec mirum videri debet Francos imperii Romani tunc hostes acerrimos, appellari fallaces ab eo, qui Romanos imperatores laudet.

6. *Imperator.*] Forte *Imperatores*, ut sermo sit ad Diocletianum & Maximianum.

7. *Diocletianus facit.*] Id est, faciet: quod ejus videtur esse, qui Jovius dicitur: Tu vero Maximiane vim & efficaciam addis, quod ad Herculium spectat Hercules enim apud poetas vis deorum dicitur.

8. *Ad Oceanum.*] Britannicum, occupata nimirum Bononia, captisque præsidiariis copiis, quas Carausius ad tutandam hanc arcem ibi adversus Romanos collocarat.

1. *Ille pirata.*] Carausius civis Menapiæ, *ait Victor*, non in Hungaria, ut Cambdenus putat, sed apud Menapios in Brabantia, homo vilissimo loco natus, sed præclare multiplici in bello rebus gestis paulatim provectus, in primis in Bagaudica expeditione magnam sub Maximiano laudem consecutus, eam ob rem apparandæ apud Boloniam classi propulsandisque inde Francis & Saxonibus tractum Belgicæ & Armoricæ infestantibus a Maximiano præfectus fuerat. Quo in munere cum alios per fas & nefas opprimeret, alios aut opibus spoliatos, aut accepto aliquo pretio intactos quasi ad eadem latrocinia dimitteret; vixque ullam tantæ prædæ partem aut ad fiscum aut ad ærarium referret; Maximianus factam sibi abeo, quem huic muneri præposuisset injuriam ratus, hunc clam occidi jubet. Quod subodoratus ille abductis, quæ in Gallus erant, legionibus Romanis, conflatoque validissimo exercitu Britannias occupavit. *Victor Eutrop. Orosius.*

2. *Ædificatæ sunt.*] Quas Maximianus Constantio adversus Carausium ituro tradêret.

3. *Texerentur.*] Struerentur. Hinc *textrinum*, locus ubi ædificantur naves.

ut artificum animi vigerent, ne manus torpeſcerent, nullus fere dies imbre fœdatus eſt. Hyems ipſa temperiem Veris imitata eſt. Jam non Septentrioni nos putavimus ſubjacere, ſed quaſi tranſlatis ſideribus, aut terris, meridiani cœli clementiam ſenſimus.[4] Fluvius hic noſter diu pluviarum pabulo carens[a], impatiens erat navium, ſolam navalibus tuis materiam devehebat. Ecce autem ſubito, cum jam deduci[5] liburnas oporteret, tibi uberes fontes terra ſubmiſit, tibi largos imbres Jupiter fudit, tibi totis fluminum alveis Oceanus redundavit. Ita in aquas ſponte ſubeuntes impetum navigia fecerunt, levi modo commota[6] nixu ducentium, quorum ad feliciſſimum illud exordium magis opus erat[7] nautico carmine, quam labore. Facile itaque quivis intelligit, Imperator,[8] quam proſperi te ſucceſſus in re maritima ſecuturi ſint, cum jam ſic tempeſtatum opportunitas obſequatur.

XIII. Felix igitur talibus, Roma, principibus, fas eſt enim ut hoc dicendi munus pium unde cœpimus terminemus: felix inquam, & nunc multo felicior, quam[1] ſub Remo & Romulo tuis. Illi enim, fratres quamvis geminique eſſent, certaverunt tamen uter ſuum tibi nomen imponeret, diverſoſque montes & auſpicia ceperunt: hi vero conſervatores tui, ſit licet nunc tuum tanto maius imperium quanto latius es vetere pomœrio,[2] quidquid homines colunt, nullo circa te livore contendunt. Hi cum primum redeant ad te triumphantes, uno cupiunt invehi curru, ſimul adire Capitolium, ſimul habitare Palatium. Utere quæſo tuorum principum utroque cognomine, cum non cogaris eligere. Licet nunc

INTERPRETATIO.

a *Non poterat ferre naves.*

NOTÆ.

4. *Fluvius hic noſter.*] Moſella, qui Treveros alluit, ubi orationem hanc dictam puto.

5. *Liburnas.*] *Liburna* vel *Liburnica* genus navigii leviſſimi, velociſſimique, ſic a Liburnis populis dictum (quorum regio hodie *Croatia* dicitur) quod illi ad Ionium mare, inſulaſque prædandas hujuſmodi navibus uterentur. Horat. Epod. *Ibis liburnis inter alta navium amice propugnacula.*

6. *Nixu.*] Aut *niſu*, ut eſt in Bertinienſi cod.

7. *Nautico carmine.*] Utrum, ut Claud. Puteano videtur, alludit ad ſolennem quarundam gentium morem, quæ diem illum, quo navigationem auſpicatæ eſſent, velut feſtum quotannis celebrabant? De qua conſuetudine *Apuleius l.* 11. *Metamorph.* & *Veget. l.* 4. *c,* 39. *de re militari.* An potius, ut Grutero placet, ad Celeuſma nauticum, quod in lætitiæ ſignum intendebatur, cum nova claſſis committebatur aquis.

8. *Quam proſperi te ſucceſſus.*] Haud vates fuit, nam Carauſius Conſtantii vires & impetum ita valide ſuſtinuit, ut eum ad fœdus ineundum, ac relinquendam ſibi Britanniam adegerit. *Aurel. Victor.* Unde apud Goltzium, Oeconem, Triſtanum alioſque numorum interpretes extant Carauſii numi in altera parte Pacis imago lauream tenens. Titulus *Pax Auguſti.*

1. *Sub Remo & Romulo tuis.*] Adde *conditoribus*, ſenſus enim id videtur poſtulare: maxime cum mox addat, *hi vero conſervatores tui*, quæ duo oppoſita conſulto videntur.

2. *Quidquid homines colunt.*] Id eſt, to-

simul & [3] Herculea dicaris, & Jovia. O quanto nunc, Imperatores, illa civitas esset augustior, quanto magis hunc [4] natalem suum diem coleret, [5] si vos stipato vestro senatu in illa Capitolini Jovis arce conspiceret! Quæ nunc sine dubio præsentiam vestri sibi fingit, ædes vestrorum numinum
5 frequentando, & [6] identidem, sicut a majoribus institutum est, invocando Statorem Jovem, Herculemque victorem. Hoc enim quondam illi deo cognomen [7] adscripsistis, qui, cum piratas oneraria nave vicisset, ab ipso audivit Hercule per quietem, illius ope victoriam contigisse: adeo, sacratissime Imperator, multis jam seculis inter officia est numinis
10 tui, superare piratas.

XIV. Sed profecto mature ille illucescet dies, cum vos videat Roma victores, & alacrem [a] sub dextera [1] filium. Quem ad honestissimas artes omnibus ingenii bonis natum, felix aliquis præceptor expectat. Cui nullo labore constabit divinam immortalemque progeniem ad
15 studium laudis hortari. Non necesse erit [2] Camillos, & [3] Maximos, &

INTERPRETATIO.

a Vestræ *dextera adhærentem.*

NOTÆ.

tus terrarum orbis. Dubitat Acidalius, an non illud delendum sit.

3. *Herculea dicaris &c.*] His nominibus Romam unquam appellatam esse non memini me legere, præterquam hoc in loco. At Pomp. Lætus & Joan. Bapt. Egnatius ex veteri inscriptione referunt duplicem Viennæ portam fuisse, quarum altera *Jovia*, altera *Herculea* diceretur.

4. *Natalem suum.*] Non hominum tantum, sed & civitatum diem natalem celebrari solitum initio hujus orationis diximus.

5. *Si vos stipato.*] Lege *stipatos* ut post Acidalium juxta veterem codicem emendat Livineius. Hinc autem vide utrumque imperatorem Roma absuisse.

6. *Identidem.*] Forte *& ibidem*, ut est ad oram editionis Frobenianæ.

7. *Adscripsistis.*] Restituendæ sunt voces duæ, quæ librariorum incuria in unam coaluerant: legendumque *ascripsit is* nempe *M. Octavius Herennius*, in prima adolescentia tibicen, ac postquam arti suæ diffisus, instituisset mercaturam, & bene re gesta decimam Herculi profanasset, subinde navigans, & a prædonibus circumventus, cum se ab eorum manibus expedisset, accepit in somnis ab Hercule ejus ope se esse servatum. In cujus beneficii memoriam Octavius impetrato a magistratibus loco, ædem *Herculi victori* inscripsit. *Macrob. Saturn l.* 3. *c.* 6.

1. *Filium*] Maxentium, quem alii verum Maximiani filium, alii privignum appellant, alii suppo tum ab Eutropia Maximiani uxore, quo mariti animum teneret.

2. *Camillos.*] M. Furium Camillum intelligit, qui Faliscos primum vicit, tum cum dictator esset de Veientibus decenni obsidione domitis triumphavit. Is quod albis equis triumphasset & prædam iniquius divisisset die ab Appuleio trib. pleb. dicta, damnatus Ardeam concessit. Donec Gallos, Urbem, ac tantum non Capitolium ingredientes derepente adortus fudit stravitque. *Aurel. Victor.* Quare Romulus alter dictus. Tandem obiit an. V. C. 389. cum esset octogenarius *Livius l.* 7.

3. *Maximos.*] Duo præcipue hujus cognominis fuere. *Fabius Maximus Rullianus*, qui magister equitum a Papyrio Cursore ob Samnitium victoriam pene securi percussus, primum de Apulis, & Lucerinis: iterum de Samnitibus: tertio de Gallis, Umbris, Marsis, atque Tuscis triumphavit.

[4] Curios, & [5] Catones proponere ad imitandum: quin potius vestra illi facta demonstret, vos identidem & semper ostendat, præsentes, & optimos imperatoriæ institutionis auctores. Interim tamen te gentium domina, quoniam hunc [6] optatissimum principem [7] in Galliis suis retinet ratio reipublicæ, quæsumus, si fieri potest, ne huic invideas civitati, cui nunc [a] ille similitudinem majestatis tuæ confert, natalem tuum diem celebrando in ea consuetudine magnificentiæ tibi debitæ. Teque ipsum, Imperator, oramus ut etiam cum vos totius Urbis securitate composita, illa imperii vestri mater acceperit, amplexus ejus arctissimos interdum piis manibus resolvatis: tuque potissimum, credo enim hoc idem [8] Diocletianum Oriens rogat, has provincias tuas frequenter illustres, & profundissima licet pace florentes, adventu numinis tui reddas feliciores. Vides, Imperator, quanta vis sit tuorum in nos cœlestium beneficiorum? Adhuc præsentia tua fruimur, & reditum desideramus.

INTERPRETATIO.

a *Quam nunc magnificentia tibi similem facit Imperator, dum in ea natalem tuum celebrat, qua tu soles pompa* diem illum celebrare.

NOTÆ.

Iterum censor creari noluit, quod existimaret non esse ex usu reip. eosdem censores sæpius fieri. 2. *Q. Fabius Maximus*, qui quinquies consul, semel censor, bis dictator, bis princeps senatus, bis triumphavit: primo quidem consulatu de Liguribus; quinto vero de Pœnis. Is est qui Annibalem Cannensi, Trebiensi, & Thrasimenea clade ferocientem, quem Scipio, Sempronius, & Flaminius vi sistere non potuerant, cunctando fregit. Unde *Cunctator* dictus est. *Aurel. Victor.* Notum illud Ennii: *Unus homo nobis cunctando restituit rem*

4. *Curios.*] M. Curius Dentatus, primo de Samnitibus, tum de Sabinis triumphavit, tertio de Lucanis ovans Urbem ingressus est. Pyrrhum Epirotarum regem ex Italia expulit. Vir frugalitatis minificæ. Quamobrem domus ei apud Tiphatem, & agri jugera quingenta publice data. *Aurel. Victor.*

5. *Catones.*] Duo potissimum fuere. 1. *M. Porcius Cato Censorius* qui & *maior*, dictus est Tusculanus. Fuit Quæstor sub Scipione majore. Prætor Sardiniam subegit. Consul Celtiberos domuit. Censor L. Flaminium consularem senatu movit. Ipse auctor fuit delendæ Carthaginis. Septuagenarius literas græcas didicit. Octogenarius Galbam accusavit. Ipse quater & quadragies accusatus, toties absolutus est. *Aurel. Victor.* 2. *Cato Prætorius* hujus pronepos. Hic in Africam cum exercitu concessit, ubi audita Cæsaris de Pompeianis victoria filium hortatus, clementiam experiretur, ipse lecto Platonis victoris libro qui de bonis mortis est, semet occidit unde dictus est *Uticensis.* Hæc ex *Aurel. Victor.*

6. *Optatissimum Principem, &c.*] In aliquot editionibus est *optimum principem.*

7. *In Galliis suis retinet.*] Igitur Maximianus tum erat in Galliis. Et Mamertinus qui in Galliis erat; *adhuc*, inquit, *præsentia tua fruimur.*

8. *Diocletianum Oriens.*] Diocletianus tum erat in Oriente, bello adversus Narseum occupatus.

AD PANEGYRICUM III.

DE HUJUS AUCTORE ET QUO TEMPORE, QUOQUE LOCO SIT HABITUS.

HUjus & præcedentis panegyrici auctorem esse Mamertinum putat Sigonius, certe utramque hanc orationem ejusdem oratoris esse jam ostendi. Quanquam in veteribus codicibus abest Mamertini nomen. Ferme autem omnes habent *P. ejusdem Genethliacus Maximiani A. & Diocletiani.* Dictus est autem, opinor, Treveris: coram Maximiano: quo vero die incertum. Certe nec in quinquennalibus, neque in decennalibus, ut auctor initio profitetur, sed tempore inter utrumque interjecto, anno 292. cum Constantius classem adversus Carausium in oceanum immitteret. nam *n.* 19. navalia tropæa imperatoribus precatur. Hic natalis utriusque imperatoris dicitur, non quo ad imperium pervenit, sed quo in lucem exiit.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Rationem affert cur Genethliacum utriusque imperatoris celebret, nempe quod orationem cum Maximiani quinquennalibus, prout voverat habere non potuisset, hanc religione debiti repræsentare teneatur, & utriusque imperatoris natalem diem celebrando, quasi aliquo fœnore eos compensare, qui orationem a se expectabant: tum quia illustrior ei videtur dies, qui imperatores in lucem protulit, quam dies, quo imperii auspicia sumpserunt. Hic celeritatem laudat qua Dei sui, id est, alter Jovis, alter Herculis exemplo provincias dissitas momento perlustrant,* n. 2. *per prætermissionem varias utriusque victorias perstringit,* n. 5. DISTRIBUTIO. I. *Imperatorum pietas* II. *Eorumdem felicitas.*

I. PARS. *Pietas in deos, adversus se invicem, eo mirabilior quod dividendum haberent totum terrarum orbem,* n. 6. *Quod uterque ejusdem gloriæ velut æmuli, quod ad summum honoris verticem eadem via tenderent, quod & diversæ stirpis, & dissimilis ætatis forent,* n. 7. *Hinc factum esse ait, ut Diocletianus ex Oriente, Maximianus e Germania hyemis tempore per Alpes nivibus opertas Mediolanum ad mutuum colloquium advolarint,* n. 8. *Hanc celeritatem confert cum celeritate Annibalis in Italiam properantis: cum eo tamen discrimine, quod Annibalis adventus plenus esset terroris, alter vero salutaris jucundusque omnibus,* n. 9. *Triumphalis imperatorum reditus describitur,* n. 13.

II. PARS. *Transit ad utriusque imperatoris felicitatem quam in eo præsertim positam ait.* I. *Ut ex quacunque orbis parte ad visendum inter se coire possit absque turbarum metu,* n. 14. II. *in aeris salubritate, in agrorum ubertate per imperatores restituta,* n. 15. III. *in securitate a barbaris gentibus, quæ interim mutuis sese cladibus affligerent,* n. 16. *quos successus imperatorum pietatis, ait fructum esse,* n. 18.

IN FINE *rationem affert cur ex infinitis imperatorum virtutibus has duas potissimum elegerit, quas Genethliaca illa oratione commendaret: Quia, in-*

quit, ceteræ virtutes ut fortitudo, continentia, justitia, sapientia, processu ætatis eveniunt: solæ cum nascentibus pariter oriuntur pietas, felicitasque. *Concludit eadem sententia qua inceperat, felicitatem illam & pietatem acceptam referri oportere ipsorum natalibus. Ad ultimum navalem victoriam ambobus apprecatur, qua digna est utrinsque pietas, quam præstare potest felicitas*, n. 19.

EJUSDEM

CLAUDII MAMERTINI

GENETHLIACUS MAXIMIANI.

I. OMnes quidem homines, sacratissime Imperator, qui majestati vestræ laudes canunt, & gratias agunt, debitum vobis conantur exolvere: quis enim est qui posset implere? sentio tamen a me, hoc præcipue tempore, hoc piæ vocis officium jure quodam sacrosancti fœnoris postulari, ut expectationem sermonis ejus, quem [1] tuis quinquennalibus præparaveram, hac [2] gemini natalis prædicatione compensem, & dicendi munus, quod tunc voti promissione susceperam, nunc religione debiti repræsentem. Voveram autem, sacratissime Imperator, longe infra spem honoris ejus, quem in me [3] contulistis, unde enim vel tantam fiduciam mei gererem, vel tam improbe concupiscerem, ut [4] optare mihi quantum judicio vestro sum consecutus, auderem? Voveram inquam potissimum, ut

NOTÆ.

1. *Tuis quinquennalibus.*] Quinquennalium, decennalium, vicennalium & tricennalium institutio ab Augusto manavit: de quo ita Dio l. 53. An. V. C. 737. Augustus orationem habuit in senatu, qua se imperium abdicare velle præ se tulit, sed reclamantibus universis imperium retinere videlicet coactus, ordinatis distributisque provinciis, potestatem reip. constituendæ in decennium suscepit, professus se, si provincias pacare citius posset, imperio cessurum. Decennio confecto, quinquennium aliud decretum est, quo evoluto aliud quinquennium, post decennium, inde aliud decennium ejusdem decreto senatus accessit. Adeo ut totum, imperii tempus per quinquennia, & decennia conficeretur. Quam ob causam inquit, posteriores quoque imperatores etsi non ad certum tempus, sed in omnem vitam constituerentur, per decennia solennes dies agebant, tanquam imperii novum initium caperent, quod usque hodie fieri consuevit. Ita refert ex Dione *Petavius de doct. temp. l.* 11. *c.* 39.

2. *Gemini natalis.*] In actis Marcelli centurionis sub Diocletiano & Maximiano passi apud Surium 31. Octob. relatis, natalis dies imperatoris ad 12. Kal. Augusti refertur: unde labuntur aliqui ut putent hanc orationem illo ipso die dictam esse. Verum quis scit, an non de natali imperii acta illa intelligenda sint, non de die ortus Maximiani? Præterea dubium esse potest, utrum de natali die Diocletiani, an Maximiani id accipiendum sit. Quare levi admodum argumento nituntur.

3. *Contulistis.*] Forte *contulisti*, ut suspicatur Livineius.

4. *Optare.*] Frobenianam editionem sequor: in Puteana enim est *optarem*: male meo quidem judicio.

me dignatione, qua pridem audieras, rursus audires, siquidem apud tanti præsentiam numinis hoc ipsum mihi maximum dicendi præmium videbatur, ut dicerem. Gaudeo igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam: neque enim orationis ejus quam composueram facio jactu-
5 ram, sed eam reservo, ut quinquennio rursus exacto, [1] decennalibus tuis dicam, quoniam quidem lustris omnibus prædicandis communis oratio est.

II. Et profecto, [a] si non sensus meos dicatorum vobis dierum proxima quæque veneratio sui majestate perstringit, hic mihi dies videtur illu-
10 strior magisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem; etenim illi ipsi dies quibus imperii auspicia sumpsistis, ob hæc sancti sunt & religiosi, quod tales declaraverunt imperatores. At certe virtutes quibus ipsum ornatis imperium, [1] gemini vestri procreavere natales. Quos quidem, [2] sacratissime Imperator, quoties annis volventibus revertuntur, [b] vestri pari-
15 ter ac [3] vestrorum numinum reverentia colimus, siquidem vos diis esse genitos & numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus [b] approbatis, quarum infatigabiles motus & impetus ipsa vis divinitatis exercet, [c] quæ vos tantis discursibus toto quem regitis orbe [4] deducit, [5] ut nos semper auxilii vestri charitate nuper ad libertatem piæ conquestionis impleverit, cum
20 itinera vestra, ipsis hybernis diebus, per vicina illa cœlo Alpium juga, quibus Italiam natura vallavit; perque illa saxa, & duriorem saxis nivium densitatem, desiderio vestri & amore sequeremur, [6] & virtus vestra non sentiret, pati nos putaremus injuriam.

INTERPRETATIO.

a *Si non perstellit animum meum majestas & pompa eorum dierum, qui proxime vobis consecrati sunt* cum imperii auspicia sumpsistis.

b *Comprobatis.*

c *Quæ vos agit ad excurrendum in universum orbem, quem temperatis.*

NOTÆ.

5. *Decennalibus.*] Vide supra notam primam.

1. *Gemini vestri procreavere.*] Supra n. 1. *ut expectationem sermonis ejus, quem tuis quinquennalibus praparaveram, hac gemini* (utriusque imperatoris) *natalis prædicatione compensem.* Præfert diem quo nati sunt, ei diei, quo evecti sunt ad imperium. Hic enim dies eos declaravit imperatores, ille dignos fecit imperio. Initio vero periodi forte legendum, ut Acidalio & Grutero placet, *At certe* pro *& certe.*

2. *Sacratissime Imperator.*] Lege *sacratissimi Imperatores*, ut illud ad Diocletianum & Maximianum referatur.

3. *Vestrorum numinum.*] Id est, Jovis, & Herculis.

4. *Deducit.*] Hoc sensu id verbi usurpatum est panegyrico proxime præcedenti n. 2. *Quæ te castra dominum habitura susceperint, quæ bella deduxerint.*

5. *Ut nos semper.*] Hic locus mirifice vexavit eruditos, supersedeo varias ejus lectiones referre, quæ plus obscuritatis, quam lucis afferunt. Igitur vulgarem scripturam retineo, sensusque erit: Ita vis divinitatis vestræ vos egit in varias orbis partes, ut nobis amantissime suppeditarit semper auxilium vestrum. Sic ut nuper etiam pie conqueri nobis fas esse putaremus, cum &c.

6. *Et virtus vestra.*] Lege cum Acida-

III. [1]Reddimus tamen rationem [2]solicitudinis vestræ, & inspecta penitus veritate cognovimus, quæ causa faciat ut nunquam otio acquiescere velitis. Profecto non patitur hoc cœlestis ille vestri generis conditor. Nam primum omnium, [3]quidquid immortale est stare nescit, sempiternoque motu se [4]servat æternitas. Deinde præcipue [5]vestri illi parentes, 5 qui vobis & nomina & imperia tribuerunt, perpetuis maximorum operum actionibus occupantur. Ille siquidem Diocletiani auctor deus, præter depulsos quondam cœli possessione [6]Titanas, & mox [7]biformium bella monstrorum, perpeti cura quamvis compositum gubernat imperium, atque hanc tantam molem infatigabili manu volvit, [8]omniumque re- 10 rum ordines ac vices pervigil servat. Neque enim tunc tantummodo commovetur cum tonitrua incutit, & fulmina jacit, sed etiamsi tumultuantia elementorum officia pacavit, nihilominus tamen & ipsas quæ tacitæ labuntur auras placido sinu fundit, [a] & in adversa cœli nitentem impetu rapit solem. Itidem quoque, Maximiane, Hercules tuus, mitto quod 15 cum inter homines erat, terras omnes & [9]nemora pacavit, urbes [10]dominis crudelibus liberavit, etiam cœlo [11]dirarum alitum volucria tela detraxit, etiam terrores inferum [12]abducto custode compescuit: exinde

INTERPRETATIO.

a *Et fulgentem solem cum celeritate abripit in adversam cœli* partem.

NOTÆ.

lio. *Et licet virtus vestra &c.* vel cum alio. *Et quam virtus vestra &c.* mox pro *nos* restitue *vos* juxta veterem codicem. Jam vero sensus est. Quamvis pro virtute vestra id vobis grave ac laboriosum non videretur, re ipsa tamen grave, & laboriosum putabamus.

1. *Reddidimus.*] Ita emendant multi pro *reddimus*, itaque sensus poscere videtur.

2. *Solicitudinis vestræ*] Alii malunt *nostræ* utrumvis elige. Vel *nostræ* de vobis solicitudinis, vel *vestræ* de nobis.

3. *Quidquid immortale est.*] Tale illud pan. 7. n. 22 *Quisnam est tam continuus ardor? quæ divinitas perpetuo vigens motu? &c.* Tale illud Pacati in Theodosium n. 10. *Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas &c.*

4. *Servat.*] An *versat*? ut suspicatur Acidalius.

5. *Vestri illi parentes.*] Jupiter & Hercules.

6. *Titanas.*] Verum Titanum aut gigantum adversus deos bella cui non nota?

7. *Biformium.*] Gigantum, qui biformes propterea dicuntur, quod duplex iis forma: atque ut ait *Macrob. Saturn. l. 1. c. 20.* pube tenus homines essent, cetera serpentes. Sunt qui pro *biformium*, legunt deformium, id est, monstrorum deformi magnitudine. At pan. 2. n. 4. *An non illud malum simile monstrorum biformium?*

8. *Omniumque.*] Pro *omnium quoque*, juxta veterem codicem.

9. *Nemora pacavit.*] Domitis monstris.

10. *Dominis crudelibus.*] Diomede, Busiride, Geryone &c.

11. *Dirarum alitum.*] Stymphalidum, a Stymphalo Arcadiæ fluvio, cujus ripas insidebant. Dicuntur autem iis fuisse *tela volucria*, quod eorum pennæ, instar jaculorum essent emissitiæ.

12. *Abducto custode.*] Cerbero, quem vinctum traxit ad terras.

certe nihilominus[13] post adoptionem cœlitum, & Juventæ connubium, perpetuus est virtutis assertor, omnibusque fortium virorum laboribus favet, in omni certamine conatus adjuvat justiores. His quidem certe diebus, quibus[14] immortalitatis origo celebratur, instigat, ut videmus, illos
5 [15] a sacris certaminibus accitos, ut pertinaci animositate certandi multa faciant ipsius similia victoris. Adeo, sacratissime Imperator, numina semper aliquid agunt, agendumve curant. Ut jam nobis illa, quam pro vobis susceperamus, cura ponenda sit, cum non laborare vos, sed parentes deos videamus imitari, cumque præterea ingenitum illum vobis divinæ mentis
10 ardorem etiam earum, quæ primæ vos suscepere regionum alacritas excitarit. [16] Non enim in otiosa aliqua deliciisque corrupta parte terrarum nati institutique estis, sed in his provinciis quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiæ, fractus licet oppositus hostis, armis tamen semper instructus limes exercet, in quibus omnis vita militia est, quarum etiam
15 fœminæ ceterarum gentium viris fortiores sunt.

IV. Ex istis ergo causis stirpis vestræ, patriorumque institutorum, illa veniunt, (quæ sæpe miramur interdum etiam pro amoris impatientia timebamus,) quod expeditiones vestras numerare non possumus, quod diutius in iisdem manere vestigiis dedignamini, quod vos a continuo re-
20 rum cursu gerendarum, [1] non modo amœnitas locorum, aut nobilitas urbium, sed ne ipsa quidem victoriarum vestrarum lætitia remoratur. [2] Illum modo Syria viderat, jam Pannonia susceperat. Tu modo[3] Galliæ oppida illustraveras, jam summas[4] arces Monœci Herculis præteribas. Ambo

Notæ.

13. *Post adoptionem.*] De Herculis apotheosi habet Ovid. l. 9. Met. 240.

14. *Immortalitatis origo.*] Id est, natales vestri, quibus eas virtutes debetis, quæ vobis immortalitatem peperere.

15. *A sacris certaminibus accitos.*] Id est, Hercules ad solennitatem tuorum natalium celebrandam instigat, quos ad id ex omnibus Græciæ partibus accersimus.

16. *Non enim in otiosa.*] De Dalmatia, Diocletiani, & Pannonia Maximiani patria supra dictum.

1. *Non amœnitas locorum.*] Respexit ad illud Tullii pro lege Manilia n. 40. *Non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit; non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.*

2. *Illum modo Syria.*] Ubi Diocletianus adversus Narseum Persarum regem cum Saracenis, & Parthis Mesopotamiæ atque Armeniæ finitimis Romanis provinciis imminentem progressus cum exercitu, ac victis Saracenis, Parthisque ultra Tigrim propulsis, Narseum ipsum ad petendam cum muneribus pacem adegit: moxque Sarmatas trajecto Istro in Pannoniam effusos compressit.

3. *Galliæ oppida illustraveras.*] Id est, vix Bagaudicam seditionem compresseras. Simile vero est illud Tullii pro Marcello n. 5. *Nec vero disiunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt.* Et panegyrici proxime superioris, n. 14. *Has provincias tuas frequenter illustres.*

4. *Arces Monœci Herculis.*] *Monaco* seu *Mourgues* principatus, arx, & portus in ora maritima Liguriæ *de la coste ou riviere de Gennes.* Dicitur *Herculis Monœci portus*, quod Hercules pulsis hospitibus aut solus ibi regnarit. aut solus privato in templo cultus fuerit: a μόνος solus, & οἰκεῖν habitans. Æneid. 6. 829. *Aggeribus socer Alpinis*

cum

cum ad Orientem Occidentemque occupati putaremini, repente [5] in medio Italiæ gremio apparuistis. Hos fructus capitis operum maximorum, sic interim meritorum conscientia [6] triumphatis, dum triumphos ipsos semper vincendo differtis, quod quæcunque pulcherrima facitis continuo transitis, & ad majora properatis: ut dum vestigia vestra miramur, dumque vos adhuc esse in conspectu putamus, jam de vobis audiamus longinqua miracula. Ita omnes provinciæ vestræ, quas divina celeritate peragrastis, ubi sitis vicissim nesciunt: sciunt tamen vos ubique vicisse. 5

V. Sed de rebus bellicis, victoriisque vestris, sacratissime Imperator, multi summa eloquentia præditi sæpe dixerunt, [a] [1]& ego pridem, cum mihi auditionis tuæ divina dignatio eam copiam tribuit, quantum potui prædicavi. Hodie vero si de duabus rebus, quas ad hoc tempus aptissimas, nisi fallor, elegi, dicere mihi vestra favente majestate contigerit; [b] de ceteris veniam silentii petam. Non commemoro igitur virtute vestra rempublicam [2] sævissimo dominatu liberatam. Non dico [3] exacerbatas sæculi prioris injuriis, per clementiam vestram, ad obsequium rediisse provincias. Mitto etiam dies festos victoriis, triumphisque celebratos. Taceo [4] tropæa Germanica, in media defixa barbaria. Transeo limitem Rhetiæ repentina hostium clade promotum. Omitto Sarmatiæ vastationem, oppressumque captivitatis vinculis Saracenum. Etiam illa quæ armorum vestrorum terrore facta sunt velut armis gesta prætereo, Francos ad petendam pacem cum rege venientes, Parthumque vobis [c] munerum miraculis blandientem. Novam mihi propono dicendi legem, ut cum omnia videar silere quæ summa sint, ostendam tamen inesse laudibus vestris alia majora. 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Et quantum in me fuit commemoravi, cum vestra divina* majestas *me audire non dedignata, hanc mihi facultatem concessit.*

b *Rogabo ut cetera tacere mihi liceat.*

c Præstantibus *ad miraculum donis.*

NOTÆ.

atque arce Monæci.

5. *In medio Italiæ.*] Mediolani, quo ad seditionum causas tollendas, eligendosque Cæsares convenerant imperatores, ut supra dictum.

6. *Triumphatis.*] Diocletianus Persas, Maximianus in Gallia Bagaudas prostrarat. Neuter tamen triumphum, quem meruerat accipere voluit: donec exorientes novos motus compressisset.

1. *Et ego pridem.*] Quisquis hujus orationis auctor est, jam Diocletiani & Maximiani laudes alio panegyrico celebrarat.

2. *Sævissimo dominatu liberatam.*] Diocletianus Arrianum Aprum, cum ille Numerianum imperatorem, eundemque generum suum per insidias nefarie peremisset, tyrannidem invadentem coram exercitu mactavit. Vide quæ diximus *in Diocletiani vita.*

3. *Exacerbatas sæculi prioris &c.*] Carinum intelligit imperatorem, omnium scelerum & libidinum genere infamem, quem Caro ejus parenti ita exosum fuisse tradunt, ut soleret dictitare: *Non est meus.* Vopiscus in Carini vita.

4. *Tropæa Germanica.*] Victis Burgundionibus, Erulis & ea tota Germaniæ parte, quæ Rhætiæ objicitur, debellata: restituto

VI. Quæ igitur illa sunt? Pietas, sacratissime Imperator, atque felicitas. Nam primum omnium quanta vestra erga deos pietas? quos aris, simulacris, templis, donariis, vestris denique [1] nominibus adscriptis, adjunctis imaginibus ornastis, sanctioresque fecistis exemplo vestræ
5 venerationis, nunc enim vere homines intelligunt, [2] quænam potestas deorum, cum tam impense colantur a vobis. Deinde, id quod maxime deorum immortalium cum religione conjunctum est, quanta vosmet invicem pietate colitis? Quæ ulla unquam videre secula talem in summa potestate concordiam? Qui germani, [3] geminive fratres indiviso [4] patri-
10 monio tam æquabiliter utuntur, quam vos orbe Romano? Ex quo profecto manifestum est ceterorum hominum animas esse humiles & caducas, vestras vero cœlestes & sempiternas. [5] Obtrectant sibi invicem artifices operum sordidorum; est inter aliquos etiam canoræ vocis invidia; nihil denique tam vile, tam vulgare est, cujus participes [a] malignis æmulationis
15 stimulis vacent. Vester vero immortalis animus omnibus opibus, omnique fortuna, atque ipso est major imperio. Vobis Rhenus, & [6] Ister, & Nilus, & [7] cum gemino Tigris Euphrate, & [8] uterque qualem accepit, & reddit Oceanus, & quidquid est inter ista terrarum & fluminum & litorum, tam facili sunt æquanimitate communia, [9] quantum sibi gaudent

INTERPRETATIO.

a *Non maligne sibi invicem invideant.*

NOTÆ.

in regnum Genebo, Esatech vero rege constituto.

1. *Nominibus adscriptis.*] Imperatores Jovii & Herculii nomen suis donis adscripserant, ad majorem, ut panegyrici auctor innuere videtur, deorum venerationem, fortasse ad memoriam nominis sui sempiternam.

2 *Quænam potestas.*] In vulgaribus editionibus pro *quænam* est *at* * quæ lacunam satis indicant, ego sic implevi ut vocem *quænam*, quam Langius ad oram editionis Frobenianæ ascripsit, in contextum reciperem.

3. *Geminive fratres.*] Forte alludit ad Remum & Romulum.

4. *Patrimonio.*] Haud absimile est illud Justini l. 2. c. 10. de Artamene & Xerxe *Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.*

5. *Obtrectant sibi invicem.*] Notum illud Hesiodi: *figulus figulo invidet.*

6. *Ister.*] Propter Alpes oritur & in Germania, Rhætia & Pannonia *Danubius* appellatur, ubi vero Illyricum attigit, *Ister* dicitur.

7. *Cum gemino Tigris Euphrate.*] Quid? an geminus Euphrates? Omnino, quia gemino ex fluvio coalescit, quorum alter Pixirates, alter Arsanias; qui duo fluvii circa Sophonem orti, postquam Tauri montis angustias perfregerunt, uno & eodem nomine Euphrates dicuntur. Quanquam Pixirates vulgo vel in primo fonte Euphrates dicitur. Vide Plinium l. 5. c. 24. *Tigris* vero fluvius est Asiæ celebris, Mesopotamiam ab Assyria & Susiana dividens, in Armenia majore ortus.

8. *Uterque qualem accipit.*] Inest haud dubie in his verbis aliquid vitii. Quem locum ita restituit Livineius. *Uterque quam late cedit, & redit Oceanus.* Ego lubentius cum Grutero legerim, *uterque qua lucem accipit, & reddit Oceanus*, id est, Oceanus Occidentalis, in quem sol immergere se, & Orientalis, unde idem videtur emergere, vobis parent & obtemperant.

9. *Quantum sibi gaudent.*] Fortasse *quam*, inquit Livineius, ut referatur ad prius *tam*.

esse communem oculi diem. Ita duplices vobis divinæ potentiæ fructus pietas vestra largitur, & suo uterque fruitur, & consortis imperio.

VII. Laurea illa de victis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica, te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Chabionum, Erulorumque deleta, transrhenana victoria, & domitis oppressa Francis bella piratica Diocletianum votorum compotem reddiderunt. Dividere inter vos dii immortales sua beneficia non possunt. Quidquid alterutri præstatur, amborum est. Obstupescerent certe omnes homines admiratione vestri etiamsi vos idem parens, eademque mater ad istam concordiam naturæ legibus imbuissent. Atenim quanto hoc admirabilius, vel pulchrius, [1] quod vos castra, quod prælia, quod pares victoriæ fecere fratres? Dum virtutibus vestris favetis, dum pulcherrima invicem facta laudatis, dum ad summum fortunæ fastigium pari gradu tenditis, diversum sanguinem affectibus miscuistis. Non fortuita in vobis est germanitas, sed electa. Notum est sæpe eisdem parentibus natos, esse dissimiles: certissimæ fraternitatis est, [a] usque ad imperium similitudo. Quæ ne etiam intervallum vestræ vincit ætatis, & seniorem junioremque charitate mutua reddit æquales. ut jam illud falso dictum sit, non delectare societatem rerum nisi inter pares annos. Intelligimus enim, sacratissimi Principes, geminum vobis, quamvis [2] dispares sitis ætatibus, inesse consensum. Neque tu illi videris promptior, neque tibi ille cunctatior, sed invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos. [3] Sic vos estis juniores, ambo seniores. Neuter plus suis moribus favet, uterque se vult hoc esse, quod frater est.

VIII. [a] Inde igitur proxime illa impatientia vestræ pietatis irrupit, quod vos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, [1] nulla tempestatis asperitas retinere, aut morari potuit, quominus ad conspectum vestri pervolaretis. Neque enim illud progressio fuit, nec itineris confectio, [b] nec solitis adminiculis usa properatio. [2] Quis simili concitu eques, aut velivola navis? Divinus quidam impetus fuit, quo repente in eundem locum ab utroque Solis adverso fine venistis. Ipsos siquidem

INTERPRETATIO.

a *Etiam in* imperio retinere animorum *consensionem.*

a *Hinc ergo nuper praceps ille ardor* mutui *amoris vestri erupit.*

b *Nec ad properandum adhibuistis solita adminicula. Quis eques? aut navis velis instructa simili celeritate fertur?*

NOTÆ.

1. *Quod vos castra.*] Uterque imperator sub Probo, Caro, & Aureliano simul meruerat.

2. *Dispares sitis ætatibus.*] Ex his Mamertini verbis emendandum Victoris de Diocletiani ætate locum observavi ad finem ejus vitæ.

3. *Sic vos estis juniores.*] Melius legit post Livineium Gruterus. *Hic ambo estis juniores, ambo seniores.*

1. *Nulla tempestatis asperitas.*]Hyeme enim imperatores Mediolanum convenerunt.

2. *Quis simili concitu eques.*] Ante erat *quod*, cujus in locum aliqui restituunt *quid*:

quos præmiseratis nuncios reliquistis, ipsam, quæ vos conata est prævenire, famam prævertistis : ut[c] absque paucissimis, qui vobis comites hærere potuerunt, ceteri homines fortasse crediderint, quod ita dignum & majestate vestra, [3] diurna vobis & nocturna curricula utraque mundi lumina commodasse. Sed removeamus istinc fabulas imperitorum ; verum loquamur. Vestra vobis pietas, sacratissime Imperator, volucres dedit cursus. Etenim cum nihil sit animo velocius, vos, quorum igneæ immortalesque mentes minime sentiunt corporis moras, pervecti estis [4] ad nos mutui desiderii celeritate.

IX. Sed qua tandem [1] vice temporum ? [a] quo tempestatis habitu ? Nempe hyeme sævissima, & in his quoque regionibus inusitata, cum agros glacies, glacies nivem premerent, cœlo pariter ac terris [2] uniformibus, cumque ipsi [3] anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent. Adeo, [4] ut res est, adversus inclementiam locorum ac siderum vestræ vos majestatis potentia tuebatur, & ceteris hominibus atque regionibus vi frigorum astrictis & oppressis, vos solos auræ lenes, vernique flatus, & [5] diductis nubibus ad itinera vestra directi solis radii sequebantur : tanta facilitate illa quæ tunc aliis forent inaccessibilia superastis, atque inde Julias, hinc Cotias [6] Alpes [7] quasi relictas æstu arenas patentium litorum, transcurristis. Eant nunc rerum veterum prædicatores, & Annibalem illum multis laboribus, magnaque exercitus sui diminutione Alpes penetrasse mirentur. Vos invictissimi Imperatores, prope soli Al-

INTERPRETATIO.

c *Exceptis paucissimis.* a *Qua tempestatis conditione.*

NOTÆ.

ego vero Langii emendationem secutus sum.

3. *Diurna nobis*] Poeticum quiddam olet hic loquendi modus. Quod Mamertini ævo valde congruit.

4. *Ad nos.*] Alii legunt ad *vos* invicem. Tamen absque hac mutatione sensus esse poterit ad patriæ nostræ fines.

1. *Vice temporum.*] Horat. l. 1. od. 4 *Solvitur acris hyems grata vice veris, & favoni.*

2. *Uniformibus.*] Id est, cum cœlum pariter, & terra nive candida albescerent.

3. *Anhelitus hominum.*] Puta in regionibus omnium maxime septentrionalibus.

4. *Ut res est.*] Loquendi modus apud ejus ævi scriptores frequens. Pan. 6. n. 4. *sed, ut res est, mente præsaga omnibus verecundiæ observationibus imbuebas*: Plura ejusmodi exempla Livineius ponit sub uno aspectu in hunc locum. Quæ hic afferenda non duxi, ne ejus scrinia viderer compilasse.

5. *Diductis.*] Bertiniensem codicem secutus sum. Et vero ita Gruterus & Puteanus legunt pro *deductis*, uti est in aliis editionibus. Sententia fit clarior hac emendatione, quam præterea Puteanus allata Ciceronis auctoritate confirmat.

6. *Alpes*] Series montium, qui Italiam ab Germania & Gallia separant. Horum longitudo est 3000. stadiorum, teste Livio. Pro varia autem locorum diversitate varia sortiuntur nomina. Sic Alpes aliæ sunt *Juliæ*, aliæ *Cotiæ* vel *Cottiæ*, aliæ *maritimæ* aliæ *Graiæ* &c.

7. *Quasi relictas æstu arenas.*] Pari facilitate montes nivibus asperos, & arenas æstu torrentes, atque eam ob rem prope inhabitatas transcurristis,

pium vias hybernis nivibus obstructas divinis vestigiis aperuistis;[8] ut quondam Hercules[b] per eadem illa culmina Iberiæ spolia incomitatus abduxt.

X. Tum si fortunæ causæque Annibalis ac vestrorum itinerum comparentur, quanto hæc vestra diis hominibusque acceptiora sunt? quanto laude ac sempiterna memoria digniora? Tunc, [1]Pœno ex summis Alpibus 5 viso, Italia contremuit, statim pascua agrique deserti, omnes familiæ rusticanæ silvas & ferarum cubilia petivere. Quo nuncio accepto omnibus oppidis matres Italæ[2] pensa e manibus abiecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt. Ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat, planctu ploratuque futuris cladibus omina dabant; [3] Thrasymenum, &[4] Cannas 10 dolore præsago[5] præcanebant. Nunc autem ut primum ex utrisque Alpium jugis vestrum numen effulsit tota Italia clarior lux diffusa, omnibus qui suspexerant æqua admiratio atque dubitatio [6] injecta, ecquinam de illis montium verticibus orirentur, an his gradibus in terras cœlo descenderent. Ut vero propius propiusque cœpti estis agnosci, omnes agri oppleti, non 15 hominibus modo ad visendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus remota pascua, & nemora linquentibus. Concursare inter se agricolæ, [7] nunciare totis visa, aræ incendi, tura poni, vina libari, victimæ

INTERPRETATIO.

b *Per eosdem montes.*

NOTÆ.

8. *Ut quondam Hercules.*] Cum Geryonis spolia ex Iberia ad Pabula Thyrrena compulit, *Pan.* 2. *n.* 2. De quo itinere Sil. Ital. l. 3. 494. *Primus inexpertas adiit Tirynthius arces: scandentem nubes, frangentemque ardua montis spectarunt superi, longisque ab origine seclis intemerata gradu magna vi saxa domantem.* Et l. 2 de Annibale. *Per saxa nivesque, est qua pandat iter, magno pudor Herculè tristes desperare vias, laudemque timere secundam.*

1. *Pœno ex summis Alpibus viso.*] Id est, Annibale. Mirum est autem quantus fuerit totius Italiæ pavor, cum Annibal Anno V. C. 543. post expugnatam Saguntum; veterem & opulentam Hispaniæ civitatem; cl. mille pedites, ut ait Eutropius, & xx. mille equites, ex majore parte Pœnos, ad Italiam devastandum trans Alpes induxit. Ut longo tempore obtinuerit proverbium illud, ad communem pavorem significandum, *Annibal ad portas.* Vide *Livium*, *Plutarchum*, *&c.*

2. *Pensa e manibus.*] Respexit ad illud Æneid. l. 9. v. 476. ubi simul Euryali matrer filii necem audiit: *Excussi manibus radii revolutaque pensa. Evolat infelix &c.*

3. *Thrasymenum.*] *Thrasymenus*, vel ut malunt alii *Thrasumenus*, lacus est Hetruriæ, Florentiam inter & Perusiam. Hodie *Lago di Perugia.* Ubi Flaminius ab Annibale magna strage deletus est. 15. millia Romanorum cæsa. 6. millia capta.

4. *Cannas.*] Urbs est Apuliæ Peucetiæ, Canusium inter & Aufidum fluvios, 6. mill. ab ora maris Adriatici. Hic enim cæsa Romanorum 40. mill. interque eos tot equites, ut tres & amplius annulorum modii Carthaginem missi a victore Annibale fuerint. Præerant exercitui Romano Paulus Æmilius, & Terentius Varro: hujus temeritate clades illa contigit.

5. *Præcanebant.*] Fortasse *præcinebant*, ut ex veteri codice notat Cl. Puteanus.

6. *Injecta.*] Restitui pro *invecta* ex Bertiniensi item & vetere alio exemplari. Mox *ecquinam* pro *& quinam* ut legendum esse notant idem Langius, & Gruterus &c.

7. *Nunciare totis visa.*] Utrum *totis*, id est, omnibus: cujus rei extant apud Apu-

cædi, cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare, diis immortalibus laudes gratesque cantari: non opinione traditus, sed conspicuus & præsens Jupiter cominus invocari, [8] non advena, sed imperator Hercules adorari.

5 XI. Quid? illud, dii boni, quale pietas vestra spectaculum dedit, cum [1] in Mediolanensi palatio admissis, qui sacros vultus adoraturi erant conspecti estis ambo, & [a] consuetudinem simplicis venerationis geminato numine repente turbastis. [2] Nemo ordinem numinum solita secutus est disciplina, omnes adorandi mora restiterunt, duplicato pietatis officio 10 contumaces. [b] Atque hæc quidem velut interioribus sacrariis operta veneratio, eorum modo animos obstupefecerat, quibus aditum vestri dabant ordines dignitatis. Ut vero limine egressi [3] per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipsa se, ut audio, pœne commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, senibus aut per fores in publicum proruentibus, aut 15 per superiora ædium [4] limina imminentibus. Clamare omnes præ gaudio jam sine metu vestri, & palam manu demonstrare: Vides Diocletianum? Maximianum vides? Ambo sunt: pariter sunt. Quam junctim sedent? quam concorditer [5] eloquuntur? quam cito transeunt? [c] Nemo studio suo par fuit oculis ad intuendum, dumque vos alterna cupiditate mirantur, 20 neutrum satis videre potuerunt.

INTERPRETATIO.

a *Mutastis morem unum tantum adorandi, cum ambo instar duorum deorum subito* prodiistis.

b *Atque hoc quidem venerationis* genus *tibi in interiori palatio redditum, mirum visum fuerat iis solum, quibus integrum erat hic interesse pro ratione* officii sui *& dignitatis.*

c *Nemo pro desiderio suo vos conspicere potuit.*

NOTÆ.

leium exempla bene multa. An restituta vocula legendum *totis vicis*. An vero interpunctione tantum mutata, *Concursare inter se agricolæ, nuntiare, totis vicis ara incendi.* Nota vero hunc verborum casum ad rem sub oculos subjiciendam mirifice aptum.

8. *Non advena.*] Quam adulatorie imperatorem suum ea re antefert Herculi, quod non tanquam advena, ut Hercules, sed tanquam verus imperator in Italia exceptus sit.

1. *In Mediolanensi Palatio.*] Mediolanum urbs antiquissima Insubriæ caput. *Milan.* Hodieque 4 imprimis rebus clarissima. 1. populi frequentia, 2. templo augustissimo, 3. arce firmissima, 4. bibliotheca Ambrosiana.

2. *Nemo ordinem numinum.*] Non ut deos solemus deinceps atque ex ordine ad singulorum aras venerari, ita nos seorsum adoravimus, sed omnes qui coram aderant vestra utriusque majestate adeo perculsi sunt, ut cum neutrum ab altero separare vellent, vos ambos simul iterum atque iterum adoratint, pie contumaces ut hoc suæ adversus utrumque imperatorem venerationis pietatis officio fungerentur.

3. *Per mediam urbem.*] Describitur Triumphalis imperatorum in Mediolanensem urbem ingressus. Similem locum vide in Plinii panegyr. n. 22. & in Pacati panegyr. n 47. &c.

4. *Limina.*] Fortasse *culmina*.

5. *Eloquuntur.*] *Colloquuntur.* Bertiniensis codex, sed eo verbo jam Mamertinus usus est in superiore panegyrico n. 9. *Adeo fidum, fraternumque fuit illud eloquium.*

XII. Ipsa etiam [1] gentium domine Roma, immodico [a] propinquitatis vestræ elata gaudio, vosque e [2] speculis suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propius expleret, ad intuendum cominus quantum potuit accessit. [3] Lumina siquidem senatus sui misit, beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem majestatis suæ libenter impertiens, ut ibi tunc esse sedes imperii videretur, quo uterque venerat Imperator. Interim tamen dum mihi ante oculos pono quotidiana vestra colloquia, conjunctas in omni sermone dexteras, joca seriaque communicata, obtutu mutuo transacta convivia, illa me cogitatio subit, quanam animi magnitudine ad revisendos exercitus vestros discesseritis, pietatemque vestram utilitate reipublicæ viceritis. Qui tunc vestri sensus fuere? qui vultus? quam [4] patientes ad dissimulandum indicium perturbationis oculi? Respexistis profecto sæpius: neque hæc de vobis vana finguntur. Talia vobis dedistis [5] omina, cito ad conspectum mutuum reversuri.

XIII. [1] Facilis est mihi transitus, sacratissimi Imperatores, ab hac pietatis vestræ laude ad prædicationem felicitatis. Hoc enim ipsum felicitatis est, quod ut conspicere vos invicem complectique possitis, [2] in manu vestra est. Solem ipsum, Lunamque cernimus, [a] quia totius mundi funguntur officiis, non nisi post multa secula certa lege temporum [3] convenire, vestra tam libera est & beata majestas, ut in summis rebus generis humani nihil vobis necesse sit nisi vestræ parere pietati. Ceterum si quis

INTERPRETATIO.

a *Vobis adventantibus.* a *Quia toti mundo utiles sunt.*

NOTÆ.

1. *Gentium domina Roma.*] Pan. 2. n. 2. *Immortalis ortus dominæ gentium civitatis*, n. 14. Ad Romam. *Interim tamen te gentium dominæ.* Et Pan. n. 35. 10. *Arcem omnium gentium & terrarum Reginam.* Et Martial. l. 12. ep. 8. *Terrarum dea gentiumque Roma, cui par est nihil & nihil secundum.* Vide *Lipsium de magnit. Rom. c. 2.*

2. *Speculis.*] Romani cives montes suos conscendebant, ut inde tanquam ex altis speculis adventantes imperatores eminus aspicerent.

3. *Lumina.*] Lusus in verbo. Roma ipsa ut vos conspiceret, accessit. Qui porro? quia misit ad vos senatus sui lumina, id est senatorum suorum clarissimos.

4. *Patientes.*] Quanto melius si *impatientes*, ut vult post Puteanum Gruterus?

5. *Omina.*] Ita est in Frobeniana editione, in aliis vero *omnia.* Utrumvis elige.

1. *Facilis est mihi transitus.*] Transit ad alteram orationis partem, quæ est de imperatorum pietate.

2. *In manu vestra est.*] Modus loquendi apud bonos auctores frequentissimus, pro eo quod est *penes vos est.* Tullius l. 8. ep. 6. *Hunc cum velis obligare, in tua manu est.* Idem l. 14. ep. 2. *Verum hæc non sunt in nostra manu.* Nihil necesse est alia Tullii, Terentii, & aliorum exempla huc congerere.

3. *Convenire.*] Lunam & solem interdum convenire oportet, siquidem lunæ orbis solarem intersecat in duobus punctis: quæ lunæ nodi appellantur; tuncque est eclipsis solis, cum luna in iis punctis invenitur. Quia autem illa ipsa puncta sunt mobilia, raro fit ut in eodem cœli puncto hæc duo sidera conveniant.

ad humana respiciat, quanto magis magnitudo vestræ felicitatis appareat? homines privatis rebus intenti ita plerumque propriis difficultatibus implicantur, ut [4] omnino vacent aditu suorum; vos tantæ reipublicæ administratione suscepta, quos huc atque illuc tot urbes, tot castra, tot limites, tot circumjecta Romano imperio flumina, montes, litora vocant, tantum animis ac fortuna valetis, ut in unum convenire possitis, nihilominus orbe securo. Neque enim pars ulla terrarum [b] majestatis vestræ potentia caret, etiam cum ipsi abesse videamini.

XIV. Ne tantulum quidem barbaræ nationes audent animos attollere, quod vos in interiora imperii vestri secesseritis, quin imo ipsi magis in vobis fiduciam pertimescunt, quod se contemni sentiunt cum relinquuntur. Itaque illud quod de Jove vestro cecinit [1] poeta Romanus, plena Jovis omnia esse: id scilicet animo contemplatus, quamquam ipse Jupiter summum cœli verticem teneat, supra nubila supraque ventos sedens in luce perpetua, numen tamen ejus ac mentem toto [2] infusam esse mundo, id nunc ego de utroque vestrum audeo prædicare, ubicunque sitis, in unum licet palatium concesseritis, divinitatem vestram ubique versari, omnes terras omniaque maria plena esse vestri. Quid enim mirum si cum possit hic mundus Jovis esse plenus, [3] possit & Herculis?

XV. Admonet me & temporis & loci ratio, & majestatis tuæ reverentia ut finem dicendi faciam, quanquam de felicitate vestra tam pauca dixerim, & tam multa restent. [1] Sed ecce suggerunt: adhuc potes dicere de salubritate temporum, & fertilitate terrarum. Revera, sacratissime Imperator, scimus omnes ante quam vos salutem reipublicæ reddideritis quanta frugum inopia; quanta funerum copia fuit, fame passim morbisque grassantibus. Ut vero lucem gentibus extulistis, exinde salutares spiritus jugiter manant. Nullus ager fallit agricolam, nisi quod spem ubertate superat. Hominum [2] ætates & numerus augetur. Rumpunt horrea conditæ

INTERPRETATIO.

b *Majestatis vestræ numine non sustentatur.* a *Vestram* illam *confidentiam extimescunt.*

NOTÆ.

4. *Omnino vacent.*] Lege cum Grutero *ut minime vacent*, vel cum Acidalio, *ut omnino non vacent.* Nam melius certe videtur cum negatione.

1. *Poeta Romanus.*] Virgilius Ecl. 3. 61. *Jovis omnia plena.* Idipsum sumpserat ex Theocriti Idyl. 17. 1. Id vero de Jove dicitur cum quia deorum princeps & rerum anima est. Tum quia Jovis nomen aeri tributum est, qui ubique diffusus.

2. *Infusam esse mundo.*] Alludit ad illud. Æneidos 6. 724. *Principio cælum ac terras camposque liquentes, Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra spiritus intus alit, totamque infusa per artus mens agitat molem.*

3. *Possit & Hercules.*] Si unus Jupiter par est replendo orbi, quanto magis si comitem habuerit Herculem?

1. *Sed ecce suggerunt.*] Ante erat, *spiritum ecce suggerunt*, sed ita restitui ut ex veteri codice & ex Langii conjectura observat ad oram editionis suæ Livineius. Mox *potes*, Alii legunt *potest.*

2. *Ætates & numerus.*] Et diutius vi-

messes,

messes, & tamen cultura duplicatur. Ubi silvæ fuere, jam seges est. Metendo, & vindemiando defecimus.

XVI. Illud vero, non suggeratur licet, quomodo dicam antequam desinam? tantam esse imperii vestri felicitatem, ut undique se barbaræ nationes vicissim lacerent & excidant, alternis dimicationibus & insidiis clades suas duplicent & instaurent, Sarmaticas vestras, & Rhæticas, & Transrhenanas expeditiones furore percitæ in semet imitentur. Sancte Jupiter, & Hercules bone, tandem bella civilia ad gentes [1] illas vesania dignas transtulistis, omnemque illam rabiem extra terminos hujus imperii [2] in terras hostium distulistis. Etenim quod ait ille Romani carminis [3] primus auctor, A sole exoriente adusque Mæotis paludes, id nunc longius longiusque protendere licet, si quis hostilem in mutua clade vesaniam toto orbe percenseat. Etenim ab ipso solis ortu non modo hac citra Mæotin sub extrema septentrionis plaga, qua [4] fervidum caput Danubius evolvit, quaque horridus secat [5] Albis Germaniam, sed etiam sub ipso lucis occasu, qua [6] Tingitano litori Calpetani montis obvium latus in mediterraneos sinus admittit Oceanum, ruunt omnes in sanguinem suum populi, quibus nunquam contigit esse Romanis, obstinatæque feritatis pœnas nunc sponte persolvunt.

XVII. Furit in viscera sua gens effrena [1] Maurorum. [2] Gotthi [3] Burgundios penitus excindunt. Rursum pro victis armantur Alamanni, itemque [4] Teruigi, pars alia Gotthorum, adjuncta manu [5] Thaifalorum, adversum

NOTÆ.

nt homines, & plures generantur.

1 *Illas vesania.*] An *illa*, ut referatur ad *gentes*? Ita suspicatur Livincius.

2. *In terras hostium.*] Tale illud Horatii. l. 1. od. 2. *Audiet cives acuisse ferrum, quo graves Persæ melius perirent.*

3. *Primus auctor.*] Ennius, cujus notum de Africano laudatum a Tullio Tuscul. 5. n. 49 Dystichon. *A sole exoriente supra Mæotis paludes, nemo est, qui factis me æquiparare queat.* At Palus Mæotis media est inter fluvium Tanaim quem recipit, & Pontum Euxinum in quem influit: *Mer de Zabache.*

4. *Qua Danubius.*] Id est, Sarmatæ, Eruli, & quicunque ultra Danubium incolebant.

5. *Albis.*] Id est, Burgundiones, Saxones, & Chatti. *Albis* autem fluvius Germaniæ celebris in finibus Silesiæ oriens, per Bohemiam, Misniam, & Saxoniam in Oceanum influit infra Hamburgum. *Horridus* dicitur quia rapidus.

6. *Tingitanum litus.*] Id est, Mauritania, ubi Quinquegentanæ nationes, a quinque civitatibus Libyæ, Cyrenis, Ptolemaide, Arsinoe (quæ & Teuchira) Darnis, & Berenice ita dictæ, grassabantur. Has Maximianus haud multo post vi & armis domuit. *Tingitanum litus* dicitur ab urbe Tingitana, quæ Mauritaniæ caput est. *Calpetanus mons* in Hispania Bætica ad fretum Herculeum, contra Abylen Mauritaniæ oppidum. Restitui autem integritati suæ hunc locum post Acidalium ex veteri exemplari, cum in Puteana ceterisque editionibus sit, *Qua Tingitanum litus Calpetano monti obvium latus &c.*

1. *Mauri.*] Qui in Africa habitabant circa litus maris, inter fretum Gaditanum & Numidiam.

2 *Gotthi.*] Populi Sarmatiæ Europææ, Boreale litus maris Euxini incolentes, prius Getæ dicti.

3. *Burgundios.*] Alii *Burgundos*, alii Burgundiones vocant. Germaniæ populi, de quibus supra panegyrico proxime præcedenti n 5.

4. *Tervigi.*] Populi trans Istrum circa Daciam. Alii *Thervingi* scribunt.

5 *Thaifalorum.*] Populi Scythiæ Europææ, circa Hierasum fluvium, quos a Tra-

[6] Vandalos [7] Gypedesque concurrunt. Ipsos [8] Persas, ipsumque regem ascitis [9] Saccis, & Ruffis, & Gellis petit frater Ormies, nec respicit vel pro majestate quasi regem, vel pro pietate quasi fratrem. Burgundiones Alamannorum agros occupavere, sed sua quoque clade quæsitos. Alamanni
5 terras amisere, sed repetunt. O magnam vim numinis vestri! Non istæ modo, aliæque gentes, viribus armisque terribiles, fiducia instructæ ad perniciem immanitatis utuntur, sed etiam [10] Blemyes illi, ut audio, levibus modo assueti sagittis, adversus [11] Æthiopas quærunt quæ non habent arma, & pene nudis odiis prælia internecina committunt.

10 XVIII. Jam de perduellibus ultionem non armis, non exercitu capitis, sicut hucusque fecistis: jam, inquam, fortunatissimi Imperatores, felicitatem vincitis soli. Et quid unquam Romani principes de felicitate sua prædicari lætius audierunt quam cum diceretur, hostes quiescere, otiosos esse, pacem colere? Atenim quanto hoc est lætabilius, ac melius quod
15 de prosperitate seculi vestri certatim omnium hominum ore circumfertur? Barbari ad arma concurrunt, sed invicem dimicaturi: vicere barbari, sed consanguineos suos. Tam innumeros vobis, tam novos ex omni hostium genere successus Fortuna suppeditat, ut jam mihi necesse sit illa, quæ initio separaveram, rursus hic communi laude conjungere: dum tanto-
20 rum eventuum quæro rationem. Felicitatem istam, optimi Imperatores, pietate meruistis.

XIX. Optime igitur, sacratissime Imperator, quantum arbitror, hæc potissima elegi quæ [1] gemino natali tuo prædicarem. Etenim ceteræ virtutes & bona cetera processu ætatis eveniunt, fortitudo annis accedenti-
25 bus roboratur, continentia disciplinæ præceptis traditur, justitia cognitione

NOTÆ.

jano imperatore subactos esse refert *Victor*.

6. *Vandalos.*] Circa oram maris Baltici incolentes, ubi nunc Pomerania ulterior. Hi in Galliam primum, post in Hispaniam effusi, sedem in Bætica locarunt, quæ propterea Vandalia seu Vandalitia, *Andaluzia*, magna ex parte nominatur. Inde in Africam, ac demum in Sardiniam excurrerunt sub Genserico rege.

7. *Gypedes.*] Seu *Gepidi* Sarmatiæ Europææ populi inter Dacos & Getas annumerati.

8. *Persas.*] Populi Asiæ clarissimi, quorum regio inter Susianam ad occasum, & Carmaniam ad ortum; Parthiam ad Austrum, & Sinum Persicum ad meridiem contenta est.

9. *Saccis, & Ruffis, & Gellis.*] Asiæ populi, forte circa Persidem, & Mediam, non procul a mari Caspio. De Saccis multa sunt apud Ammianum: aliorum nullibi quod sciam præterquam in hoc loco mentio est.

10. *Blemyes.*] Seu *Blemmyes*, ut vocat Strabo. Æthiopiæ populi, Ægyptius finitimi: ad citeriorem Nili partem supra Syenen habitabant. *Strabo.*

11. *Æthiopas.*] Æthiopia duplex: superior & inferior. Illa sub Ægypto inter Nilum, & Sinum Arabicum, *les Abyssins*: altera, quæ antiquis ignota fuit, ultra Æquatorem extenditur, ubi nunc *Monomotapa*, *Congo*, *&c.*

1. *Gemino natali tuo.*] Alii delent illud *Tuo*; alii restituunt *vestro*. Ego sic explico: diem illum duplici nomine Maximiani natalem dici, & quod eo die ipse natus esset, & quod eodem natus Diocletianus, quem velut fratrem colebat: amicis autem atque adeo fratribus omnia communia. Ma-

juris addiſcitur : ipſa denique illa quæ videtur omnium rerum domina eſ-ſe ſapientia, perſpectis omnium moribus, & exploratis rerum docetur eventis : ſolæ cum naſcentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas : naturalia ſunt enim animorum bona, & præmia Fatorum. Gemini ergo natales pias vobis mentes, & imperatorias tribuere fortunas, atque inde ſanctitatis veſtræ, omniumque ſucceſſuum manat exordium, quod naſcentes vos ad opem generis humani bona ſidera & amica juverunt : quæ vobis concordiam ſempiternam, & veſtrorum generum charitatem, & fovendæ reipublicæ ſtudia conciliant, itemque præter victorias toto orbe terrarum partas,[2] etiam navalia tropæa promittunt; ut poſt bella Punica, poſt Aſiæ Syriæque reges, Romani Roſtra Campi novis ornentur iis exuviis, & oblitos jam Quirites in memoriam reducatis, cur ille ſolennis concionibus locus[3] Roſtra vocitetur : dico enim magna certaque fiducia, digna eſt hac quoque gloria veſtra pietas; & poteſt eam præſtare felicitas.

NOTÆ.

ximianum enim, qui ſolus aderat, alloquitur; cujus natalem eſſe geminum dicit, quia pariter erat Diocletiani, quem fratrem illius vocat. *Gemino natali tuo*, id eſt, eo die qui duplici de cauſa tibi natalis eſt.

2. *Etiam navalia tropæa.*] Facit hic locus ut ſuſpicer tunc Conſtantium Maximiani nomine contra piratas bellum navale geſ-ſiſſe; quo enim votum iſtud alio pertineret niſi tum bellum gereretur?

3. *Roſtra vocitetur.*] Ea pars fori fuit, quæ ante curiam Hoſtiliam, in qua erat ſuggeſtum, Antiatum navium roſtris exornatum, ex quo loco ſæpe orationes habebantur. *Livius.*

AD PANEGYRICUM IV.

EUMENII VITA.

EUMENIUS origine Græcus in Galliis natus eſt Auguſtoduni: qua in urbe, temporibus illis florentiſſima, & bonarum artium velut ſede, ipſe pan. 4. n. 17. *avum ſuum, cum eſſet octogenario major, quondam decuſſe*, ait, *hominem Athenis ortum, Romæ diu celebrem, mox in ipſa urbe perſpecto & probato hominum amore doctrinæ, atque hujus ipſius operis veneratione detentum.*

Ipſe cum in aula Conſtantii Chlori Cæſaris eſſet magiſter ſacræ memoriæ, id eſt, libellis & epiſtolis faciendis, ſignandiſque reſcriptis præeſſet, tanta cum ingenii & eloquentiæ præſtantia ampliſſimum illud palatii munus obiit, ut in Æduenſium Scholarum moderatoris demortui locum a Conſtantio ſuffectus ſit. In cujus rei actis Conſtantius Eumenii eloquentiam & gravitatem commendat, & geminata ejus penſione, ſexcena millia nummum (hoc eſt 26250. libras Francicas) ei pro ſalario attribuit, n. 4. Quam pecuniæ ſummam Cæſari obſecutus accepit quidem, ut ipſe ait, *quantum ad honorem ſpectabat*, n. 16. eam vero ad Æduenſium Scholarum inſtaurationem impendendi poteſtatē ſibi fieri habita eā in rem hac elegantiſſima oratione petiit. Numeroſam ſibi ſobolem fuiſſe teſtatur pan. 7. n. 23. ubi converſa ad Conſtantinum magnum oratione: *Maximas*, inquit, *numini tuo gratias ago, tibique quod ſupereſt commendo liberos meos, præcipueque illum jam ſumma fiſci patrocinia tractantem, in quem me totum tranſtulit pietas.... Ceterum quod de omnibus liberis dixi, lata eſt, Imperator, ambitio, Præter enim illos quinque quos genui,*

etiam illis numero, quos provexi ad tutelam fieri, ad officia palatii.

Quo anno natus sit, & quo obierit incertum est. Certe haud admodum juvenem eum fuisse oportet anno Christi 296. tum cum hæc dicta est oratio, siquidem ejus filius jam tum magistratum gerebat amplissimum. Et pan. 7. n. 1. *subitam dicendi facultatem* negat bene sibi convenire, qui *mediæ ætatis amplius non esset*. Et n. 22. optans ut Constantinus Augustodunum aliquando veniat: *Sed enim*, inquit, *ista felicitas viderit, an adhuc mea debeatur ætati.*

Quatuor ex his veterum panegyricis Eumenio tribui solent. IV. quem pro restaurandis Æduensibus scholis Augustoduni dixit coram viro perfectissimo, hoc est, coram Lugdunensis primæ præside, opinor Rictiovaro ut in notis ostendo: anno 296. ut apparet ex imperatorum Cæsarumque victoriis quæ n. 21. perstringuntur, quæque in hunc tantum annum cadere possunt, ut in imperatorum Diocletiani, & Maximiani Augg. & Constantii Cæsaris vita observavi. V. quem Treveris coram Constantio Cæsare ut ex paneg. n. 4. patet: *habenda est ratio temporis Cæsare stante dum loquimur.* Duobus Augustis, & Galerio Cæsare absentibus, ut manifestum est ex n. 5. ubi eorum præclare gesta perstringens: *Hæc alius*, inquit, *celebrabo temporibus iis ipsis, qui gessere, præsentibus*, sub finem anni Christi 296. post occisum Allectum, receuperatasque Britannias, ante Lingonicam Constantii victorum, de qua verbum nullum est: cum Maximianus Aug. Mauros oppugnaret. Quanquam hunc nonnulli incerto auctori, & Rhenanus Mamertino aut Belgæ cuipiam adscribit. Fortasse quod hujus panegyrici auctor diu se siluisse initio dicit, cum tamen Eumenius hoc ipso anno panegyricum dixerit: tum quia habitam a se coram Maximiano orationem ait, quæ non extat. Sed ut hunc & sequentes duos panegyricos Eumenio tribuam facit & similitudo styli, & quod de institutione puerorum, & officio Palatino passim habet. VII. quem item Treveris die ejus urbis natali anno Christi 310. coram Constantino dixit paulo post ejus natales qui, si ut est in Kalendario vetere apud Bucherium, in tertium Kal. Mart. incidebant. In fine hujus orationis imperatorem invitat Æduensem urbem venire ne gravetur. Cumque anno sequenti imperator eam urbem ingressus restitui publica ædificia jussisset, & cives tributorum remissione sublevasset: Æduenses ipsum Eumenium, cujus eloquentiæ singulare principis beneficium acceptum referebant, statim ad imperatorem legarunt Treveros, ubi in celebri legatorum cœtu, qui eo undecunque ad quinquennalia principis celebranda venerant, Flaviensium nomine Constantino gratias acturus, VIII. panegyricum habuit.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Dicit quantum sibi metum affert loci insolentia, tantum se dicendi causa recreari.*

DISTRIBUTIO. I. *Augustoduni scholas esse instaurandas.* II. *qua ratione id possit sine sumptu publico fieri*, n. 3.

I. PARS *Mentem imperatorum & Cæsarum esse, ut non templa modo & publica opera, sed multo magis Æduenses scholæ, Bagaudicæ factionis irruptionibus collapsæ, ad Gallicæ nobilitatis educationem instaurentur*, n. 4. *Nullis principibus literas tantæ unquam curæ fuisse*, n. 5. *Intellectum illud, cum harum scholarum moderatore mortuo alterius subrogandi curam susceperunt ipsi per sese, & ad hujus professionis commendationem eum elegerunt, qui officium in palatio gereret amplissimum.* n. 6. *Si veteres ei virtuti, cujus studio ducerentur, templa statuebant, Constantium pro suo erga literas amore has scholas erectas velle*, n. 7.

Ab earum situ ipso probat instaurandas esse, quia in media urbe, quia inter Apollinis templum & Minervæ, n. 9.

II. PARS. *Sexcena millia nummum pro magisterii sui salario sibi a Constantio data ad hoc opus se collaturum*, n. 11. *Sic enim digniorem se hac principis liberalitate futurum, cum eam ipsam in patriæ usum contulerit: satis sibi esse ad gloriam quod ea summa sibi decreta sit. Ita futurum ut omnes intelligant, se non avaritia ductum ad id officium accessisse*, n. 12. *Cuilibet pretio anteponere se literas, quibus Gallicæ nobilitatis institutio sibi a Constantio commendatur*, n. 13. *Literæ Constantii*, n. 14. *Hac Cæsaris humanitate ad instaurandas scholas incitari se*, n. 15. *pecuniam illam scholis propter quas sibi data est libenter dare, & in quibus olim avus ipsius docuerit: velle se imperatorum in restituendis operibus publicis pietatem, quantum fert res sua, imitari*, n. 17. *Par esse ut non minus eloquentia, aut potius eloquentiæ sacra loca reflorescant liberalitate principis, quam ceteræ orbis partes*, n. 17.

IN FINE *præsidem rogat ut ad id operam suam interponat apud imperatores & Cæsares, quo possit & novum hoc eorum in literas beneficium celebrare, & pueris eorundem victorias, quas obiter recenset descriptas in porticibus ostendere*, n. 20.

EUMENII

PRO RESTAURANDIS SCHOLIS.

ORATIO.

I. CErtum habeo, [1] Vir Perfectissime, non quidem te, qui semper in omni genere dicendi maxima facultate viguisti, sed circunstantium plerosque mirari, quod ego, qui ab ineunte adolescentia usque in hunc diem nunquam [2] isto in loco dixerim, & quantulumcunque

NOTÆ.

1. *Vir Perfectissime.*] Compellat præsidem Lugdunensis primæ, sub quo erat Ædvensis ditio. Nam ut præfectus urbi vir gloriosissimus dicebatur, præfecti prætorio per Illyricum, viri eminentissimi: vir spectabilis, Præfectus Ægypti: viri clarissimi, rectores provinciarum: sic Galliæ præses, vir perfectissimus dicebatur. Videri potest *l. 6. cod. de perfectissimatus dignitate.* Assentior autem potius Bucherio, præsidem illum fuisse Riccium, aut Ricciumvarum, quem vulgo Rictiovarum appellant, quam Alfordo, qui in libro suo *de Lucii Helenæ & Constantini patria & fide*, hunc præfectum fuisse Constantium Chlorum putat. Eo enim tempore quo dicta est hæc oratio Constantium non senatorem, aut ut ille ait, urbis præsidem, sed Cæsarem fuisse liquet ex hac oratione.

2. *Isto in loco*] Id est, in foro, ubi habita est hæc oratio, Augustoduni coram Viro Perfectissimo.

5 illud eſt quod labore ac diligentia videor conſecutus, exercere privatim quam in foro jactare maluerim, nunc demum ſero quodam tyrocinio ad inſolitum mihi tribunal aſpirem : a quo ego me fateor, quanquam mihi ſedes iſta juſtitiæ, [3] & ad agendum & ad dicendum ampliſſima videretur, dif-
10 fiſum tamen ingenio meo, ante hac abfuiſſe : & hoc ipſo in tempore quamvis diverſiſſimum a contentione litium genus orationis habiturum, conſcientiæ trepidatione revocari.

II. Ne quid igitur aut opinioni hominum dubium relinquam, aut interpretationi ex hac poſtulatione, quam de reſtituendis [1] patriæ meæ [2]
15 Menianis, mihi ſumendam potius quam cuiquam delegandam putavi, majus de me aliquid, quam poſſe me ſentio videar promittere ; conteſtatum eſſe initio dicendi apud audientes volo, [a] temporarium me dicendi munus, atque idipſum meis ſtudiis peculiariter commodare, non ad incognitam mihi ſectam [3] forenſium patronorum alienæ laudis cupiditate
20 tranſire. Neque enim tanta me aut negligentia, aut confidentia tenet, ut neſciam quanta ſit inter hanc aciem fori, & noſtra illa [4] ſecreta ſtudiorum exercitia diverſitas. Ibi armantur ingenia, hic [5] præliantur. Ibi [6] prælufio, hic pugna committitur. Hic plerumque velut ſudibus & ſaxis, illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur. Hic ſudore & quaſi pulvere ſordidus,
25 illic inſignis ornatu laudatur orator. Ut, ſi uterque experiundi cauſa officia commutent, [7] alium quidem tubarum ſonus & ſtrepitus armorum, [8] alium quidem triumphi deterreat.

INTERPRETATIO.

a *Me ad tempus* tantum *patronum agere.*

NOTÆ.

3. *Et ad agendum ampliſſima.*] Sumptum videtur illud ex initio orationis *pro lege Manilia*, atque ex ea, quæ *divinatio in Verrem* inſcribitur.

1. *Patriæ meæ.*] Æduenſis fuit, d'*Autun.* Auguſtodunum autem Æduorum metropolis fuit, orientem verſus a Sequanis Arari fluvio, occidentem verſus Ligeri ab Aquitanis ſeparata.

2. *Menianis.*] Meniana ſeu Mœniana ædificia dicuntur quæ projectiones quaſdam habent, ſeu tigna quædam ultra molem ædificii prominentia, ſic dicta a Menio cenſore, qui primus hanc ædificii formam invenit, cum ea conditione Catoni & Flacco Coſſ. domum ſuam vendidiſſet, ut ſibi columna reſtaret, cui tectum poſtea & tabulata impoſuit. Ex illo columna Menia appellata eſt, inquit Aſconius. Igitur probabile eſt ſcholas Auguſtodunenſes, de quibus agit Eumenius, habuiſſe ejus generis ἐξοχάς. An forte ſcholæ dictæ ſunt Mœnianæ, quod ad Mœnia urbis poſitæ eſſent? Certe illæ, ut ex variis ejus orationis locis colligere eſt, *erant in ipſo tranſitu advenientium in eam urbem, in præcipuo loco poſitæ, quaſi inter ipſos oculos civitatis, inter Apollinis templum atque capitolium.... Inde Athenarum conditrix Minerva. Hinc Apollo medius camenarum.... In ipſa civitatis fronte, in facie vultuque civitatis*, n. 9.

3. *Forenſium patronorum.*] Abhorruit Eumenius a forenſi ſtrepitu, & exercitatione.

4. *Secreta ſtudiorum.*] Quæ in ſcholis fierent.

5 *Præliantur.*] Acidalii & Livineii emendationem ſequor, in aliis editionibus eſt *præliatur.*

6. *Prælufio.*] Forte *prolufio.*

7. *Alium quidem tubarum ſonus.*] Fori & ſcholarum exercitationes comparantur.

8. *Alium quidem.*] In veteri manuſcripto

III. Scio hæc inquam, Vir Perfectiſſime, neque me ſciens fallo; & idcirco tantum abeſt ut me, relictis docendi præcipiendique rationibus, aptum atque idoneum putem, [a] ut[1] hoc ipſo, quod vel uno die, atque una de re in foro dicam, veniam magis poſſim ſperare quam gloriam. Quanquam in hac oratione, Vir Perfectiſſime, loci tantummodo inſolentia, non dicendi novitate perturber: ſiquidem id poſtulo quod non modo contradicendo nemo audeat impedire, ſed omnes potius quibus divina principum liberalitas, quibus urbis iſtius reſtitutio, quibus optimarum artium celebratio grata atque jucunda eſt, ſummo gaudio & favore ſuſcipiant, ut Menianæ illæ ſcholæ, quondam pulcherrimo opere, & ſtudiorum frequentia[2] celebres & illuſtres, [b] juxta cetera quæ inſtaurantur opera ac templa reparentur. Ita[c] quantum mihi trepidationis affert locus, tantum relevat cauſa dicendi. Quam quidem ego, Vir Perfectiſſime, [3] duas in partes arbitror dividendam, ut prius diſſeram; quam ſit ex uſu & officio opus illud ad priſtinam magnificentiam reformari: deinde qua ratione id poſſit ſine ſumptu publico, ex largitione quidem principum maximorum, ſed tamen cum aliquo meo erga patriam ſtudio & amore procedere.

IV. Ante omnia igitur, Vir Perfectiſſime, divinæ[1] imperatorum Cæſarumque noſtrorum providentiæ, ſingularique in nos benevolentiæ hujus quoque operis inſtauratione parendum eſt, qui civitatem iſtam, & olim[2] fraterno populi Romani nomine gloriatam, & tunc demum graviſſima clade perculſam cum latrocinio [3] Bagaudicæ rebellionis obſeſſa, auxi-

INTERPRETATIO.

a *Ut ob idipſum, quod ſemel & una de re in foro dicam, optare debeam, ut venia potius, quam ut laus mihi tribuatur.*

b *Reficiantur itidem alia opera.*

c *Sic quantum timoris affert locus, tantum me recreat orationis argumentum.*

NOTÆ.

quædam triumphi ſcena.

1. *Hoc ipſo*] Alii *hoc ipſum.*

2. *Celebres & illuſtres.*] Auguſtodunenſes ſcholæ, celebres erant vel Tiberii tempore: ſiquidem Tacitus Hiſt. l. 3 c. 43. dicit *nobiliſſimam Galliarum ſobolem, liberalibus ſtudiis ibi operatam.* Quod ad Auguſtodunenſem, non vero Auguſtoclivienſem civitatem referri debere, Lipſius in excurſu ad hunc locum probat multis validiſque rationibus contra Rhenanum.

3. *Duas in partes.*] Diſtributio, qua bifariam orationem dividit. In priori parte oſtendit Menianas ſcholas eſſe inſtaurandas: in altera vero id ſuis ſumptibus eſſe faciendum, atque in hoc opere decretam ſibi a Conſtantio penſionem eſſe impendendam.

1. *Imperatorum, Cæſarumque.*] Imperatores Diocletianus, & Maximianus: Cæſares vero Conſtantius, & Galerius.

2. *Fraterno pop Rom. nomine.*] De Æduis ſermo eſt, quos Tullius ad Atticum l. 1. ep. 19. *populi Romani fratres* appellat & Tacit. Annal. 11. *Primi Ædui ſenatorum in urbe jus adepti ſunt. Datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant.* Pan. 8. n. 2. *Ædui primi omnium inter illas immanes & barbaras Galliæ gentes plurimis ſenatuſconſultis fratres populi Romani appellati ſunt.* Poſſet id ſexcentis aliis locis confirmari.

3. *Bagaudicæ rebellionis.*] Non *Batavicæ* ut Rhenano placet, tunc enim Batavos Romanis amicos fuiſſe notum eſt, imo varias a Francis injurias, propterea

lium [4] Romani principis [5] irrogaret, non solum pro admiratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum attollere ac recreare voluerunt, ipsamque ruinarum ejus magnitudinem immortalibus liberalitatis suæ monumentis dignam judicaverunt, ut tanto esset illustrior gloria restitutorum
5 quanto ipsa moles restitutionis immanior. Itaque maximas pecunias, & totum, si res poscat, ærarium non templis modo, ac locis publicis reficiundis, sed etiam privatis domibus indulgent: nec pecunias modo, sed etiam artifices [6] transmarinos, & ex amplissimis provinciarum ordinibus [7] incolas novos, [a] & devotissimarum hyberna legionum, quarum invicta
10 robora, ne in his quidem quæ nunc cum maxime [8] gerunt bellis, requirunt, ut [9] commodis nostris studio gratiæ hospitalis operentur, & resides aquas, & novos amnes veluti aridis fessæ urbis visceribus infundant.

V. Ex quo manifestum est eos, qui [1] coloniam istam tot tantisque opibus totius imperii erigere atque animare statuerunt, vel præcipue sedem
15 illam liberalium literarum velle reparari, cui frequentiam honestissimæ juventutis, illustrato studiorum honore providerint. Cui enim unquam veterum principum tantæ fuit curæ, ut doctrinæ atque eloquentiæ studia

INTERPRETATIO.

a Et legiones sibi *addictissimas, quæ sunt in hybernis, ne nunc quidem* ad se *revocant, ad ea bella, quæ nunc gerunt: ut nobis commodent pro eo quod susceptæ a nobis sunt hospitio.*

NOTÆ.

quod Romano imperio fidi essent, accepisse, ne dum intulisse Romanis. Deinde quomodo eo Batavi penetrassent? *Bagaudæ* autem iidem qui seditiosi & latrones. *Bagauda* latrocinium, tumultus popularis, seditio. Prosper. *Eudoxius arte medicus, pravi sed exercitati ingenii, in Bagauda id temporis mota delatus ad Chunnos confugit.* Et *omnia pene Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere.* Salvianus l. 5. *Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris?*

4. *Romani Principis.*] Nempe Claudii Aug. hujus nominis secundi, cujus opem Ædui a Bagaudis obsessi implorarunt. At is Gotthico bello intentus suppetias eis venire cum non potuisset, ipsi post septem mensium obsidionem, urbem suam Bagaudis eorumque Duci, cui Tetrico nomen, aperire necesse habent. Ex quo loco colligo Bagaudas non Maximiani primum tempore adversus Romanos conjurasse.

5. *Irrogaret.*] Malim *invocaret*, aut *imploraret*, ut ad libri sui oram notat vir doctissimum Bongarsius.

6. *Transmarinos.*] Non arcessitos e Græcia, ut Lipsius putat ad locum Taciti supra dictum, sed ex Britannia ut manifestum est ex pan. 5. n. 23. *Devotissima vobis Æduorum civitas*, Augustodunum, *ex hac Britannica facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices, & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum & templorum instauratione consurgit.*

7. *Incolas novos.*] Idipsum Eumenius paneg. 8. n. 4. ad Constantinum: *Divus pater tuus civitatem Æduorum voluit jacentem erigere, perditamque recreare non solum pecuniis ad calendaria largientis & lavacris, sed & metœcis* (id est incolis novis) *transferendis.*

8 *Gerunt.*] Alii *egent.* Alii *vigent.*

9 *Commodis nostris.*] Eumenius pan. 5. n. 9. *Arat ergo mihi nunc Chamavus. Et Frisius, & ille vagus, ille prædator exercitio squalidus operatur &c.* Id est, qui ante urbem diripuerant, jam ei instaurandæ manus admovent.

1. *Coloniam.*] Id est, incolas novos de quibus in superiore capite. Colonia vero

florerent,

florerent, quantæ his optimis & [a] indulgentissimis dominis generis humani? Quos ego quidem, [3] quantum ad votum pietatemque pertinet, liberorum nostrorum parentes appellare non dubito: qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum, interitu summi doctoris orbatam, respicere dignati, suo potissimum judicio præceptorem ei moderatoremque 5 tribuerunt, & inter illas imperatorias dispositiones [4] summis reipublicæ gubernandæ [a] provisionibus occupatas, literarum quoque habuere dilectum: neque aliter quam si equestri turmæ, vel cohorti prætoriæ consulendum foret, quem potissimum præficerent sui arbitrii esse duxerunt, ne ii quos ad spem omnium tribunalium, aut interdum ad stipendia [5] cognitionum sacrarum, aut fortasse ad ipsa [6] palatii magisteria provehi oporteret veluti repentino nubilo in mediis adolescentiæ fluctibus deprehensi incerta dicendi signa sequerentur.

VI. In quo ego, Vir Perfectissime, nihil laudi meæ tribuo, sed domini nostri [1] Constantii vere [2] Principis juventutis, incredibilem erga juventutem Galliarum suarum solicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo, qui honorem literarum hac quoque dignatione cumulavit, ut me, filio

INTERPRETATIO.

a *Negotiis.*

NOTÆ.

proprie oppidum est, in quod Romani magistratus ex urbe cives traduxerunt, vel quod absque traductione illa coloniarum jure donatum erat. Coloniarum aliæ Latinæ, aliæ civium Romanorum, aliæ ex utrisque conflatæ.

2. *Indulgentissimis dominis.*] Diocletiano & Maximiano Augg.

3 *Quantum ad votum.*] Modus loquendi Eumenio familiaris. Sic infra n. 11. *Hoc ego salarium, quantum ad honorem, adoratum accipio.* Et mox n. 16 *Quamobrem ut dixi sexcena illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportere censeo.*

4 *Summis reipublicæ.*] Rhenani & Livineii editionem sequor in aliis est, *longe majoribus summis.*

5. *Cognitionum sacrarum.*] *Cognitores sacri*, seu *judices sacrarum cognitionum* dicebantur judices aulici, sive in suis tribunalibus, sive in consistorio principis: quales erant præfectus prætorio, ejus vicarius, magister officiorum, quæstor, comes sacrarum largitionum, comes rerum privatarum & una cum principe controversias imperii dirimerent.

6. *Palatii magisteria.*] *Magistri* scriniorum, libellorum, admissionum, epistolarum, officiorum, & alii omnes, quibus in imperatoris aula munus erat aliquod, *magistri* vocabantur. Ausonius de Tiberii Victoris Burdegalensis professoris schola. *Mille foro dedit hæc juvenes: bis mille senatus adjecit, numero purpureisque togis. Me quoque &c.*

1. *Constantii.*] Non *Constantini* ut male aliqui legunt.

2. *Principis juventutis.*] Nullam potestatem hac appellatione indicari nemini opinor non notum, sed dignitatem tantum quandam, qua imperatorum filii, aut eorum qui ad spem educarentur imperii, adolescentia cohonestabatur. A Caio & Lucio Agrippæ filiis, quos Augustus adoptatos consules designarat nomen illud ad alios translatum est. Sic Tiberius Augusto vivente, sic sexcenti alii Cæsares dicti sunt & principes juventutis. Hoc sensu Constantius Cæsar princeps juventutis dicitur: præterea & quod præcipuam educandæ

potius meo ad priſtina mea ſtudia aditum molientem, ipſum juſſerit diſciplinas artis oratoriæ[a] retractare, & hoc mihi munus injunxerit, ut mediocrem quidem pro ingenio meo naturaque vocem, cœleſtia tamen verba, & divina ſenſa principum prolocutam ab arcanis ſacrorum penetralium ad privata
5 Muſarum adyta tranſtulerit; non utique quia mihi, quem, quod ſine invidia dixerim, tanta dignatione reſpicit quanta pro ſummis honoribus debet ſufficere ſapienti, vellet aliquid impoſita iſta profeſſione detrahere: ſed ut profeſſioni ipſi ex eo honore quem geſſi adderet dignitatem. Cui igitur dubium, quin divina illa mens Cæſaris, quæ tanto ſtudio præceptorem
10 huic conventui juventutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum inſtaurari atque exornari velit, cum omnes omnium rerum ſectatores atque fautores parum ſe ſatisfacere voto & conſcientiæ ſuæ credant, ſi non ipſarum quas appetunt[3] gloriarum templa conſtituant.

VII. Inde eſt quod Athenienſis humanitas[1] aram miſericordiæ in-
15 ſtituit, quod[2] Romani ducis animi magnitudo templum virtutis & honoris. Quarum enim artium, ſive animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuerit, earum conſecrata exiſtere ad poſteros monumenta voluerunt. Ædem[3] Herculis Muſarum[4] in circo Flaminio[5] Ful-

INTERPRETATIO.

a *Iterum profiteri.*

NOTÆ.

juventutis curam gereret.

3. *Gloriarum &c.*] Vox priſcis bonæ latinitatis temporibus aut nunquam aut raro in numero multitudinis uſurpata: ſed apud poſterioris ævi ſcriptores haud infrequens, ſic *glorias*, *pacibus*, *ſpebus &c.* legas paſſim in panegyricis.

1. *Aram miſericordiæ.*] Celebrata illa apud Claudianum ara, de bello Gildonico v. 404. *Si flentibus aram & proprium miſeris numen poſuiſtis Athenæ.* Et apud Statium Thebaid. l. 12. 481. *Urbe fuit media nulli conceſſa potentum ara deum, mitis poſuit clementia ſedem, & miſeri fecere ſuam.* Hanc aram, inquit Joan. Bap. Pius Annot. Poſter. ſylloge 3. c. 47. arbitror id aſylum fuiſſe, quod ex Athenienſium conſenſu poſteri Heraclidæ excitarunt, qui adverſum habentes patris culpa omne mortale genus, ob impotentiam Herculis poſt ejus obitum dedicaverunt, nepotes videlicet Herculis, miſericordiæ aram, ut eo pacto ſe defenderent, qui viribus inæquales non poterant ſe tutari.

2. *Romani ducis.*] Acidalius inducit vocem *ducis*, ut latior ſit ſententia, & ad omnes Romanos æque pertineat. Quid ſi tamen retineatur? Alludet ad Marcellum de quo Val. Maximus c. 1. & Tullius 2. de nat. deorum, n. 61. *vides virtutis templum, vides honoris, a M. Marcello revocatum &c.*

3. *Herculis Muſarum.*] Non *Herculis & Muſarum*, ut Acidalio placet. Hanc enim connexionem expunctam eſſe in emendatis codicibus notavit *Lævinus Torrentius in Suetonium.* Et vero ſublata eſt apud Macr. l. 1 Satur. c. 12. *Nam Fulvius*, inquit, *Nobilior in faſtis, quos in æde Herculis Muſarum poſuit, Romulum dicit &c. Ovid. de arte. l.* 3. 169. de hoc templo. *Herculis ante oculos virgineumque chorum.* Hercules, cui templum illud dicatum fuit, dictus eſt *Muſagetes* hoc eſt, Muſarum inductor.

4. *In circo Flaminio.*] Romæ fuerunt 3. circi celeberrimi 1. Circus Maximi, inter Palatium & Aventinum. 2. Circus Flaminius qui & *Apollinaris.* 3. Circus Neronis, in Vaticano.

5. *Fulvius ille Nobilior.*] An. V. C. 566. de Ætolis triumphavit, & triennio poſt ex cenſoria pecunia ædem Herculi dedicavit, in qua Muſarum ſigna quæ ex capta Am-

vius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis, & [6] summi poetæ amicitia duceretur; sed quod in Græcia cum esset imperator, acceperat [7] Herculem, Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum: idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camenarum, ex [8] Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi 5 numinis consecravit; ut res est, quia mutuis opibus & præmiis juvari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis; & virtus Herculis voce Musarum.

VIII. Credo igitur tali [1] Cæsar Herculius & avi Herculis, & Herculii patris instinctu tanto studium literarum favore prosequitur, ut non 10 minus ad providentiam numinis sui existimet pertinere, bene dicendi quam recte faciendi disciplinam; & pro divina intelligentia mentis æternæ sentiat literas omnium fundamenta esse virtutum: utpote continentiæ, modestiæ, vigilantiæ, patientiæ magistras: quæ universa cum in consuetudinem tenera ætate venerunt, omnia deinceps officia vitæ, & ipsa quæ diver- 15 sissima videntur, militiæ atque castrorum munia [a] convalescunt. Ideoque his, omnis industriæ atque omnis laudis nutricibus, aut, ut verius loquar, matribus, cum præceptorem Cæsar Herculius declarare dignatus sit: necesse est etiam [2] sedem propriam cupiat reformari, ut cum ad antiquam firmitatem cultumque reparata sit, multo [3] hic justius & verius nun- 20 cupetur ædes Herculis atque Musarum.

INTERPRETATIO.

a *Reflorescunt.*

NOTÆ.

bracia Romam attulerat, sub tutela Herculis consecravit. Hæc passim habent histor. Romanæ scriptores. Quod autem *Suetonius in Augusto c.* 20. ædem Herculis Musarum a Marcio Philippo extructam esse ait, sicut & quod Ovid. Fast. l. 6. 797. *Dicite Pierides quis vos adduxerit isthuc, cui dedit invictas victa noverca manus: sic ego, sic Clio: clari monumenta Philippi aspicit, unde trahit Martia casta genus.* Intellige de Martio Philippo Augusti Vitrico, a quo non conditum quidem, sed instauratum est illud templum.

6. *Summi poetæ.*] Ennii, quem habuerat expeditionis illius comitem; ut testatur Tullius pro Archia poeta n. 27. *Jam vero ille, qui cum Ætolis Ennio comite bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubrias Musis consecrare.* Crediderim autem potius templum illud a Fulvio, non Herculi tantum, sed & Musis dedicatum, partim ut sibi, partim ut amico Ennio, quod Eumenius ait hoc loco Musarum alumno gratificaretur. Fortasse etiam quia Hercules olim, ut Plutarchus ait in Quæstionibus Romanis, Evandrum literas docuerat.

7. *Herculem, Musagetem.*] Alteram præterea causam affert, cur ædem illam voluerit Herculi, & Musis esse communem.

8. *Ambraciensi oppido.*] Ambracia urbs Epiri non obscura, ad sinum Ambracium ab ea denominatum.

1. *Cæsar Herculius.*] Id est, Constantius, qui a Maximiano Herculio Cæsar factus, ejus nomine dictus est quoque Herculius. Quod confirmat Tristanus ex numo vetere in commentariis historicis.

2. *Sedem propriam.*] Id est, scholas Menianas.

3. *Hic justius.*] Lege potius *huc*, ut emendat Acidalius.

IX. Et sane, Vir Perfectissime, interest etiam gloriæ quam tanti principes tot victoriis ac triumphis merentur, ut ingenia quæ canendis eorum virtutibus excoluntur non intra privatos parietes, sed [a] in publica ostentatione, & in ipso urbis istius ore vegetentur. Quid autem magis in facie vultuque istius civitatis situm est, quam hæc eadem Meniana, in ipso transitu advenientium huc invictissimorum principum constituta? Qui cum se occursu lætæ juventutis affici, non solum liberalitate quam ipsi tribuunt, sed etiam literis, quibus me ad institutionem ejus cohortantur ostendant; quanto plus capient voluptatis cum [1] reparatum videant ipsum conciliabulum juventutis? Ad hoc, Vir Perfectissime, opus istud reddit illustrius, & cum ipsorum Cæsarum, tum etiam omnium hominum aspectui promptius, quod præcipuo est loco positum, quasi inter ipsos oculos civitatis, [2] inter Apollinis templum atque Capitolium. Quo magis est etiam sacrosancta sedes, utriusque lateris veneranda confinio, utriusque late numinis instauranda respectu, ne fana, longe omnium in hac urbe pulcherrima, [3] labes media deformet; præsertim cum mihi videatur ipse ille qui Meniana hæc primus extruxit, idcirco ea illic potissimum collocasse, ut veluti cognato vicinorum sibi numinum tenerentur amplexu, cum angustissima tecta literis dedicata inde Athenarum conditrix [4] Minerva conspiceret, hinc Apollo medius Camenarum.

X. Igitur ibi maxime & oportet & fas est exercere juventutis ingenia ubi tam propinqua sunt numina amica doctrinæ, ubi ex proximo juvat [1] mens divina sapientiam, & carminum deus vocem, & verecundiam [2] virgo perpetua, & providentiam [3] præscius futurorum. Ibi adolescentes

INTERPRETATIO.

a *In publica luce & in medio hujus urbis aspectu exerceantur.*

NOTÆ.

1. *Reparatum videant.*] Pro *viderint*: sic paneg. 2. n. 13 *Hi* (Imperatores) *cum primum redeant ad te* (Romam compellat) *triumphantes, uno cupiunt invehi curru*, id est, cum primum ad te redierint.

2 *Inter Apollinis templum.*] Æduenses plurimum colebant Apollinem, sed & Augustoduno, itidem ut multis aliis urbibus municipalibus, instar Romæ suum capitolium, sui aquæductus, suus circus erat, cujus extant hodieque vestigia.

3. *Labes media.*] Ædificium deforme.

4. *Minerva.*] Sapientiæ & bonarum artium dea, ex Jovis, ut fabulantur, cerebro, unde armata prosiliit sine matre, procreata. Hanc inter, Neptunumque de dando Athenis nomine, lite orta, visum est diis, ut ab hujus nomine appellarentur, qui utilius hominibus donum procudisset. Itaque percusso litore Neptunus equum bello aptum, oleam vero pacis insigne hasta impacta protulit Minerva, cui statim adjudicata causa, & quia illa Ἀθηνᾶ, dicebatur dictæ sunt Ἀθῆναι.

1. *Mens divina.*] Id est, Jovis mens, pan. 9. n. 2. *Habes profecto aliquod cum ipsa mente divina, Constantine, secretum.*

2. *Virgo perpetua.*] Minerva, quæ Vulcani nuptias constanter repudiasse, & virginitatem perpetuo illibatam servasse fertur. Unde & peculiari epitheto apud poetas *innupta* dicitur. Æneid. l. 2. 32. *Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.*

3. *Præscius futurorum.*] Apollo, quia &

optimi discant,[a] nobis quasi solenne carmen præfantibus, maximorum principum facta celebrare. Quis enim melior usus est eloquentiæ quam ubi, ante aras quodammodo suas, Jovios Herculiosque audiant prædicari Jupiter pater, & Minerva socia, & Juno placata? Satis me verborum fecisse arbitror, Vir Perfectissime, de eo quod mihi ad dicendum prius constitueram, quam sit ex usu atque officio instaurari opus illud studiis; quibus optimi principes maxime favent, dedicatum, in ipsa civitatis fronte positum, celeberrimis templis utrinque conjunctum. 5

XI. Nunc, quod[1] in secundum locum distuli, quemadmodum id sine sumptu publico, & cum laude sacræ largitionis fieri possit ostendam. [2] Salarium me liberalissimi principes,[3] ex hujus reipublicæ viribus in[4] sexcenis millibus nummum accipere jusserunt; non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo majora & prius & postea præmia contulerunt; sed ut tercena illa sestertia quæ[5] sacræ memoriæ ma- 10

INTERPRETATIO.

a *Nobis tanquam solenni carmine docentibus, quomodo summorum principum gesta sint celebranda.*

NOTÆ.

ipse augur fuit & augurum deus.

1. *In secundum.*] Transit ad alteram orationis partem, qua ostendit, quomodo sine sumptu publico scholæ refici atque instaurari possint. Sublata autem vocula emendavi locum hunc, multos ea in re secutus interpretes, quibus itidem ut mihi visa est una dictio abundare, sic erat in aliis. *In secundum eundemque locum distuli.*

2. *Salarium.*] Proprie Tribunorum militarium & ducum annona, sed & de stipendio ceterorum militum, atque adeo de quavis mercede dictum. Ita vero appellatum, inquit Plinius l. 31. c. 7. *quod ita necessarium sit, ut homini sal*, vel quod salaria percipientes inde se alerent.

3. *Ex hujus reip. viribus*] Non *juribus* ut aliqui legunt, extat enim Imp. Constantii, qui nepos hujus nostri Constantii fuit, l. 1. cod. de præbend. salar. *Nulli salarium tribuatur ex viribus reip. nisi qui iubentibus nobis specialiter fuerit consecutus.* Et vero mox n. 4. sub finem literarum Constantii. *Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummum reip. viribus consequi volumus.*

4. *Sexcenis millibus nummum.*] Sexcena millia nummum, ac sexcenta sestertia, non differunt, Sestertius enim, & nummus idem fuit apud Romanos: & ad nostratem monetam si revocetur 10. denarios conficit Sestertium vero in neutro, mille sestertiis numis valebat, ideoque monetæ nostræ 43. libris francicis, & 15. solidis respondebat. Igitur subductis calculis sexcenta sestertia, 26250. libris Francicis valebunt. Quod salarium ita amplum nonnullis visum est, ut Alciatus in parergis suis *accipere in sexcenis* dicat esse accipere annuum reditum, qui confici posset ex ea summa, si fœnori daretur; & Casaubonus in Suetonii Othone c. 4. pro *sexcentis* legat *sexagenis*, id est 2625. libris Francicis. At meminerint illi Eumenium haud vulgarem magistrum fuisse, sed sumptum ut ipse ait ex palatio, ubi magister sacræ memoriæ fuisset: pro quo officio media hujus summæ pars ipsi penderetur. An vero cuiquam verisimile fit, hominem in ea dignitate constitutum, triginta tantum sestertia pro salario accepisse? Quid, quod editiones omnes habent *sexcenis* pro *sexagenis*.

5. *Sacræ memoriæ magister.*] Sacræ memoriæ magistri qui & *Memoriales* dicebantur, præerant libellis & epistolis & peragendis, implendis, signandisque rescriptis & responsis sacris, id est, principalibus. Patet ex l. 11. cod. Th. de extraord. sive sordidis mun. & in epist. 55. Dioscorus ad Augustinum. *Zenobius magister memoriæ factus est.* Memini etiam me legere apud Marcellinum lib. 27. de quodam Rustico Juliano, qui cum magister memoriæ esset, a Gallis ad

gister acceperam, in honore privati hujus magisterii addita pari sorte geminarent. Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet,[6] adoratum accipio, & in accepti ratione perscribo: sed expensum referre patriæ meæ cupio, & ad restitutionem hujus operis, quoad usus poposcerit, destinare.
5 Cujus voluntatis meæ ratio etsi asserenda non est, tamen sub hac tua humanitate, & circunstantium expectatione, qua me audiri sentio, aliquatenus prosequenda est.

XII. Nam primum omnium, in hoc ego maximos esse fructus præmiorum puto, ut digni quibus tribuantur habeamur: siquidem ipse usus
10 pecuniæ, bonis malisve artibus partæ promiscuus & vilis est; honestis vero rationibus posse acquirere summum, etiamsi quæstum remiseris, lucrum est. Neque enim [1] Syrus mercator, aut [2] Deliacus, aut Indicus ad uberrima ista compendia laudis aspirat; sed raræ atque inter paucissimas opes sunt contentæ meritis conscientiæ. Quippe hoc ipso præmii gloria con-
15 tinetur, ne id cupiditate quærendi affectasse videamur! Quod hoc uno assequi possumus, si pro accepto ducamus oblatum: ut industriæ sit [3] ad sumendi copiam pervenire potuisse, continentiæ præteriisse.

XIII. An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore, atque etiam vitæ periculo solam [1] vocem præconis, & coronæ testimonium
20 petunt, ego verba illa divina, cœlestesque literas, quibus mihi tanti principes instituendam juventutem commendare dignati sunt, non ultra omnium [2] vocum potentiam venerabundus accipiam? non ultra omnes laureas colam? Quas ego, Vir Perfectissime. Tametsi hanc quoque mihi veniam tribuas oportet. [a] Neque enim fas ipsius epistolæ sacræ com-
25 memorationem solam sine obsequio recitationis inducere; ut ea perlecta magis eluceat quantum me studium par sit impendere non ipsis modo literis, sed etiam templis ac sedibus literarum.

XIV. Merentur & Galli nostri ut eorum liberis, quorum vita in [1] Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes,

INTERPRETATIO.

a *Neque enim licet sacram epistolam commemorare solum, nisi præterea illam reverenter recitem.*

NOTÆ.

imperium poscebatur, decumbente Valentiniano.

6. *Adoratum.*] Non *adoratum* ut Balduino placet, non *oblatum* ut vult Delbenius. Malim *adoratum*, id est, ut mox ait, venerabundus *accipio*. Illud ipsum dicit n. 16. sed paulo clarius. *Sexcena illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportere censeo, atque usum delego patriæ, & ipsi potissimum operi, in quo opera nostra celebranda sunt.*

1. *Syrus Mercator.*] Syri populi serviles, lucri & quæstus avidi ac mercaturæ nati. Hi autem ad mare Mediterraneum incolunt. Dictum est supra de Syria, pan. 2. n. 7.

2. *Deliacus.*] Delos insula maris Ægei, prima inter Cycladas, Apollinis, & Dianæ natalibus nobilitata, *Sdilles*. De *India* regione Asiæ notissima dicetur alio loco.

3. *Ad sumendi &c.*] Alii una voce legunt *adsumendi*. Ego vero Livineii emendationem sequor.

1. *Vocem præconis.*] Qua victor proclamaretur.

2. *Vocum potentiam.*] Facile adducar ut cum Acidalio legam *vocum præconium*.

1. *Augustodunensium.*] In veteribus exemplaribus erat, inquit Balduinus, *in Augusto oppido*, tum ad marginem libri addi-

qui hilari consensu [a] meum suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his quam illud conferre debemus quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Unde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cujus eloquentiam, & gravitatem morum, ex [2] actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur ut professionem oratoriam [3] repetas, atque in supradicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcenis millibus nummum ex reipublicæ viribus consequi volumus; ut intelligas meritis tuis etiam nostram constituere clementiam. Vale Eumeni carissime nobis.

XV. Ita non videtur tibi, Vir Perfectissime, hac tantorum principum exhortatione, non solum meus ex otio jacens ad pristinas artes animus attolli, verumetiam ipsi quodammodo veterum scholarum parietes & tecta consurgere? quod enim tantum carmen [1] Amphioni, quæ tanta plectro fidibusque dulcedo, quam secuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvecta modulis, & ad intervalla carminum resistentia sponte murum velut arte construerent: quanta in his Imperatorum & Cæsarum literis inest ad omnes animorum impetus, effectusque rerum ciendos vis atque permotio, qui quod jubere possint suadere dignantur: & cum vel tacitas eorum ac vultu tenus significatas voluntates summi patris sequatur auctoritas, cujus nutum promissionemque firmantis, totius mundi tremor sentit; ipsi tamen ultro imperandi potestatem, cohortandi humanitate concilianti? Quinetiam laudibus incitant, gravitatem morum, dicendi facultatem sibi probatam & cognitam prædicantes: palatini honoris privilegium oratoriæ professioni salvum & incolume servantes. Quibus ego divinæ benignitatis illecebris, etiamsi omni sensu ante caruissem, ad quamvis profecto intelligentiam movere ac ducere. Siquidem

INTERPRETATIO.

a Itineris *mei comites esse voluerunt.*

NOTÆ.

tum pro glossemate *Flaviensium*, quod subinde receptum est in contextum, & quidem mendose in aliquot editionibus ubi legitur *Cliventium*, quod tamen acerrime retinet Rhenanus. Similiter cum in antiquis libris legeretur *meum comitatum*, posteriores editiones ita habent: *meum Constantii Cæsaris comitatum*, quædam etiam, *meum Constantii Cæsaris ex Italia redeuntis comitatum*, quæ voces quin e margine in contextum translatæ sint, minime dubium.

2. *Actus nostri.*] Id est, ex administratione magisterii sacræ memoriæ. Quid si cū Balduino legā, *in actis nostris, & administratione*?

3. *Repetas.*] Malim *receptes*: neque enim crediderim Eumenium ante acceptam hanc a Cæsare epistolam, professionem oratoriam exercuisse.

1. *Amphioni.*] Amphion Jovis, & Antiopes filius, citharæ, quam a Mercurio

tantos principes unum hominem tanta laude decorare, non est oratorem admonere, sed facere.

XVI. Quid igitur mihi cum numerata pecunia? imo quid cum ullis opibus aut [1] Midæ regis, aut [2] Crœsi, aut ipsius qui auro dicitur fluxisse
5 [3] Pactoli, cum divina hæc testimonia omnibus divitiis, atque ipsis eorum præmiis anteponam? Nisi forte Pythiados illius excellentem [4] Socratis sapientiam vaticinatæ aut magnificentius carmen videtur, aut verius quam quod Jovii Herculiique pronunciant, quorum ne nutus quidem possunt, non modo dicta, revocari. Quamobrem, ut dixi, Vir Perfectissime,
10 sexcena illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportere censeo, atque usum delego patriæ, & ipsi potissimum operi, in quo studia nostra celebranda sunt. Videor enim mihi id quod sacris literis continetur, [5] ut salvo honoris mei privilegio doceam, hoc manifestius atque illustrius retenturus, ut me dignum talibus æternorum principum judiciis probem amore
15 reipublicæ. Equidem, ipsos patriæ deos testor, tanto me civitatis istius amore flagrare, ut, quocunque oculos circumtuli, ad restitutionem operum singulorum ita gaudio ferar, ut spiritum identidem meum pro illorum salute devoveam, quorum jussu opibusque reparantur. Sed tamen

NOTÆ.

acceperat, pulsandæ adeo peritus: ut Thebarum muros hac arte dicatur condidisse. Hor. poetica. 394. *Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis, saxa movere sono testudinis, & prece blanda ducere quo vellet.* Propert. l. 3. eleg 1. 43. *Saxa Citheronis Thebas agitata per artem sponte sua in muri membra coisse ferũt.*

1. *Midæ regis.*] Midas Gordii bubulci filius fuit, idemque Phrygiæ Rex locupletissimus, qui cum a Baccho, quem pro hospitio acceperat, beneficii loco obtinuisset, ut quidquid attingeret, porro in aurum verteretur: cum & ipsi, quos attingebat, cibi in aurum mutarentur, paulo quidem serius suæ illum pœnitere cœpit imprudentiæ. Quare jussus ab eodem Baccho in Pactolo fluvio se abluere pristino statui restitutus est. Ceterum ex eo tempore Pactolus auro fluere cœpit. De hac Fabula *Ovid. Metam. lib.* 11. 86.

2. *Crœsi*] Crœsus rex Lydorum fuit, omnium quos memoria celebrat ditissimus. Is Phrygiis, Mysiensibus, Thracibus, Caribus sexcentisque aliis populis profligatis felici sua fortuna in primisque immodicis opibus plus æquo inflatus, Cyro Persarum regi bellum infert, a quo Sardis victus captusque, atque igni damnatus: cum Solonis identidem nomen appellaret, sciscitanti Cyro, quid is tandem hominis esset? Atheniensem fuisse sapientem respondit, qui se olim admonuisset *mortalem ante obitum neminem dici beatum oportere*: quæ vox quam esset vera, nunc se demum intelligere. Quo audito Cyrus non solum homini pepercit, sed deinceps in pretio habuit. Ovid. 4. de Ponto, l. 4. eleg. 3. 37. *Divitiis audita est cui non opulentia Crœsi?* Et cum immensas opes significare volumus, statim Crœsi divitias dicimus. De eo vide apud Herodotum l. 1. 26.

3. *Pactoli.*] Pactolus fluvius Lydiæ notissimus, ex Tmolo monte per Sardianum agrum in Hermum fluvium influens, alio nomine *Chrysorrhoes* dicitur. De arenis ejus aureis passim apud poetas.

4. *Socratis.*] Philosophus fuit Atheniensis natus olymp. 78. Primus omnium philosophiam naturalem in moralem transtulit olymp. 86. Quo tempore divinum Platonem auditorem habuit, tumque Apollinis oraculo omnium sapientissimus est judicatus. Accusatus tamen quod & de diis male sentiret, & juventutem corrumperet, damnatus morte, cicutam bibere jussus est olymp. 95.

5. *Ut salvo honoris.*] Mihi temperare non potui, quin juxta Livineii, Acidalii, & Gruteri suspicionem, textum hunc haud

hoc

hoc, quod mihi ornandæ professionis meæ causa tributum est, huic me præcipue sentio debere monumento.

XVII. Etenim si bello parta [1] Marti dicantur, si mari quæsita [2] Neptuno; si messes [3] Cereri, si [4] Mercurio lucra libantur, [5] si [a] item rerum omnium ad cultum referuntur auctorum; ubi fas est docendi præmia con- 5 secrare nisi in sede dicendi? præsertim cum mihi ultra communem cum ceteris studiorum religionem etiam [b] proprius quidem sit, erga Meniana illa ex majorum meorum recordatione, dilectus? [c] quamvis enim, ante ingressum pueritiæ meæ, prætermissa fuerit eorum exercendi studii frequentatio, tamen illic [6] avum meum quondam docuisse audio, hominem 10 Athenis ortum, Romæ diu celebrem, mox in ista urbe [7] perspecto & probato hominum amore doctrinæ, atque hujus ipsius operis veneratione detentum. Cujus ego locum, in quo, ut referunt, major octogenario docuit, si ab isto venerabili sene, Te Glauce, appello præsentem, quem videmus, non civitate Atticum, sed eloquio, recoli ornarique perfecero, 15 ipsum mihi videbor ad vitam tali professionis suæ successione revocasse. Quod quidem meum ego erga honorem domus ac familiæ meæ studium non confiterer, Vir Perfectissime, nisi ipsis imperatoribus Cæsaribusque

INTERPRETATIO.

a *Si rependantur ad eos colendos a quibus eas acceperis.*
b *Peculiaris amor.*
c *Etsi enim priusquam pueritiæ tempus attigissem jam desierant studiorum professionem exercere.*

NOTÆ.

corruptum duabus mutatis voculis ederem: pro *ita salvo* restitui *ut salvo*, & mox pro *ut me*, lego *si me*, ut post Livineium emendat Gruterus.

1. *Marti.*] Junonem ferunt olim indignatam, quod Jupiter absque fœminæ commercio Palladem procreasset, vicissim sine viro floris unius contactu, quem in Oleniis campis in hunc usum ei Flora monstrarat, concepisse, & Martem peperisse, qui deus belli dictus est.

2. *Neptuno.*] Neptunus Saturni & Opis filius fuit, Jovis & Plutonis frater. Huic in totius orbis divisione maris imperium obtigit. Uxorem habuit Amphitriten Nerei filiam.

3. *Cereri.*] Ceres Saturni & Opis filia, frugum inventrix fuit. Ex ea Jupiter Proserpinam suscepit, quam a Plutone raptam, tædis in Ætna monte accensis, toto orbe quæsivit.

4. *Mercurio.*] Mercurius Jovis & Maiæ filius, ita dictus a mercibus, eo quod mercatoribus præsidere diceretur. Præter hunc tres alii fuere Mercurii. 1. Cœli & Diei filius. 2. Liberi & Proserpinæ. 3. Jovis & Cyllenes. Sed quæ ad singulos pertinent, solent ad unum Maiæ filium referri.

5. *Si item rerum omnium.*] Sensus quidem clarior fit, si cum Balduino legatur: *si item res omnes &c.* Vel si inferatur aliqua vocula: *si primitiæ rerum omnium* vel si: *fructus rerum omnium*, sed tamen quia, deest veterum codicum auctoritas, nihil muto.

6. *Avum meum.*] An. Glaucum ut mox indicare videtur *non civitate Atticum, sed eloquio*, id est, non modo civitate Atticum, sed eloquio. Hunc enim loquendi modum inferiore ævo frequentem esse ostendam n. 19. not. 3. Sensus etiam esse posset, non tam civitate Atticum, quam eloquio. Si neutro illo sensu id accipiendum est, Glaucum illum alium ab ejus avo fuisse oportet, quem civitate Atticum fuisse dixit.

7. *Perspecto & probato.*] Alii *perspectum probatumque.* Utrumvis elige.

V

nostris gratum esse considerem, ut publicam eorum in restituendo orbe pietatem [d] pro suo quisque captu in renovandis suorum vestigiis æmuletur.

XVIII. Quis enim nunc sit animo tam humili, tam abjecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, ut non & quantulamcunque memoriam suorum excitare, & sibi aliquid [a] secundæ opinionis cupiat acquirere? cum videat omnia, quæ [1] priorum labe conciderant, hac felicitate seculi resurgentia, tot urbes diu silvis obsitas, atque habitatas feris instaurari mœnibus, incolis frequentari: quod [2] in Ægæo mari semel contigit, ut quæ opertis fluctibus vagabatur, repente insula Delos existeret, ejus nunc simile tot orientibus undique civitatibus; tot insulis ad humanos cultus quasi renascentibus evenire. Nisi forte non gravior Britanniam ruina depresserat quam si superfuso tegeretur Oceano; quæ profundissimo [3] pœnarum gurgite liberata ad conspectum Romanæ lucis emersit: aut hæc ipsa quæ modo desinit esse barbaria non magis feritate Francorum velut hausta [4] desiderat, quam si eam circumfusa flumina & mare alluens operuisset. Nam quid ego alarum & cohortium castra percenseam toto Rheni, & Istri, & Euphratis limite restituta? Qua veris, autumnive clementia tot manu positæ arbores convalescunt, quo calore Solis tot depressæ imbribus segetes resurgunt, quot ubique muri vix repertis veterum fundamentorum vestigiis excitantur? Adeo, ut res est, [5] aurea illa secula, quæ non diu quondam Saturno rege viguerunt, nunc æternis auspiciis Jovis & Herculis renascuntur.

XIX. Sedenim, Vir Perfectissime, inter omnia quæ virtute principum ac felicitate recreantur, sint licet fortasse alia magnitudine atque utilitate potiora, nihil est tamen admirabilius hac liberalitate, quam fovendis honorandisque literarum studiis impartiunt. Quippe, ut initio dixi, nulli unquam ante hac principes pari cura belli munia, & hujusmodi pacis ornamenta coluerunt: diversissimus enim [1] ad utramque sectam deflexus est, dispar natura mentium, & discrepans in electione judicium, ipsorum denique utrisque artibus præsidentium numinum dissoni monitus,

INTERPRETATIO.

d *Pro tuo modulo.* a *Bonæ existimationis.*

NOTÆ.

1. *Priorum.*] Prope abfuit ut Balduinum secutus *bellorum* adderem in contextum aut *temporum*, hiare enim sententia videtur, sed deest boni codicis auctoritas.

2. *In Ægæo mari.*] Ægæum mare pars maris Mediterranei, Græciam ab Asia disterminans, ita ab Ægæo scopulo inter Tenedum & Chium teste Plinio dictum est. Hodie l'*Archipel*: in eo insulæ plurimæ, quæ Cyclades, & Sporades appellantur.

3. *Pœnarum.*] Alii *prædonum*, quod mihi quidem non improbatur, bella enim ejusmodi latrocinia plerumque vocat. Male vero Balduinus legit *Pictorum*, neque melius qui *Pœnorum* malunt.

4. *Desiderat.*] Forte *desederat.*

5. *Aurea illa secula.*] Ovid. Metam. l. 1. 89. *Aurea prima sata est ætas, &c.*

1. *Ad utramque sectam &c.*] Quo enim plus ad pacis hoc est ad literarum artes te conferes, eo te avertes magis a bellicis.

habitusque dissimiles. Quo magis horum nova & incredibilis est virtus & humanitas, qui inter tanta opera bellorum, ad hæc quoque literarum exercitia respiciunt, atque [2] illum temporum statum quo, ut legimus, Romana res plurimum terra & mari valuit, ita demum integrari putant, si [3] non potentia, sed etiam eloquentia Romana revirescat. 5

XX. Detur ergo, Vir Perfectissime, illa mihi ab optimis virtutum omnium dominis tributa largitio huic operi doctrinæ atque eloquentiæ [1] dedicato, ut quemadmodum cetera vitæ nostræ commoda apud auxiliatores eorum deos colimus, ita singularem eorundem erga literas dignationem in antiqua literarum sede celebremus. Videat prætcrea in illis porticibus juventus, & quotidie spectet omnes terras & cuncta maria, & quidquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum aut pietate restituunt, aut virtute devincunt, aut terrore. Siquidem illic, ut ipse vidisti, credo, instruendæ pueritiæ causa, quo [2] manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quidquid ubique fluminum oritur & conditur, quacunque se litorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit Oceanus. 10 15

XXI. Ibi fortissimorum imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diversa regionum argumenta [1] recolantur, dum calentibus semperque venientibus victoriarum nunciis revisuntur [2] gemina Persidos flumina, & [3] Libyæ arva sitientia, & [4] connexa Rheni cornua, & [5] Nili ora multifida; dumque sibi 20

NOTÆ.

2. *Illum temporum.*] Tangit beata Pompeii tempora, cum Romana respublica terra marique victorias reportabat.

3. *Non potentia*] Idest, *non potentia tantum, sed etiam eloquentia Romana*, ita Plinius paneg. n. 7. *Nec judicium hominum, sed deorum etiam in consilium assumpsit.* Et Juliani Paneg. qui undecimus est, n. 10. *Non privatas ædes, sed publica tecta:* pro, non privatas modo ædes: sed & infra n. 19. *nec viros quidem sed mulierculas*, id est, non viros modo.

1. *Dedicato.*] Non *dedicata* ut vult Balduinus, id est, pecunia mihi ab imperatoribus concessa, impendatur huic operi instaurando, id est resarciendis scholis, quæ doctrinæ & eloquentiæ dedicatæ sunt.

2. *Manifestius oculis.*] Nam ut ait Horat. de arte poetica 180 *Segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.* Nota autem Geographicas tabulas non Eumenii primum tempore prostitisse. Jam enim Alexandri ætate ejusmodi tabulas extitisse refert *Ælianus l. 3. var. c* 28. Et Varro lib. de re rustica: *Offendi*, inquit, *Fundanium socerum meum & C. Agrium equitem Romanum Socraticum, & P. Agrasium publicanum, spectantes in pariete pictam Italiam.* Apud Propertium l 4 eleg. 3. 37. *Cogor, & e tabula pictos ediscere mundos.* L. Annæus Florus initio historiæ suæ: *Faciam*, inquit, *quod solent, qui terrarum situs pingunt; in brevi quasi tabella historiæ imaginem amplectar.*

1 *Recolantur.*] Ad Geographiam discendam mirum quantum prosit Historia.

2. *Gemina Persidos flumina*] Tigris, & Euphrates, de quibus supra. pan. 3. n 6. not. 6.

3. *Libyæ.*] Quinquegentanas nationes intelligit, ita dictas a quinque civitatibus Cyrenis, Ptolemaide, Arsinoe, quæ & Teuchira, Darnis, & Berenice: singulæ enim in Libya.

4 *Connexa Rheni cornua.*] Virg. 9. Æneid. *Rhenusque bicornis.* Claud. de laud. Stilic. 1. 220 *Rhenumque minacem cornibus infractis adeo mitescere cogis.* Et in cons. Honorii, *Tempus erit cum te trans Rheni cornua victor*, quia enim Rhenus in duas partes se findit quæ cornuum veluti speciem referunt, dicitur *bicornis.*

5. *Nili.*] De Nilo celebri Ægypti flu-

ad hæc singula intuentium animus affingit aut sub tua, Diocletiane Auguste, [6] clementia, Ægyptum furore posito quiescentem; aut te, Maximiane invicte, perculsa [7] Maurorum agmina fulminantem, aut sub dextera tua, domine Constanti, [8] Bataviam, [9] Britanniamque squalidum caput silvis & fluctibus exerentem, aut te, Maximiane Cæsar, [10] Persicos arcus pharetrasque calcantem. Nunc enim nunc demum juvat orbem spectare depictum, cum in illo nihil videmus alienum. Habes, Vir Perfectissime, studii ac voti mei professionem. Abs te peto, ut eam literis tuis apud sacras aures prosequi non graveris. Siquidem maximus, ac pœne solus fructus est recta cupientium, ut voluntas eorum ad divinam tantorum principum scientiam perferatur.

NOTÆ.

vio dictum est in Plinii panegyrico n. 30.

6. *Clementia.*] Ne tamquidem. Nam interfecto Alexandriæ Achilleo Diocletianus acerbe victoria usus, totam Ægyptum gravibus proscriptionibus cædibusque fœdavit. *Eutrop. Euseb. in Chron. & Zonar.*

7. *Maurorum.*] De Mauris a Maximiano victis supra diximus in Maximiani vita.

8. *Bataviam.*] Unde Constantius Francos expulerat.

9 *Britanniamque.*] Quam idem Constantius decimo tandem anno recuperaverat.

10. *Persicos arcus.*] Intelligit Diocletiani de Narseo victoriam.

AD PANEGYRICUM V.

VITA

FL. VAL. CONSTANTII CHLORI.



Anno V. C. 1003. *Christi* 250. *Decii Aug.* 2.

FLAVIUS VALERIUS CONSTANTIUS, quem Aur. Victor *Julium* etiam appellat, cognomento CHLORUS, a voce Græca χλωρὸς flavus, seu quod vultu flavo esset, seu quod hujus coloris vestem puer gerere soleret; a Flavio Vespasiano Augusto genus duxit, a quo Flaviæ gentis nomen & insignia consecutus dicitur apud Trebellium Pollionem, si tamen ei fides haberi potest, qui Constantino ejus nepoti, cujus tempore historiam scripsit, ea in re fortasse adulari voluit. Ortus est patre Flavio Eutropio, nobili inter Dardanos genere, matre vero Claudia, Claudii Augusti, vel potius Crispi ejus fratris filia. Natus est in Illyrico, ut tradit *Aur. Victor.* 3. Kal. Mart. ut videre est ex *Kalendario Constantini.* Hoc anno Christi 250. ut ex ejus obitus tempore apparet.

An. V. C. 1025. *Christi* 272. *Aureliani Aug.* 3. *Constantii ætatis* 22.

Constantius *in primo ætatis flore*, inquit Eumenius pan. 7. n. 4. Constantinum genuit, quod ad annum hunc Christi 272. referendum esse liquet ex Constantini obitu. Helenam Constantini matrem fuisse tradunt historiæ ecclesiasticæ scriptores omnes & Justinian. 2. nov. constit. aliique. Eandem autem veram Constantii conjugem fuisse, contra Zozimum, Ethnicosque scriptores Græcos, pro suo erga Romanos, imprimisque Christianos imperatores odio utriusque pudori obtrectantes, probat locus panegyrici 6. n. 3. Ubi ejus auctor, quisquis est, instituta Constantium inter & Constantinum comparatione, *Neque enim*, inquit, *forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentant. Quo enim, magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres: novum jam tum miraculum, juvenis uxorius?* Quæ autem ratio illa fuisset laudandi Constantini, si, cum is ex Helena non legitimo matrimonio genitum se a Constantio probe nosset, continentiam patris æquare diceretur? Idipsum confirmant *Victor* & *Eutropius*, dum aiunt Constantium, ut cum Cæsaris nomine Theodoram, Maximiani privignam in

conjugem acciperet, priorem conjugem (nempe Helenam) repudiare coactum. Atqui repudiari non dicitur nisi quæ uxor est.

Utrum vero illa natione Bithyna fuerit, ut post Nicephorum probat Lipsius, an Drepani, aut Tarsi, aut Edessæ, aut Naissi nata; an Treverensis, ut ex *Constantio Porphyrogenito*, vetere manuscripto, *Marquardi Freheri* studio e palatina Bibliotheca eruto, *ex Berengosio l. 3. de invent. cruc. c. 2.* aliisque probant *Christ. Browerus & Jacob. Masenius in Annalibus Treverensibus*, & *Tristanus in comment. historicis*; an demum Britanna fuerit, ut fuse ad an. 306. probat Baronius, difficile sit statuere. Certe hanc postremam opinionem Michael Alfordus nostræ Societatis, in eo libro, quem *de Lucii, Helenæ, & Constantini patria & fide* scripsit, scriptorum tum Italorum, tum Hispanorum & Belgarum, tum Germanorum, seu veterum, seu recentiorum omnino septuaginta auctoritate confirmat. Quæ si valuerit opinio, cui profecto favere videntur panegyrici, ubi tam crebra tamque honorifica Britanniarum mentio est, contra vero tanta græcæ levitatis exprobratio, dicendum Helenam Coelli Britanniarum regis filiam anno Christi 247. natam fuisse: ejus nuptias in Britanniis anno Christi 271. celebratas, cum ad pacandam hanc provinciam ab Aureliano missus est Constantius: vixisse in summa integritatis, pietatis, & modestiæ, atque omni Christianæ virtutis laude: Nicænæ synodi tempore hoc est an. Christi 325. in Palæstinam profectam, ac reperta sequenti anno Hierosolymis Christi cruce, post relicta ibi pietatis suæ monumenta multa, Romam rediviffe, tandemque anno Christi 327. inter filii ac nepotum complexus 15. Kal. Sept. octogenariam obiisse. Eam a filio in Basilica SS. Martyrum Marcellini & Petri via Lavicana magnifice sepultam refert *Euseb. l. 3. de vita Const. c. 46. 47. & 60.* Ejus virtutes ab Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus plurimum commendantur.

An. V. C. 1037. *Christi* 284. *Carini Aug.* 1. *Const. ætat.* 34.

Constantius *Prætor primum, exin tribunus, postea præses Dalmatiarum fuit*, inquit Valesii Anonymus. Quo tempore duo priora munera gesserit incertum est. Postremo certe tanta cum laude sub Carino functus est, ut imperator, quantumvis natura ferox, de eo sibi subrogando cogitaret: quod nemo, inquit *Vopiscus in Carino*, tunc vir melior ipsi videretur.

An. V. C. 1044. *Christi* 291. *Dioclet. imp.* 8. *Maxim. imp.* 7. *Constant. ætat.* 41.

Neque minore in pretio apud Diocletianum & Maximianum fuit Constantii virtus. Hi enim postquam inter se Mediolani deliberassent, quemnam in toto imperio gerendorum bellorum undequaque imminentium socium adsciscerent, Constantium, ad id omnium maxime visum idoneum, Cæsarem faciunt Kal. Martiis. Pan. 5. n. 4. Quem ut Maximianus arctiori sibi vinculo conjunctum haberet, Theodoram privignam suam conjugem accipere coegit, repudiata priori uxore Helena. Suscepit autem ex Theodora, si Eusebio fides est, Constantium, qui Galli Cæsaris, & Juliani Apostatæ pater fuit, Dalmatium Dalmatii Junioris Cæsaris patrem, Annibalianum, quibus addunt aliqui alium Constantium: filias vero Constantiam, quæ postea Licinio Augusto nupsit, Eutropiam, Nepotiani conjugem, &, ut putant aliqui Anastasiam. Itaque Constantius jam Cæsar a socero suo Maximiano in Britannias adversus Carausium missus, *tanta celeritate in Gallias primum pervenit, ut omnes adventus sui nuncios præverterit*, pan. 5. n. 6 Eodem anno, ut indicare videntur panegyrici, Gesoriacum (Bononiam hodie dicimus) urbem terra marique a Carausii militibus validissime defensam obsidet. Ac ne obsessis auxilio venire posset Carausianorum classis, collocata non longe a Bononiensi portu, huius aditum congestis arborum molibus & ingenti saxorum strue occludit; donec illi auxilii spe amissa Constantio se dedunt: *ac potuisset illo virtutis & felicitatis impetu totum peragi continuo bellum, nisi ædificandis navibus dari tempus rei necessitudo suasisset.* Pan. 5. n. 7. Igitur conversis armis in eos *quos adiri continens terra permittebat*, Francos e Frisia & Batavia, quas depopulabantur, expulit; atque inde captivos multos ad Lingonum, Rhemorum, Tricassinorum, & Ambianorum agros excolendos transmisit, n. 8. & 9.

An. V. C. 1045. *Christi* 292. *Dioclet. imp.* 9. *Maxim. imp.* 8. *Const. ætat.* 42.

Post has in Gallia & Batavia relatas victorias Constantius Tribunitia ab imperatoribus potestate donatus, Britannicam expeditionem inchoaturus mari se committit, cum certa ut ei omnibusque videbatur, spe victoriæ. Sed *maris inclementia* tum forte coorta Constantini *victoriam fatali quadam necessitate distulit*, & Romanos *in re maritima novos*, in continentem Galliam re infecta redire compulit. Quare pacem cum Carausio iniri necesse fuit, ipsique remitti insulæ imperium. *Eutrop. Victor.*

An. V. C. 1046. *Christi* 293 *Dioclet. imp.* 10. *Maxim. imp.* 9. *Const. ætat.* 43.

Constantius expectabat donec melior oppugnandi Carausii sese offerret occasio: cum ecce nunciatur Carausium septimo ineunte tyrannidis suæ anno Allecti familiaris sui dolo interemptum, ut is sese in ejus locum, uti fecit, intruderet. Tum primum Constantio nova spes affulsit recuperandæ Britanniæ. Itaque *Asclepiodotum* (inquit A. Victor.) *qui prætorianis præfectus erat, cum parte classis & legionum* adversus novum tyrannum *præmittit*, cum reliquis copiis ipse subsecuturus. Asclepiodotus beneficio spissioris nebulæ inimica classe, quæ apud Vectam insulam in speculis & insidiis collocata erat, caute evitata, feliciter in Britanniam appellit. *Simul universis navibus ignes injicit ut nullo fuga suæ præsidio reservato, in sola victoria spem ponerent.* Pan. 5. n. 15. Allectus audito nuncio adventus Constantii *ab eo litore* (fortasse Rutupino) *abscedens, classem portumque deseruit*, sed mari Constantium *fugiens*, terra *in Asclepiodotum incidit*, a quo victus interfectusque est, *& cultu illo, quem vivus assumpserat, sponte deposito*, inter cæsorum hostium acervos, *vix unius velaminis repertus indicio*. Barbari complures, in primisque Franci, ex prælio Londinum se recipiunt; fugissentque direpta urbe copiosissima, nisi a Constantii militibus oppressi cecidissent. Constantio in litus egredienti Britanni cum plausu & acclamatione sese cum conjugibus & liberis offerunt, ac libertatis suæ vindici gratulantur. Hac victoria non recuperatæ modo post decem annos Britanniæ, sed Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, atque Africæ a piratarum incursionibus liberatæ. Missi inde artifices ad Galliarum urbes; in primis ad Æduensem urbem, Bagaudarum grassationibus afflictam reficiendam. Constantius *Francicus* & *Germanicus* appellatur, ut observat Onufrius Panvinius l. 2. Fastorum. Dictum etiam esse *Herculium* a Maximiani soceri sui nomine, notat Tristanus ex veteri numo.

An. V. C. 1047 *Christi* 294. *Dioclet. imp.* 11. *Maxim.* 10. *Const. ætat.* 44.

Hoc anno Constantius fit consul. Galerio Maximiano Armentario collega.

An. V. C. 1049. *Christi* 296. *Dioclet. imp.* 13. *Maxim.* 12. *Const. ætat.* 46.

Britannico bello confecto, ac Britanniis Allecti nece, Galliisque in diuturna pace, ut quidem videbatur, constitutis: Franci nondum tot acceptis cladibus fracti, iterum Rheno, qui tum glacie constrictus erat, trajecto Bataviam insulam occupant. Itaque hos Constantius hoc anno secundum consul repente adortus ad deditionem compulit. Interim Alamanni in Rhætiam, Helvetiam, Rauracos, Noricum, Vindelicos, Sequanos, cum regibus suis Ascarico & Regaïso, incursionem facientes ad Lingonas usque penetrant. Actum erat de tota Gallia, nisi Constantius hoc nuncio excitatus cum parte exercitus accurrisset. At is die una, inquit *Eutropius*, adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repente barbaris ingruentibus, intra civitatem Vindonensem aut Lingonensem recipere se vellet, sedulo clausis ne hostes irrumperent urbis portis, demissis funibus in murum efferri necesse habuit. Constantius rei discrimine, ac vulnere accepto nihil deterritus, post quinque horas redintegrata pugna, *Alamannorum* post victoriam suam nihil tale metuentium 60. *fere millia cecidit*. Tum quæ ad præsidia disposita erant Rheni, Istri, & Euphratis restituit aliis etiam adjectis. Spiram condit, cui urbi nomen ab imperatoria cohorte datum. Tandem Claudiam Constantii matrem magnificentissimis exequiis sepelit.

An. V. C. 1053. *Christi* 300. *Dioclet. imp.* 17. *Maxim. imp.* 16 *Const. ætat.* 50.

Constantius consulatum tertium gerit, Galerio Maximiano collega

An. V. C. 1055. *Christi* 302. *Dioclet. imp.* 19. *Maxim. imp.* 18. *Const. ætat.* 52.

Fit consul quartum, eodem Galerio Maximiano collega.

An. V. C. 1057. *Christi* 304. *Dioclet. imp.* 21. *Maxim. imp.* 20. *Const ætat.* 54.

Diocletiano & Maximiano sese ultro imperii administratione abdicantibus, *Constantius* eodem die, nempe Kal. Aprilis, *cum Galerio* ex Cæsare *Augustus creatus est, divisusque inter eos Romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, & Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus. Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ solicitudinem recusavit. Vir egregius & præstantissimæ civilitatis, &c.* Eutropius Eodem tempore tradit Victoris epitome, *Constantinum* quoque *Cæsarem effectum esse.* Haud dubie a Constantio patre: cujus in locum videturSeverus esse intrusus.

An. V. C. 1058. *Christi* 301. *Const. imp.* 2. *ætat.* 55.

Constantius V. consul adversus Caledonios Pictosque parat exercitum.

An. V. C. 1059. *Christi* 306. *Const. imp.* 3. *ætat.* 56.

Constantio vela in Britanniam faciente repente Constantinus, qui obses a Galerio in Italia detinebatur, ad patrem accurrit. Picti, Caledoniique vincuntur. At non multo post Eboraci in febrim incidit Constantius. *Cui quidem & ob ceterorum filiorum ineptam indolem mœsto* Zonaras ait *angelum astitisse, qui iuberet ut Constantino relinqueret imperium.* Quod si verum esset, quomodo res tam singularis esset ab Eusebio prætermissa? Ut ut est, Constantius liberis coram astantibus, Constantinum qui reliquos ætate & virtutibus anteibat, hæredem imperii nominat, ac moritur. VIII. Kal. Aug. atque ibi tumulatur. *Eus. l. 1. c.* 15 Hanc Constantini electionem universi exercitus suffragio comprobatam ait Eumenius. Christianum fuisse Constantium non uno in loco indicat Eusebius. Christianis certe admodum favisse nemo nescit. Anno ætatis 56. obiisse tradit Nicephorus: ex quibus Eusebius XVI. imperii annos computat, videlicet ab eo tempore, quo Cæsaris nomen obtinuit. Cum autem Victor Schotti nostri 13. annos ejus principatus numerat, intelligit tempus quo Cæsar fuit.

Natione tantum, non specie corporis, non ingenio, non moribus barbarus fuit, quem sua modestia, prudentia, frugalitas, temperantia, castitas, & fortitudo evexerunt ad imperium. Quæ in eo virtutes hoc admirabiliores extiterunt, quod periculum esset ne pessimis imperatoribus, quibus gratiosum esse ejus fortunæ intererat, sua exprobrare vitia videtur. Opum contemptor, ac tanta in summo honorum fastigio moderatione: ut cum in partitione imperii Gallia, Africa, Italia ipsi obtigisset, sponte alteri, ut quidem ait Eutropius, Africa & Italia cessérit. Postremum eo etiam magnus, quod Constantinum magnum orbi dederit.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Dicit metum sibi dicenti afferre tum diuturnum silentium, tum auctam imprimis ab eo tempore imperatorum & Cæsarum gloriam, se tamen licet Constantini conspectu commoveatur, recreari non parum quod quæ olim coram illo dixerit prætermittere sibi hac oratione fas futurum sit,* n. 1. *Igitur incepturum ab Constantii adoptione,* n. 2. *obiter imperatorum & Cæsarum victorias perstringit,* n. 3. *Hæret in laudando Constantio de pacatis,* n. 4. *imprimis de Bononia capta,* n. 5. *De Chamavis, Frisiis, Batavis, aliisque populis domitis,* n. 8. *& ad incultas Galliarum partes incolendas abductis. De recuperata post decimum tandem annum Britannia,* n. 9. Quam necessaria *fuerit* expeditio *illa, tum quia nulla toto terrarum orbe præter hanc*

hanc regio pacanda supererat, n. 10. *propter suam amplitudinem & situm seditioni fovendæ aptissimum*, n. 11. *Tum propter Tyranni eas occupantis immensum robur*, n. 12. Quam fortiter *a Constantio* suscepta *fuerit*, n. 13. Quam feliciter confecta. *In transitu positæ in insidiis inimicæ classis insidias vitat. Simul in insulam appulit, ejus milites suis navibus, ut necesse sit vincere, ignes injiciunt. Allectus fugit*, n. 15. *abjectis, ne agnosceretur, regiis ornamentis: at Constantinum fugiens, in ipsius milites incidit a quibus occiditur*, n. 16. *In hac clade barbari innumeri concidunt, Romani vero omnino pauci*, n. 17. Quam utilis reip. fuerit hæc victoria, *per quam non recuperatæ modo Britanniæ, sed & ceteris imp. Romani oris securitas reddita*, n. 18. Quam gloriosa *Constantio, cujus triumphalis post hanc victoriam in Britannias ingressus describitur*. In fine. *Ad Imperatores orationem convertit, quibus nihil optandum dicit, nisi ut perpetuo tale sit imperium quale sua virtute effecerunt*, n. 19.

EUMENII PANEGYRICUS CONSTANTIO CÆSARI.

I. [a] SI mihi, Cæsar invicte, post diuturnum silentium sola esset vincenda trepidatio, qua rudimenta quædam vocis meæ rursus experior, haud immerito me ultra quam ætas, & quantulacunque studii mei ferret opinio perturbari confiterer, præsertim cum apud majestatem tuam divina virtutum vestrarum miracula prædicarim. [b] Quo in genere orationis quanta esset cura, quantus labor, quam solicita veneratio, sensi etiam cum in quotidiana illa instituendæ juventutis exercitatione versarer. Quamvis enim prima tunc in renascentem rempublicam patris ac patrui tui merita [1] licet dicendo æquare non possem, possem tamen recensere numerando. Sed cum ex vetere illo curriculo me, aut inter adyta Palatii vestri, alta quædam sermonis arcani ratio demoverit, aut, post indultam a pietate vestra quietem, studium ruris abduxerit; & vos interim nullum ulciscendæ augendæque reipublicæ vacuum tempus amiseritis; cum tot postea

Interpretatio.

a *Si mihi dumtaxat superandus esset metus quicum rudem quandam* coram te *orationem iterum aggredior: merito faterer me commoveri plusquam patiatur ætas, & quantulacunque est peritia mea existimatio.*

b *Ad quod genus orationis quanta* opus *esset exercitatione.*

Notæ.

1. *Licet dicendo*] Locum hunc haud dubie corruptum ita emendavit Livineius *merita dicendo æquare non possem, poteram tamen &c.* pro qua conjectura facit Bertiniensis codex. Sensus erit: Olim quidem vel cum in quotidiana instituendæ juventutis exercitatione pro imposito mihi a te munere versarer, sentiebam quam difficile esset hoc

virtute vestra partæ victoriæ, tot excisæ undique barbaræ nationes, tot [a] translati sint Roma cultores, prolati limites, tot provinciæ restitutæ; hæreo prorsus & stupeo, & præter illam ex otio meo tarditatem tanta rerum mole deterreor, [c] nisi [1] hoc uno nitar hortatu, quod ex quantacunque desidia, quamvis maxime orationi imparem, [4] parem facit Cæsar auditor, [d] præsertim cum favente numine tuo ipse ille jam pridem mihi, qui in lucem primus eduxit, divinarum patris tui aurium aditus evenerit. Quo facilius majestatis tuæ recordatione confisus possim illa, quæ tunc dicta sunt, præterire, atque hunc sermonem ab his quæ secuta sunt, inchoare.

II. Quanquam multa mihi ex illis quoque hoc in tempore necessario transeunda sunt, ac potissimum ea, quibus [a] officio delati mihi a divinitate vestra honoris interfui, captus scilicet [1] Rex ferocissimæ nationis inter ipsas, quas moliebatur insidias, & a ponte Rheni usque ad Danubii [2] transitum Guntiensem, devastata atque exhausta penitus Alamannia: nam & majora sunt, quam ut enarrari inter alia possint, &, [3] ne meis quoque stipendiis videar gloriari, sufficit conscientiæ meæ illa vidisse. [4] Det igitur mihi, Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium divinus

INTERPRETATIO.

c *Nisi hoc uno incitamento accenderer.*

d *Imprimis cum olim opera majestatis tuæ* dicenti mihi *patuerint divinæ illæ aures parentis tui.*

a *Pro ratione officii, quod mihi a majestate vestra concessum est.*

NOTÆ.

orationis genus. At quamvis tunc non possem dicendo æquare patris ac patrui tui, id est, Maximiani & Diocletiani in reflorescentem rempublicam merita: poteram utcunque ea recensere numerando. Nunc cum me ex veteri illo eloquentiæ curriculo demoverit aut Palatii officium aut rusticationis studium post datam mihi cessandi facultatem, & interim rerum a vobis gestarum seges creverit: hæreo prorsus & stupeo & præter tarditatem ingenii, quam ex otio contraxi, tanta rerum multitudine deterreor.

2. *Translati sint Roma cultores.*] Gruterus ex Bertiniensi codice legit *Romam*, Pithœus *rura in Romana*, Livineius *in Romana*, id est, in Romanas provincias.

3. *Hoc uno.*] Id est, nisi hac una ratione commoverer ad dicendum. Gruterus delendum censet *hortatu*.

4. *Parem facit*] Hanc vocem *parem*, quæ nescio quomodo ejecta obscuritatem sententiæ afferebat, restitui post Livineium & Acidalium.

1. *Rex ferocissimæ nationis.*] Utrum hæc ad Germanicam Maximiani victoriam spectant, cum is Chaibonas & Erulos ad mare Codanum degentes profligavit? An ad Constantium, cum lx. Alamannorum millia ad Lingonas cecidit?

2. *Transitum Guntiensem.*] Alii *Continensem* scribunt. Guntia oppidum est Rhætiæ *Guntzberg*, ubi junctus ponte Danubius, quem pontem ad sua tempora durasse testatur Beatus Rhenanus in eo libro, quem ante centum annos *de rebus Germanicis* scripsit.

3. *Ne meis stipendiis.*] Eumenium in bello meruisse putat ex hoc loco Livineius, sed stipendii vox metaphorice hic sumitur ut pan. 4. pro restaur. sch. n. 5. *quos ad cognitionum sacrarum stipendia*, id est munia, *provexi*.

4. *Det igitur.*] Ita emendare visum est cum Acidalio pro *de te igitur*, ut & in aliis editionibus: corrupte ut mihi quidem videtur.

ille [1] vestræ majestatis ortus, [b] ipso quo illuxit auspicio veris illustrior, [c] cui dies serenus, atque, ut celebrantes sensimus, ultra rationem temporis sol æstivus incaluit, augustiore fulgens luminis claritate, quam cum originem mundi nascentis animavit: siquidem tunc, inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret ardentior; nunc certasse creditur, ne majestate vestra videretur obscurior. 5

III. O felix beatumque ver novo partu, jam non amœnitate florum, nec viriditate segetum, nec gemmis vitium; nec ipsis tantum Favoniis, &[a] luce serenata lætum atque venerabile, quantum ortu Cæsarum maximorum! O tempus, quo merito quondam omnia [1] nata esse credantur, 10 cum eodem nunc confirmata esse videamus! O Kalendæ Martiæ, sicuti olim [2] annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum! quanta enim, invictissimi Principes, & vobis, & reipublicæ [3] secula propagatis orbis vestri participando tutelam? Cujus licet esset omni hoste perdomito certa securitas, nimios tamen in diversa discursus vel revisenda poscebat. Partho quippe [4] ultra Tigrim redacto, Dacia restituta, porrectis us- 15 que ad [5] Danubii caput [6] Germaniæ Rhætiæque limitibus, destinata [7] Ba-

INTERPRETATIO.

b *Clarior ipso initio veris quo contigit.*

c *Cujus in gratiam sudum cælum & quemadmodum* (*in* hoc die celebri *persensimus*) *solis æstus ferventior fuit, quam ratio temporis ferat.*

a *Et amæniore lumine gratum.*

NOTÆ.

5. *Vestra majestatis ortus.*] Nam Kal. Martiis, ut est infra n. 3. Constantius dictus est Cæsar, nempe a Maximiano Herculio an. Chr. 291. Obiter vero advertendum majestatis nomen, quo nunc reges compellamus, Constantii temporibus usurpari cœptum: neque ante hæc tempora facile apud scriptores reperiatur.

1. *Nata esse credantur.*] Tale illud Virg. Georg 2. 336. *Non alios prima crescentis origine mundi illuxisse dies, aliumque habuisse tenorem crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri &c.*

2. *Annorum volventium.*] [illegible] quasi *volubilium*, ut Virgilii Æneid. l. 1. 238. *Certe hinc Romanos olim volventibus annis &c.* Martis vero mensem initium anno dedisse tradit Ovid. Fast. 28. *Tempora digereret cum conditor urbis, in anno constituit menses quinque bis esse suo. . . . Martis erat primus mensis, Venerisque secundus. Hac generis princeps: ipsius ille pater &c.*

3. *Secula propagatis.*] Ita restituere visum est juxta Bertimensem codicem, cum in aliis editionibus sit *reipublica propagatio orbis vestri*, male meo quidem judicio & corrupte.

4. *Ultra Tigrim.*] Tigris Fluvius Asiæ, Mesopotamiam ab Assyria & Susiana dividens, in Armenia majore oritur.

5. *Danubii caput.*] De Danubio supra. Plinii paneg. n. 12. not. 9.

6. *Germania Rhætiaque limitibus.*] Strabo Germaniam antiquam Rheno, Danubio, ac Vistula amnibus, Sinuque Germaniæ, qui vulgo nunc dicitur accolis *de Oost see*, & mari Germanico, quod est inter Cimbricam peninsulam ac Rheni ostia, definiunt. Tacitus vero Galliæ Belgicæ quondam procurator, in libro suo *de Germania situ &c.* eam a Galliis Rhætiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio: a Sarmatis, Dacisque, montibus: demum septentrionem versus, Suevico mari disclusam scribit.

7. *Batavia.*] Ubi Carausii fœderatos Francos Constantius fuderat. Batavia autem, ea tantum Hollandiæ pars dicebatur quæ hodie inter veterem Rhenum & Vahalim fluvios, atque Oceanum

taviæ, [8] Britanniæque vindicta, gubernacula majora quærebat aucta atque augenda respublica, & qui Romanæ potentiæ terminos virtute protulerant, imperium [9] filio pietate debebant.

IV. Et sane præter usum curamque reipublicæ, etiam illa Jovis & Herculis cognata majestas in Jovio Herculioque principibus totius mundi, cœlestiumque rerum similitudinem requirebat. Quippe isto [1] numinis vestri numero summa omnia nituntur & gaudent, elementa quatuor, & totidem anni vices, & [2] orbis quadrifariam duplici discretus Oceano, & [3] remenso quater cœlo lustra redeuntia, & [4] quadrigæ solis, & duobus cœli luminibus adjuncti [5] Vesper & Lucifer. Sed neque sol ipse, neque cuncta sidera humanas res tam perpetuo lumine intuentur quam vos tuemini, qui sine ullo fere discrimine dierum ac noctium, illustratis orbem, salutique gentium non his modo, quibus immortales vultus vestri vigent, sed multo magis illis divinarum mentium vestrarum oculis, providetis, nec solum [6] qua dies oritur, & præteritur, & conditur, sed etiam ex illa Septentrionali plaga salutari beatis luce provincias: [7] adeo, Cæsar, vestra in orbem terrarum distributa beneficia prope plura sunt quam deorum. Quibus ego si omnibus immorari velim, neque hic dies mihi totus, neque proximus, neque porro ceteri sat erunt. Et habenda est ratio temporis, Cæsare stante dum loquimur.

NOTÆ.

continetur. Nunc nomen illud pro tota Hollandia sumitur.

8. *Britanniæque.*] Quas tyrannus Carausius invaserat. Britanniæ Anglicum & Scoticum regnum, cum Hibernia & insulis circumjacentibus continebant.

9. *Filio.*] Ita dicitur Constantius quod Theodoram Maximiani filiam duxisset.

1. *Numinis vestri numero*] Nempe Diocletiano & Maximiano Augg. Constantio & Galerio Cæsaribus: ex quo patet hunc Panegyricum nihil ad Constantinum pertinere, cui tamen in nonnullis editionibus inscriptus est.

2. *Orbis quadrifariam.*] Id est, in Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem, & Meridionalem partem, nam cum America nonnisi ante 150. annos ab Americo Vespucio reperta sit, id de divisione nostra in Europam, Asiam, Africam, & Americam intelligendum non est. Quod vero Eumenius addit de duplici Oceano, utrum de Oceano Orientali & Occidentali, an de Oceano & mari Mediterraneo accipiendū est?

3. *Remenso quater cælo*] Quadriennio exacto redibant lustra, quare lustra quinto quoque anno celebrabantur.

4. *Quadrigæ solis.*] Equorum solis nomina vide apud Ovidium metamorph. lib. 2. v. 154. *interea volucres Pyrois, Eous, & Aethon, solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras flammiferis implent.*

5. *Vesper & Lucifer.*] An Vesper & Lucifer duæ sunt stellæ? minime vero. Sed una eademque stella est, inquit Tullius 2. de natura deorum n. 54. *quæ Φωσφόρος Græce, lucifer latine dicitur, cum antegreditur solem: cum subsequitur autem, hesperus.* Id autem a Pythagora primū animadversum est.

6. *Qua dies oritur.*] Alludit, inquit Livineius, & tanquam digitum intendit in victorias principum in quatuor orbis terrarum partibus. Galerius Cæsar in oriente Narseum; Diocletianus Achilleum in Ægypto vicerat. Maximianus Herculius Mauros in Africa oppugnabat. Cæsar Constantius Bataviam & Britanniam a Francorum incursionibus liberaverat. De quibus victoriis vide Diocletiani & Maximiani vitam.

7. *Adeo Cæsares.*] Lege *Cæsar*; nam hæc oratio habita est absente Galerio Cæsare, absentibus item Augustis, coram uno Cæsare Constantio, ut initio a nobis observatum est.

V. [a] Adoratæ sint igitur mihi [1] Sarmaticæ expeditiones, quibus illa gens prope omnis extincta est, & pæne cum solo nomine relicta, quo serviat. Dent veniam [2] tropæa Niliaca, sub quibus [3] Æthiops, & Indus intremuit. Contenta sit voce gloriæ suæ etiam proxima illa [4] ruina Carporum. [5] Reservetur nunciis jam jamque venientibus Mauris immissa vastatio. Aliis hæc, permittente majestate vestra, celebrabo temporibus. Dii immortales, vota suscipio, [6] ut ipsis qui gessere præsentibus. Illa vero, Cæsar invicte, quæ [7] ductu atque auspicio numinis tui gesta sunt, quorum etiam spectaculo fruimur, sub hac occasione dignationis tuæ, sine dilatione dicenda sunt; eo magis, quod, quamvis in communibus reipublicæ bonis, necesse nobis gratulari, [8] quæ priora nobis sunt, maxime sunt gratulationi.

VI. Statim itaque Gallias [1] tuas, Cæsar, veniendo fecisti. Siquidem illa celeritas, qua omnes ortus atque adventus tui nuncios prævertisti, cepit oppressam [2] Gesoriacensibus muris pertinacem, tunc errore misero Romanum piraricæ factionis, atque illis olim mari fretis alluentem por-

INTERPRETATIO.

a *Ergo* satis *mihi sit venerando* prætermittere.

NOTÆ.

1. *Sarmaticæ expeditiones.*] Sarmatia triplex fuit. *Asiatica*, quæ inter Oceanum septentrionalem & mare Caspium: *Europæa*, quæ a palude Mæotide, ac ponto Euxino ad Oceanum usque pertinebat. *Germano-Sarmatia*, quæ a Borysthene fluvio, ad Vistulam usque pertingebat. De Diocletiani adversus Sarmatas expeditione, supra in ejus vita dictum est.

2. *Tropæa Niliaca.*] Victus nempe Achilleus, & capta ad Nilum Alexandria. De Nilo autem Africæ fluvio maximo omitto plura dicere. De ejus ortu item, & de ejus incremento & inundatione vide *Plinium*, *Strabonem* &c.

3. *Æthiops, & Indus.*] Haud dubium enim, quin Achilleus auxiliares ex Æthiopia, & India copias evocarit. De Æthiopia pan. 3. not. 11. 17.

4. *Ruina Carporum*] Id testatur Idatius. Carpi autem populi erant Sarmatiæ Europææ non procul a Vistula.

5. *Reservetur jam nunciis.*] Tum Maximianus pugnabat in Mauritania contra Quinquegentanas gentes, expectabanturque de Maurorum clade nuncii.

6. *Ut ipsis.*] Id est, aliis id quidem celebrabo temporibus, ut id fiat iis, a quibus hæc gesta sunt, præsentibus. Melius tamen alii *& ipsis*, id est, aliis celebrabo temporibus, *&* quidem *ipsis* &c. Quare observa Diocletiano, Maximiano Augg. & Galerio Cæsare absentibus hanc orationem dictam esse.

7. *Ductu atque auspicio.*] Non ipse Constantius Allectum vicit in Britannia, delevitque. Id per Asclepiodotum ejus prætorio præfectum præstitum est: præcipuam tamen hujus facti gloriam Eumenius citribuit in alio panegyrico, quia id totum ejus ductu & auspicio confectum fuerat.

8. *Quæ priora.*] Malim *quæ propiora* ut suspicatur Livineius. Sensus est: Oportet quidem ut de communibus reip. bonis gaudeamus; verumtamen par est ut primum ea, quæ nos propius contingunt, id est, ut nos Galli Batavicam & Britannicam victoriam celebremus, qua Galliæ a barbarorum in primisque a Francorum incursionibus liberatæ sunt.

1. *Tuas fecisti.*] Propulsis inde barbaris ibi grassantibus.

2. *Gesoriacensibus muris.*] Gesoriacum idem quod nunc Bononia. Galliæ portus

tas ademit Oceanum. In quo divina providentia tua, & par consilio effectus apparuit, qui omnem sinum illum portus quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis, invium navibus reddidisti, atque ipsam loci naturam admirabili ratione superasti, cum mare frustra
5 reciprocum prohibitis fuga quasi illudere videretur, [a] tanquam nullo usu juvaret inclusos, [3] quasi redire desisset. Quænam unquam mirabimur valla castrorum post hoc novum in mari vallum? Quid erit mirum, [b] si qua murorum aut arieti non cesserit firmitas, aut machinas despexerit altitudo? cum Oceanus ille tanto [4] libratus impetu, tanta mole consurgens, [5] sive
10 ulterioribus, ut ferunt, terris repulsus, sive anhelitu quo respirat evectus, seu quacunque alia ratione motus, [6] nunquam tua, Cæsar, claustra perfregerit, neque omnino convellerit tot dierum ac noctium receptu [7] recursuque, cum tot interim, qua terras circunfluit, litora solveret, ripasque defringeret; uno illo, ut res est, loco aut potentia vestræ majestatis
15 inferior, aut pro debito vobis honore clementior.

VII. [1] Xerxes, ut audio, Persarum rex potentissimus, pedicas jecit aureas in profundum. Neptunum se dictitans alligare, [a] quia fluctibus ferociret. Stulta ille jactantia, & sacrilega vanitate. Atenim tua, Cæsar, divina providentia & efficaci est usa consilio, nec insultavit elemento, ut
20 non provocaret odium, sed mereretur obsequium. [2] Quid enim aliud in-

INTERPRETATIO.

a *Quasi omnino inutile civibus inclusis*, aut *quasi refluere cessasset.*

b *Si muri aliqui vel* propter *firmitatem arieti restiterint, vel propter altitudinem machinas superarint.*

a *Quia vehementiores fluctus evomeret.*

NOTÆ.

juxta Britanniam, quo Carausius ex piratis suis bene multos immiserat, qui ceteros in toto hoc tractu grassantes tutarentur. Vide locum hunc Eumenii integrum & præterea pan. 7. n. 5.

3. *Quasi redire.*] Fortasse ad quos redire desiisset, ut Livineius ad oram editionis suæ observat ex Langii coniectura.

4. *Libratus.*] In aliis legitur *liberatus*, quod non ita placuit.

5. *Sive ulterioribus.*] Maris æstus causæ a philosophis variæ afferuntur. Hic duas tangit: sive, inquit a ventis repellatur, iisque cessantibus refluat: sive, ut Pythagoræi, Platonici, & Stoici putabant, mare ingens esset animal, quod cum se contrahit ut spiritum hauriat animamque ducat, tum est recessus: cum vero dilatat se & eandem animam veluti a pulmonibus respirat, tum vero est accessus. Plura eam in rem videri possunt, apud *Aristotelem 2. Meteor. Plinium l. 2. c. 97. Melam. l. 3, c. 1.*

6. *Nunquam tua Cæsar.*] Melius mea quidem sententia, *nequaquam tua Cæsar*, ut restituunt aliqui ex veteri codice. Nam reipsa moles illa dissiluit post confectam expeditionem: quod mox addit.

7. *Recursuque.*] Melius fortasse *excursuque*, id est, abitu, redituque.

1. *Xerxes.*] Ita referunt *Herodotus, Diodorus Siculus, Justinus, & Plutarchus in Themist.* Is Dario Hystaspis filio natus paterni regni atque odii in Græcos hæres, juncto navibus Hellesponto, & Atho monte perfosso, cum septingentis mille peditibus, Equitibus quadringentis Græciam contendit. Verum a Leonida Spartanorum rege inter Thermopylarum angustias funditur, iterũque Themistoclis Atheniensium ducis dolo ac virtute ad Salamina victus fugatusque, piscatoria scapha in Asiam reversus est.

2. *Quid enim.*] Etenim propter quam aliam causam nisi quo mare tibi obsequeretur, dicamus contigisse, ut simul atque

terpretemur, cum ſtatim atque obſidionem neceſſitas, & clementiæ ve-
ſtræ fides ſolverat, eadem clauſtra, qui primus inſiluit, æſtus[3] irruperit,
totaque illa, quoad uſus fuit, invicta fluctibus acies arborum, veluti ſi-
gno dato, & peracta ſtatione dilapſa ſit? Ut nemo dubitaret portum il-
lum, qui piratæ, ne ſuis opem ferret, occluſus fuiſſet; vobis[4] ad victo- 5
riam ſponte patuiſſe. [5] Potuiſſet enim, Cæſar invicte, illo virtutis ac fe-
licitatis tuæ impetu totum peragi continuo bellum, [6] niſi ædificandis navi-
bus dari tempus rei neceſſitudo ſuaſiſſet. [7] Quo tamen omni nunquam ab
eorum hoſtium everſione ceſſatum eſt, quos adiri[8] continens terra per-
miſit. 10

VIII. Quanquam illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæſar,
[1] vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus [2] Scaldis interfluit,
quamque [3] divortio ſui Rhenus amplectitur, pœne, ut cum verbi peri-
culo loquar, terra non eſt. Ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non
ſolum, qua manifeſte paluſtris eſt, [a] cedat ad nixum, & hauriat preſſa ve- 15
ſtigium, ſed etiam ubi paulo videtur firmior pedum pulſu tentata quatia-
tur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur. Ita, ut res eſt, ſubjacenti-
bus innatat, & ſuſpenſa late vacillat, ut merito quis duxerit exercendum
fuiſſe tali ſolo militem [4] ad navale certamen. Sed neque illæ fraudes loco-
rum, nec, quæ plura inerant, perfugia ſilvarum barbaros tegere potue- 20
runt, quo minus ditioni tuæ divinitatis omnes ſeſe dedere cogerentur, &
[b] cum conjugiis ac liberis, ceteroque [5] examine neceſſitudinum, ac re-

INTERPRETATIO.

a *Cedat nitenti* pedi.
b *Cum conjugibus & liberis, ceteraque turba affinium.*

NOTÆ.

ſoluta obſidio eſt, moles illa quæ nullis ante fluctibus ſubrui potuerat, poſtquam tibi eſſe neceſſaria deſiit, dilapſa ſit derepente veluti ſigno dato & ſtatione peracta.

3. *Irruperit.*] Melius *ruperit* ut Acidalio placet.

4. *Ad victoriam.*] Supple *alibi quærendam*, nempe in Britannia, aut Batavia.

5. *Potuiſſet enim.*] Aut delendum illud *enim*, aut addito verbo legendum, *Potuiſſet enimvero &c.*

6. *Niſi ædificandis navibus.*] Huic loco lucem affert locus alter pan. 8. n. 5. *Dum ædificandis claſſibus Britanniæ recuperatio comparatur &c.*

7. *Quo tamen omni.*] Supple *tempore*; itaque eſt in veteri codice.

8. *Continens terra.*] Conſtantius arma in Francos Friſiam & Bataviam depopulantes convertit.

1. *Vindicata atque purgata.*] Paneg. 6. n. 4. ad Conſtantinum: *Multa ille Conſtantius Francorum millia, qui Bataviam aliaſque cis Rhenum terras invaſerant, interfecit, depulit, abduxit*, & pan. 9. n. 25. *ille* Conſtantius *purgavit Bataviam advena hoſte depulſo &c.*

2. *Scaldis.*] Fluvius Belgii notiſſimus in Veromanduis oriens, ac inter Arreſiam, & Hannoniam per Flandriam & Brabantiam in Oceanũ infra Antuerpiã decurrens.

3. *Divortio ſui.*] Si verba hæc ſtricte accipiantur, intelligenda ſunt de Batavia inſula: l'*Iſle de Beture.*

4. *Ad navale certamen.*] Contra Carauſium Britannias occupantem.

5. *Examine neceſſitudinum.*] Ita Plinius paneg. n. 26. *examina infantium* pro tur-

rum suarum ad loca olim deserta transirent, ut quæ fortasse ipsi quondam deprædando vastaverant, culta redderent serviendo.

IX. Quis hoc unquam futurum, etiamsi coram voluisset affari, deus [a] ante vos principes [1] persuadere potuisset, quod nunc vidimus, & videmus, totis porticibus civitatum sedere captiva agmina barbarorum, viros attonitos feritate trepidantes, respicientes anus ignaviam filiorum, nuptas maritorum, [b] copulatos vinculis, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atque hos omnes provincialibus vestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur. [a] Insultare hercule communi Galliarum nomine libet; [2] & quod pace vestra loquar, ipsis triumphum assignare provinciis. [4] Arat ergo nunc mihi [5] Chamavus, & [6] Frisius, & ille vagus, ille prædator [7] exercitio squalidus operatur, & frequentat nundinas meas pecore venali, & cultor barbarus [8] laxat annonam. Quinetiam [9] si ad dilectum vocetur, accurrit, & [c] obsequiis teritur, & tergo coercetur, & servire se militiæ nomine gratulatur. Quid faciam, Cæsar? Ignosce si moror, ignosce si propero: multa enim illius temporis, quo transitus in Britanniam parabatur admirabilia virtutum tuarum facta [10] prætereo, dum festino cupidus ad singularem illam victoriam, qua universa respublica tandem est vindicata. Cujus magnitudo, Cæsar invicte, [d] hactenus explicabitur, ut prius dicam quam necessarium illud, &

INTERPRETATIO.

a *Antequam principatum teneretis.*
b *Vinctos* iisdem *catenis.*
c *Et subigitur ad obtemperandum.*
d *Eatenus commemorabitur.*

NOTÆ.

ba infantium: ubi plura ex Horatio sumpta exempla attuli.

1. *Persuadere potuisset.*] Alludit ad illud Æneid. 9. 6. *Turne quod optanti divum promittere nemo auderet, volvenda dies en attulit ultro.*

2. *Insultare.*] Absolute sumitur ut Æneid. l. 10. 20. *Cernis ut insultent Rutuli &c.*

3. *Ipsis triumphum assignare &c.*] Ita restitui post Acidalium, Livineium & Gruterum, id est, eis gloriam triumphi attribuere: nam sub duce Constantio barbaros e suis finibus pepulerant. Fortasse etiam est eis attribuere fructum victoriæ, quia eis ceteræ gentes in servitia tradebantur. De captivis ad deserta Galliarum excolenda missis vide Maximiani vitam.

4. *Arat nunc mihi.*] Tale est illud in Probo Vopisci n. 15. *omnes jam barbari vobis arant; vobis jam serviunt, & contra interiores gentes militant &c.*

5. *Chamavus.*] Qui intra Visurgim & Amisiam fluvios incolebant, ubi nunc Monasteriensis & Paderbornensis diœceses.

6. *Frisius.*] Frisii ad Oceanum inter ostia Rheni & Visurgis incolentes: alii majores, alii minores appellantur.

7. *Exercitio squalidus operatur.*] Id est, arandæ telluri operam dat, totusque in opere squalet. Legendum forte ut suspicatur Cl. Puteanus *exercitio squalidi ruris operatur.*

8. *Laxat annonam.*] Id est, annonæ pretium minuit. Apud Livium *Annona haud multo laxaverat*, id est, haud multo viliori pretio emebatur, uti fit cum est laxior, seu amplior annona.

9. *Si ad dilectum vocetur.*] Seu *ad delectum*, perinde est enim, ut ex sexcentis panegyricorum istorum locis constat: sensusque est: si convocetur ad nomen militiæ dandum.

10. *Prætereo.*] Quid in Batavia, quid difficile

difficile bellum fuerit, [u] quo magis confectum sit.

X. Minus indignum fuerat [1] sub principe Gallieno, quamvis triste, harum provinciarum a Romano duce dissidium. Tunc enim sive incuria rerum, sive quadam inclinatione fatorum omnibus fere membris erat truncata respublica. Tunc se nimium & [2] Parthus extulerat, & [3] Palmyrenus æquaverat; [4] tota Ægyptus [5] Syriæque defecerant; amissa [6] Rhætia, [7] Noricum [8] Pannoniæque vastatæ. Italia ipsa, gentium domina, plurimarum urbium suarum excidia mœrebat. [a] Non erat tantum doloris in singulis, cum pæne omnibus careretur. Nunc vero toto orbe terrarum non modo, qua Romanus fuerat, virtute vestra recepto, sed etiam qua hostilis, edomito: cum toties proculcata esset Alamannia, toties obtrita Sarmatia,

INTERPRETATIO.

a *Non tantum doloris afferebat* provinciarum *amissio singularum, cum pæne universæ perderentur.*

NOTÆ.

apud Frisios gesseris.

11. *Quo magis confectum.*] Forte, inquit Acidalius, legendum *quam quomodo confectum sit*, aut *dum quomodo*, &c. malim ego *quam a quo confectum sit.*

1. *Sub Principe Gallieno.*] Hoc Imperatore nullus unquam fuit & inertior & luxuriosus magis & in provinciarum suarum direptione inepte tranquillior. Is fama tyrannorum, qui variis locis triginta exorti erant, excitatus tandem, Aureolumque tyrannum bello persequens, ejusdem dolo ad Mediolanum cæsus est an. V.C. 268. Imperavit cum Valeriano patre annos septem, solus annos octo. *Trebellius, Pollio*, & *Zosimus.*

2. *Parthus.*] Tangit hic indignum Persarum Regis facinus, qui Valerianum imperatorem Romanum bello captum vilis mancipii more tum habebat, cumque haud multo post cute nudatum sale condiri jussit. Parthos & Persas promiscue apud scriptores appellari, jam supra observatum est. De *Parthis* vide Plinii pan. n. 14. not. 2.

3. *Palmyrenus.*] Odenatus Palmyrenorum Rex Persas post captum Valerianum Romanis finibus ingruentes fortiter compressit, ac defensa Syria, Mesopotamia recepta regium sibi nomen assumpsit: quo quidem consobrini sui insidiis interfecto, ejus uxor Zenobia virilis animi fœmina suscepit imperium, seque contra Romanos strenue defendit. Palmyreni autem in Arabiæ desertæ & Syriæ confinio habitabant.

4. *Tota Ægyptus.*] Cum Gallieno esset nunciatum totam Ægyptum descivisse. *Quid*, inquit, *sine lino Ægyptio esse non possumus?* Hac insigni tranquilli imperatoris vecordia usus Æmilianus totam Ægyptum occupavit, sed haud multo post a Theodoto Gallieni exercitus duce in bello captus, in carcere strangulatus est. De *Ægypto*, Plinii pan. n. 30. not. 1.

5. *Syriæque.*] Idem Æmilianus Parthis e Syria pulsis, militaribus suffragiis ibi quoque dictus est imperator. De *Syria*, pan. 4. n. 12.

6. *Rhætia.*] Duplex: prima est paulo trans Danubium a meridie, trans Rhenum & lacum Brigantinum occidentem versus extenditur: Alpes complectitur quas Grisonum vocant: altera ad Œnum usque fluvium porrigitur, qui Rhætiæ Noricique terminus est. *paneg.* 2. *n.* 9. *not.* 2.

7. *Noricum.*] Norici initium est ab Œno fluvio, qui Rhætiam secundam a Norico disterminat. Hujus pars, quæ Danubio imminet & veterem prospicit Germaniam, Noricum ripense dicitur.

8. *Pannoniæque.*] Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, a Mæsiacis Pannonicisque legionibus imperator est dictus. Mox Mæsii eo ejecto Regillianum tum in Illyrico ducatum gerentem, imperatorem proclamant. Nec multo post Aureolum Illyricianos exercitus regentem, ac demum Macrianum utrumque, Quietum, & Celsum. De his vide Trebellium. De *Pannonia*, Plin. pan. n. 8. not. 5.

[9] Vitungi, [10] Quadi, [11] Carpi toties profligati, submittente se Gottho pace poscenda, supplicante per munera [12] rege Persarum; urebat animum, quod nunc denique confitemur, una illa tanti imperii contumelia, eoque nobis intolerabilior videbatur, quod gloriæ sola restabat.

5 XI. Et sane non [1] sicut Britanniæ nomen unum, ita mediocris jacturæ erat reipublicæ terra tanto frugum ubere, tanto læta numero pastionum, tot metallorum fluens rivis, tot vectigalibus quæstuosa, tot accincta portubus, tanto immensa circuitu. Quam Cæsar ille auctor vestri nominis cum Romanorum primus intrasset, alium se orbem terrarum scripsit reperisse, tantæ magnitudinis arbitratus, ut non circunfusa Oceano, sed complexa ipsum Oceanum videretur. Sed enim illa ætate nec Britannia ullis erat ad navale bellum armata navigiis, & Romana res inde jam a [3] Punicis Asiaticisque bellis etiam recenti exercitata [4] Piratico, & postea [5] Mithridatico, non magis terrestri quam navali usu vigebat. [6] Ad hoc natio etiam tunc rudis, & soli Britanni [7] Pictis modo, & [8] Hibernis assueta hostibus, adhuc seminudis, facile Romanis armis signisque cesserunt: prope ut hoc uno Cæsar gloriari in illa expeditione debuerit, quod navigasset Oceanum.

XII. [a] Isto vero nefario latrocinio abducta primum a fugiente [1] pirata

INTERPRETATIO.

a *Cum fugiens pirata classem primum abduxisset.*

NOTÆ.

9. *Vitungi.*] Qui in ea Germaniæ parte, quæ Italiæ vicina est habitabant, ubi nunc Tirolensis comitatus.

10. *Quadi.*] Ultra Herciniam silvam, ubi nunc maxima pars Moraviæ.

11. *Carpi.*] De Carpis, Vide n. 5. not. 4.

12. *Rege Persarum.*] Narseo.

1. *Sicut Britanniæ nomen.*] Sub uno Britanniæ nomine Anglia, Irlandia, Scotia continentur. Atque hæc regio nec Cæsaris temporibus, ut ipse scribit l. 4. de bello Gallico, necdum Constantii ætate admodum nota.

2. *Auctor vestri nominis.*] Julius, qui imperatorum primus Cæsar cognominatus est; seu quod cæso matris utero natus esset; seu ab elephanto in pugna occiso, qui lingua Maurorum *Cæsar* appellatur; seu quod oculis cæsiis fuerit; seu demum a Cæsarie, cum qua natus creditur. Ut ut est fuit hoc Juliæ familiæ primum, ac deinceps omnium imperatorum cognomen.

3. *Punicis Asiaticisque bellis.*] Punica bella tria fuerunt: Primum an. V. C. 490. cœptum, 24. post anno desiit. Hierone Annibale & Asdrubale pro Pœnis: C. Duilio, Atilio Regulo, L. Corn. Scipione & Metello pro Romanis pugnantibus. Secundum an. V. C. 536. cœptum, Annibale pro Pœnis, P. Corn. Scipione pro Romanis pugnante; 16. annorum spatio confectum est. Tertium. an. V. C. 605. cœptum est, in quo Cornelius Scipio Æmilianus, Q. Metellus, atque in primis Q. Fabius enituerunt. Tertio post anno desitum est. De his item & de Asiaticis bellis: vide *Florum &c.*

4. *Piratico.*] A Pompeio gesto anno V. C. 685. Vide *Florum.*

5. *Mithridatico.*] Quod jam a Lucullo & Metello cœptum idem Pompeius anno sequenti feliciter confecit. *Florus.*

6. *Ad hoc.*] Duarum vocularum transpositio obscuritatem huic sententiæ induxit, ita vero hanc restituit Acidalius: *Ad hoc natio etiam tunc rudis, Pictis modo & Hibernis assueta hostibus, ad hoc seminudi, & soli Britanni facile Romanis armis signisque cesserunt.*

7. *Pictis.*] Picti populi sunt Scotiæ, cis Tavum fluvium.

8. *Hibernis.*] Populi insulam Oceani Britannici incolentes non minorem Anglia.

1. *Pirata.*] Carausio, qui ad profligan-

classe, quæ olim Gallias tuebatur, ædificatis præterea plurimis in nostrum modum navibus, occupata legione Romana, interclusis aliquot peregrinorum militum cuneis, contractis ad dilectum mercatoribus Gallicanis, solicitatis per spolia ipsarum provinciarum, non mediocribus copiis barbarorum, atque iis omnibus ad munia nautica flagitii illius au- 5 ctoris magisterio eruditis, exercitibus autem nostris licet invictis virtute, tamen in re maritima novis, malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem audiebamus, licet de exitu fideremus. Nam & accesserat diuturna sceleris impunitas, quæ desperatorum hominum inflarat audaciam, ut illam inclementiam maris, quæ victoriam nostram fatali qua- 10 dam necessitate [2]distulerat, pro sui terrore jactarent, nec consilio intermissum esse bellum, sed desperatione omissum crederent; adeo ut jam [3]communis pœnæ timore deposito archipiratam [4] satelles occideret, & illud [5] auctoramentum [6] tanti discriminis putaret, imperium.

XIII. Hoc igitur bellum, tam necessarium, tam difficile aditu, tam 15 inveteratum, tam instructum, ita, Cæsar, aggressus es, ut statim atque illo infestum majestatis tuæ fulmen intenderas, confectum omnibus videretur. Nam primo omnium, in quo præcipue consulendum fuit, ne quid barbaræ nationes converso illuc numine tuo novare tentarent, invocata [1]patris tui majestate provisum est. Tu enim ipse tu, domine Maximiane, 20 Imperator æterne, novo itineris compendio aduentum divinitatis tuæ [2]accelerare dignatus, repente Rheno institisti, omnemque illum limitem non equestribus, neque pedestribus copiis, sed præsentiæ tuæ terrore tutatus es. Quantoslibet valebat exercitus Maximianus in ripa. Tu vero, invicte Cæsar, instructis armatisque diversis classibus ita ho- 25 stem incertum consiliique inopem reddidisti, ut tunc denique senserit, quod non munitus esset Oceano, sed inclusus.

NOTÆ.

dos Oceani Britannici piratas cum classe a Romanis imperatoribus missus, ipse piraticam exercebat. Hunc ipsum mox *Archipiratam* vocat.

2. *Distulerat.*] Constantius Britannicum bellum incœpturus Oceanum cum classe ingressus erat an. 292. at illam repentina maris tempestate sic dissipatam fuisse, ut fœdus cum Carausio iniri necesse fuerit. In Constantii vita diximus.

3. *Communis pœnæ.*] Quam ipse Allectus & Carausius pro communi rebellionis scelere meruerant. Alii legunt *omnis* ex Bertiniensi codice.

4. *Satelles.*] Allectus, qui Carausium *sexennio* post usurpatam tyrannidem *dolo circumvenit. Qui cum ejus permissu summæ rei præesset, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat.* Victor.

5. *Auctoramentum.*] Id est, mercedem. Cicer. off. l. 1 150. *est enim in mercenariis ipsa merces auctoramentum servitutis.* Et Velleius l. 2. *Jugulati civis publice auctoramentum constituere*, id est, præmium cædis.

6. *Tanti discriminis.*] Cui se committit, dum Carausium interficit. Libenter Livineio assentior, qui *criminis* legit.

1. *Patris.*] Maximiani, cujus filiam privignam duxerat.

2. *Accelerare dignatus.*] Faciunt hæc verba ut suspicer tum, cum Constantius expeditionem hanc susceperit, nimirum an. Chr. 295. jam Maximianum Africam versus copias eduxisse, ut Quinquegentanis bellum

XIV. Hoc loco venit in mentem mihi quam delicata illorum principum fuerit in adminiſtranda republica & adipiſcenda laude felicitas, quibus Romæ degentibus triumphi, & cognomina devictarum a ducibus ſuis gentium proveniebant. Itaque [1] Fronto, Romanæ eloquentiæ non ſecundum, ſed
5 alterum decus, cum [2] belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret, quamvis ille in ipſo Urbis Palatio reſidens gerendi ejus mandaſſet auſpicium, [a] veluti [3] longæ navis gubernaculis præſidentem totius velificationis & curſus gloriam meruiſſe teſtatus eſt. Atenim tu, Cæſar invicte, omnis iſtius & navigationis & belli non modo pro imperii jure
10 præceptor, ſed rebus ipſis & exemplo conſtantiæ tuæ hortator atque impulſor fuiſti. Prior ſiquidem [b] Geſoriacenſi litore quamvis fervidum invectus Oceanum, etiam illi exercitui tuo, quem Sequana [4] in fluctus invexerat, irrevocabilem injeciſti mentis ardorem; adeo ut cunctantibus adhuc ducibus, cœlo & mari turbidis, ultro ſignum navigationis expoſ-
15 ceret, quædam minacia ſigna, quæ videbantur, contemneret, die pluvio vela faceret, ventum, quia directus non erat, captaret obliquum. Quis enim ſe quamlibet iniquo mari non auderet credere te navigante? Omnium, ut dicitur, accepto nuncio navigationis tuæ una vox & hortatio fuit, Quid dubitamus? quid moramur? Ipſe jam ſolvit, jam provehitur,
20 jam fortaſſe pervenit. Experiamur omnia, per quoſcunque fluctus eamus. Quid eſt quod timere poſſimus? [5] Cæſarem ſequimur.

INTERPRETATIO.

a *Quaſi præfuiſſet gubernandis longis navibus.* b *E Geſoriacenſi ripa procelloſum ingreſſus Oceanum.*

NOTÆ.

inferret: ſimul vero de Conſtantii in Britanniam tranſitu ad eum allatum eſt, rediiſſe illico, ut interea Rhenum contra Francos tutaretur.

1. *Fronto.*] Cornelius Fronto princeps oratorum ſui ſeculi, ut eſt *in Dionis epitome*, Antonini Philoſophi magiſter fuit, ut tradit *Julius Capitolinus*: confirmatque vetus inſcriptio. Præclariſſima hujus in Pelopem actio intercidit, cum ceteris ejuſdem, quæ laudantur a Chariſio, Fulgentio, Sidonio. Gellius l. 19. c. 8. 10. & 13. Et Macrobius Saturnal. l. 5. c. 1. *Quatuor ſunt*, inquit Euſebius, *genera dicendi; copioſum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Salluſtius regnat: ſiccum quod Frontoni aſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius ſecundus quondam, & nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.* Sidonius tanti eum æſtimatum fuiſſe dicit, ut quemadmodum poetæ alii Virgiliani, alii Ovidiani, ſic ætatis ſuæ oratores benemuli Frontoniani dici vellent. *Sidon. l. 1. ep. 1.*

2. *Belli in Britannia confecti &c*] Hujus Britannici belli curam Calpurnio Agricolæ traditam fuiſſe refert Julius Capitolinus *in vita Antonini philoſophi*, quem ita totum fuiſſe in philoſophiæ ſtudio addit, ut nulli ferme bello interfuerit: quapropter *Armenici* & *Parthici* nomen ægre quidem accepit propter Armenos & Parthos ab ejus legatis ſubactos.

3. *Longæ navis.*] Sic longis navibus Cæſarem, ut in Britanniam transfretaret, uſum eſſe legimus in ejus commentariis *de bello Gallico*.

4. *In fluctus invexerat.*] Id eſt, in Oceanum. Hic relicta Puteani editione ubi legitur: *quem Sequanam fluctus invexerat* Gruteri emendationem ſecutus ſum.

5. *Cæſarem ſequimur.*] Et fortunam ejus. Sic olim Jul. Cæſ. Brunduſium, dum ferveret mare in ſcapha trajiciens gubernatorem intuitus & correpta ejus dextera:

XV. Nec fefellit opinio veſtræ felicitatis. Siquidem, ut ex ipſorum relatione comperimus, ad tempus ipſum tantæ ſe dorſo maris nebulæ miſcuerunt, ut inimica claſſis apud [1] Vectam inſulam in ſpeculis atque inſidiis collocata ignorantibus omnino hoſtibus prætériretur, ne vel moraretur impetum, quamvis non poſſet obſiſtere. Jam vero quod idem ille vestro auſpicio invictus exercitus ſtatim atque Britanniæ litus invaſerat univerſis navibus ſuis injecit ignes, quinam alii niſi divinitatis veſtræ monitus impulerunt ? aut quæ alia ratio perſuaſit nullum præſidium fugæ reſervare, nec vereri dubia bellorum, nec Martem, ut dicitur, putare communem, niſi quod veſtri contemplatione conſtabat de victoria non poſſe dubitari ? [a] Non illic tunc vires, non Romana robora, ſed veſtra numina cogitaverunt. Propoſito qualicunque prælio certam ſibi ſpondere fortunam, non tam eſt fiducia militum, quam felicitas imperatorum. Ipſe ille autem [2] ſignifer nefariæ factionis, cur ab eo litore, quod tenebat, abſceſſit, cur claſſem portumque deſeruit, niſi quod te, Cæſar invicte, cujus imminentia vela conſpexerat, timuit jam jamque venturum ? Utcunque cum ducibus tuis maluit experiri, quam præſens majeſtatis tuæ fulmen excipere. Demens, qui neſciebat quacunque fugeret, ubique vim veſtræ divinitatis eſſe, ubi vultus veſtri, ubi ſigna colerentur.

XVI. Te tamen ille fugiens, incidit in tuorum manus ; a te victus, a tuis exercitibus oppreſſus eſt. Denique adeo trepidus, & [1] te poſt terga reſpiciens, & in modum amentis attonitus properavit ad mortem, ut nec explicarit aciem, nec omnes copias quas trahebat inſtruxerit, ſed cum veteribus illis conjurationis auctoribus, & mercenariis cuneis barbarorum tanti apparatus oblitus irruerit. Adeo, Cæſar, hoc etiam reipublicæ tribuit veſtra felicitas, ut nemo fere Romanus occiderit, imperio vincente Romano. Omnes enim illos, ut audio, campos atque colles non niſi teterrimorum hoſtium corpora fuſa texerunt. [a] Illa barbara, aut imitatione barbariæ olim cultu veſtis, & prolixo crine rutilantia, tunc vero pulvere, & cruore fœdata, & [2] in diverſos ſitus tracta, ſicuti

INTERPRETATIO.

a *Non tam illi tum fidebant ſuis viribus, aut Romano exercitu, quam divina majeſtate veſtra.*

a *Illi barbari vel qui barbarorum more quondam veſtiti, longiorem comam*, eamque *rutilam* aluerant.

NOTÆ.

Quid times? inquit: *Cæſarem vehis & fortunam ejus ſimul navigantem.* Plutarchus in Jul. Cæſare.

1. *Vectam inſulam.*] Inſula Britanniam inter & Galliam ſita. Hodie iſle *Of Wight*: quam a Veſpaſiano in Romanorum poteſtatem redactam tradit *Suetonius.* Hanc victoriam celebrant *Valer. Flaccus l. 1. Argon. & Silius Ital. l. 3.*

2. *Signifer.*] Allectus Conſtantium fugiens, in Aſclepiodotum ejus prætorio præfectum incidit, qui eo præmiſſus a Conſtantio cum parte exercitus Allectum interfecit.

1. *Te poſt terga reſpiciens.*] Hunc locum pene exſcripſit Pacatus in Theod. n. 38. *Ibat in terim Maximus, ac te poſt terga reſpectans in modum amentis avolabat.*

2. *In diverſos ſitus tracta.*] Alii humi re-

dolorem vulnerum fuerant ſecuta, jacuerunt; atque inter hos ipſe vexillarius latrocinii,[3] cultu illo quem vivus violaverat ſponte depoſito, & vix unius velaminis repertus indicio.[b] Adeo verum ſibi dixerat morte vicina, ut interfectum ſe nollet agnoſci.

5 XVII. Enimvero, Cæſar invicte, tanto deorum immortalium tibi eſt addicta conſenſu victoria, omnium quidem quos adortus fueris hoſtium; ſed præcipue internecio Francorum, & illi quoque milites veſtri, qui[a] per errorem nebuloſi, ut paulo ante dixi, maris abjuncti ad oppidum [1]Londinienſe pervenerant quidquid ex mercenaria illa multitudine barba- 10 rorum prælio ſuperfuerat, cum direpta civitate fugam capeſſere cogitarent, paſſim tota urbe confecerint; & non ſolam provincialibus veſtris in cæde hoſtium dederint ſalutem, ſed etiam[2] in ſpectaculo voluptatem. O victoria multijuga, & innumerabilium triumphorum, qua Britanniæ reſtitutæ, qua gentes Francorum penitus exciſæ, qua multis præterea gen- 15 tibus in conjuratione illius ſceleris deprehenſis impoſita eſt neceſſitas obſequendi, denique ad perpetuam quietem maria purgata ſunt! Gloriare tu vero, Cæſar invicte, alium te orbem terrarum reperiſſe, qui & Romanæ potentiæ gloriam reſtituendo navalem, addidiſti imperio terris omnibus majus elementum. Confeciſti inquam bellum, Cæſar invicte, quod cun- 20 ctis impendere provinciis videbatur, tamque late vagari & flagrare poterat, quam late omnis Oceanus, & mediterranei ſinus ad luunt.

XVIII. Neque enim ſi metu veſtri lues illa[a] ſolis Britanniæ viſceribus intabuit, idcirco neſcimus, quanto ſe alias furore jactaſſet, [b] ſi fiduciam pervagandi, qua patebat habuiſſet. [1] Nullo ſiquidem certo fine mon- 25 tium, aut fluminum terminabatur, quem diſpoſitæ limitis cuſtodiæ tuerentur, ſed ubique navis, licet nobis virtutem felicitatemque veſtram haberemus, magnis tamen terroribus imminebat, qua jacent maria, qua venti ferunt. Recurſabat quippe in animos illa [2]ſub Divo Probo &

INTERPRETATIO.

b *Ita præſenſerat ſibi mortem imminere.*
a *Qui aberrantes propter nebulas e mari erumpentes.*

a *Intra Britanniæ oras ſe continuit.*
b *Si auſa eſſet pervagari.*

NOTÆ.

ſupini, alii cubito incumbentes reperti ſunt, aliis arma e manibus excidebant &c. *Illi mutilis exciſiſque membris*, ut habet Pacatus in Theod. paneg. *reliqua ſui parte fugiebant, hi dolorem vulnerum ſequebantur, iſti mortes receptas, in ſilvas & flumina deferebant.*

3. *Cultu illo.*] Regio.

1. *Londinienſe.*] Londinum urbs eſt ampliſſima, totius Angliæ caput, ad Tameſim fluvium, emporium celeberrimum.

2. *In ſpectaculo voluptatem.*] Seu quod gratum eſſet barbaros illos intueri, quos viciſſent, ſeu quod in theatrum producerentur ad edenda ſpectacula.

1. *Nullo ſiquidem.*] Montes quidem & litora noſtra barbarorum incurſionibus erant impervia, ſed qua jacent maria terrorem hi nobis incutiebant.

2. *Sub D. Probo.*] Is Tacito & Floriano ejus fratre mortuis imperator factus eſt an. Chr. 276. vir multis virtutibus clarus. Galliis recuperatis, recepto Illyrico, victis

paucorum [3] ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui a [4] Ponto usque correptis navibus, Græciam, Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ litoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant [5] Syracusas, & immenso itinere pervecti Oceanum, qua terras irrupit, intraverant: atque ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piraticæ desperationi, quo navigiis pateret accessus. Itaque hac victoria vestra non Britannia solum servitute est liberata, sed omnibus nationibus securitas restituta, quæ maritimo usu tantum in bello adire periculi poterant, quantum in pace commodi consequuntur. Nunc secura est, [6] ut de latere Gallico taceam, quamvis pœne conspicuis litoribus Hispania, nunc Italia, nunc Africa, nunc omnes usque ad Mæotidas paludes perpetuis curis vacant gentes. [c] Nec idcirco minoribus gaudiis feruntur dempto periculi metu, quod experiundi necessitate caruerunt; [d] sed hoc ipso & in administratione providentiæ vestræ, & [7] infectione fortunæ impensius gratulantur, quod tanta illa vis nauticæ rebellionis in vestigiis suis concidit. Atque ipsam Britanniam, quæ sedem tam diuturno sceleri præbuisset, [e] constat victoriam sola sui restitutione sensisse vestram.

XIX. Merito igitur statim atque ad litus illud exoptatus olim vindex & liberator appuleras obvius sese majestati tuæ [1] triumphus effudit, exultantesque gaudio Britanni cum conjugibus ac liberis obtulerunt, non te ipsum modo, quem ut cœlo delapsum intuebantur, sed etiam navis illius, quæ tuum numen advexerat, vela remigiaque venerantes, paratique te ingredientem [a] stratis sentire corporibus. Nec mirum si tanto gaudio ferebantur, [2] post tot annorum miserrimam captivitatem, post violatas conjuges, post liberorum turpe servitium, tandem liberi, tandemque

INTERPRETATIO.

c *Neque ideo minus gaudent* hujus mali *metum* sibi *ademptum* esse *quod illud tolerare necesse non habuerunt.*

d *Sed ob idipsum gratulantur magis tum providentiæ vestræ* propter bene *administratum* bellum, *tum fortunæ propter* bene *confectum. quod &c.*

e *Manifestum est eam agnovisse tantum vestram victoriam instauratione* sui in meliorem statum.

a *Suppositis sustinere corporibus.*

NOTÆ.

Getis, ac Rhætis, cum in Italiam rediens per Illyricum iter faceret, Sirmii a militibus est occisus, quos ob nimiam severitatem infensos habebat an. Chr. 282. imp. 7. quem mensibus circiter inchoarar.

3. *Ex Francis.*] Rem fusius narrat *Zozimus l* 1.

4. *Ponto.*] Pontus Asiæ minoris prope Pontum Euxinum habet ex una parte Bithyniam, & Paphlagoniam ex altera.

5. *Syracusas.*] Civitas erat amplissima in ora maris ad ortum inter Catanam & Pachynum Promontorium.

6. *Ut de latere Gallico.*] Ut nihil dicam de ea Galliarum parte quæ ad mare sita est, & quæ Galliarum veluti latus est.

7. *Infectione.*] Utrum *effectione*, vel *festinatione*: malim ego *confectione*, pan. 3. n. 16.

1. *Triumphus.*] Constantio post cæsum Allectum Britannias ingredienti populus obviam occurrit.

2. *Post tot annorum.*] Post decem annos

Romani, tandem vera imperii luce recreati. Siquidem præter illam clementiæ vestræ pietatisque famam, quæ communi gentium voce celebrabatur, in ipso, Cæsar, tuo vultu videbant omnium signa virtutum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone
5 justitiæ. Quæ singula, ut respectantes agnoverant, lætitiæ clamoribus concinebant; vobis se, vobis liberos suos, vestris liberis omnes generis sui posteros devovebant.

XX. Nos quidem certe, [1] o perpetui parentes & domini generis humani, hoc a diis immortalibus omni votorum nuncupatione deposcimus, ut
10 liberi nepotesque nostri, & si qua omnibus seculis erit duratura progenies, cum vobis, tum etiam his quos educatis, atque educabitis dedicentur. Quid enim melius posteris nostris optare possumus, quam quo fruimur ipsi? [a] Tenet uno pacis amplexu Romana respublica, quidquid variis temporum vicibus fuit aliquando Romanum; & [b] illa, quæ sæpe veluti nimia
15 mole defluxerat magnitudo tandem solido cohæsit imperio. Nihil ex omni terrarum cœlique regione non aut metu quietum est, aut armis domitum, aut pietate devinctum. Et ex aliis quidem partibus aliqua restant, quæ, si voluntas vel ratio rerum desiderent, possitis acquirere; ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam? Quæ a nobis ita recuperata est, ut illæ
20 quoque nationes terminis ejusdem [2] insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur. Nulla progrediendi causa superest, nisi si, quod natura vetuit, fines ipsius quærantur Oceani. Omnia inquam, invictissimi Principes, vestra sunt, quæ sunt digna vobis. Et inde est quod consulere singulis æqualiter licet, cum universa teneatis.

25 XXI. Itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane Auguste, jussu supplevit deserta [1] Thraciæ translati incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste nutu [2] Nerviorum & [3] Treverorum arva jacentia lætus postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit; ita nunc per victorias tuas,

INTERPRETATIO.

a *In pace obtineret.*

b *Et amplitudo imperii qua* ejus nimiæ *partes veluti elabebantur, tandem in unum corpus coaluit.*

NOTÆ.

Britannias occuparat. *Eutrop.* Nam Carausius 7. Allectus vero tres annos tyrannidem occuparat.

1. O *perpetui parentes.*] Convertit orationem ad imperatores, quos absentes compellat, quibusque ætatis suæ felicitatem gratulatur, & inductam in totum terrarum orbem securitatem & pacem.

2. *Insulæ cohærentes.*] Hibernia, Scotia &c.

1. *Thraciæ.*] Regio inter Ægeum mare, Propontidem, & Pontum Euxinum.

2. *Nerviorum.*] Nervii *ceux du pays de Haynaut*, populi Galliæ Belgicæ ad Scaldim, Atrebatibus, Ambianis, Aduaticis, Morinis, Veromanduis, ac Treveris finitimi; quorum urbs Tornacum. De his sæpe *Cæsar in commentariis.*

3. *Treverorum.*] Treveri *Treves* urbs Galliæ Belgicæ ad Mosellam in confinibus Germaniæ, Nerviis, Menapiis, Eburonibus, Rhemis, Mediomatricibus finitima.

Constanti

Constanti Cæsar invicte, quidquid infrequens [4] Ambiano, & [5] Bellovaco, [6] Tricassino solo, [7] Lingonicoque restabat barbaro cultore revirescit. Quinetiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum, devotissima vobis civitas Æduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices, & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum instauratione consurgit. Nunc sibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen existimat, cum te rursus habeat conditorem. Dixi, Cæsar invicte, prope plura quam potui, sed pauciora quam debui, ut justissima mihi causa sit propitio numine tuo & nunc desinendi, & sæpe dicendi.

NOTÆ.

Hujus urbis Archiepiscopus unus est ex electoribus imperii.

4. *Ambiano.*] Ambianorum urbs *Amiens*, in Gallia: Picardiæ caput, ad Somonam fluvium, alias *Samarobrina* de qua Tullius l. 7. ep. 16. ad Trebatium Jurisconsultum. *Est quod gaudeas. Constat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrinæ juris peritiorem esse.* De Samarobrina sæpe etiam Cæsar.

5. *Bellovaco.*] Bellovacorum urbs, *Beauvais* in Gallia, ad Tharam amnem, in provincia Insulæ Franciæ, alias *Cæsaromagus*, seu *Brantuspantium*. Hujus episcopus unus est ex 12. Franciæ Paribus.

6. *Tricassino.*] Tricassini, seu Trecasses *Troyes*, urbs Galliæ Celticæ, in Belgicæ confinio, Campaniæ caput, ad Sequanam fluvium: Episcopalis est sub Archiepiscopo Senonensi, olim *Augustobona.*

7. *Lingonicoque &c.*] Lingones, *Langres*, urbs Galliæ Celticæ in Burgundiæ & Campaniæ confinio ad fontes Matronæ fluvii; olim *Andematunum.* Episcopus est dux & Par Franciæ.

AD PANEGYRICUM VI.

VITA

FL. VAL. CONSTANTINI MAGNI.



Anno V. C. 1025. Christi 272. Aurel. Aug. 3.

FLAVIUS VALERIUS CONSTANTINUS, cognomento MAGNUS, Constantii Chlori & Juliæ Helenæ filius, Claudii Aug. ex Claudia Crispi ejus fratris filia nepos nascitur 3. Kal. Mart. ut est in Kalendario veteri apud Bucherium. Juxta Cedrenum, in Dacia; juxta Nicetam, Tarsi; juxta Nicephorum, Drepani in Bithynia; juxta Firmicum, Constantinum Porphyrogenitum, & Anonymum Valesii, apud Naissum, quæ Dardaniæ Illyricæ urbs primaria est; juxta alios omnes in Britannia. Quam ultimam opinionem Michael Alfordus nostræ Societatis in libro suo *de Lucii, Helenæ & Constantini patria & fide*, septuaginta virorum illustrium tam recentium, quam veterum auctoritate confirmat. In primis panegyrici 6. n 4. *Liberavit ille* Constantius *Britannias*: *tu* Constantine *eas nobiles oriendo fecisti*, quod de natali ortu intelligendum liquet ex pan. 7. n. 9. ubi postquam orator de Constantini, avo, & parente egisset: cum ordo rerum & series postularet, ut de ejus patria diceret, O *fortunata*, inquit, *& nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!* Et mox: *Dii boni! quid hoc est, quod semper ex aliquo supremo fine mundi nova deum numina universo orbi colenda descendunt? Sic Mercurius a Nilo.... sic Liber ab Indis, &c.* Atqui de utriusque dei natali ortu hic agitur.

An. V. C. 1044. Christi 291. Dioclet. imp. 8. Maxim. imp. 7. Constantini ætat. 19.

Constantinus a patre Constantio Cæsare in Gallias proficiscente, sive ut suæ fidei obses, sive ut grati erga imperatorem animi sui pignus, sive ut ad imperandi artem institueretur, in Diocletiani aula relinquitur Nicomediæ, ut ait *Praxagoras apud Photium.*

An. V. C 1047. Christi 294. Dioclet. imp. 11. Maxim. imp 10. Constant. ætat. 22.

Cum Constantinus adhuc adolescens Galerium adversus Sarmatas cum exercitu missum secutus esset, tam eximia virtutis suæ in eo bello edidit specimina, ut Galerius tam inusitatam adolescentis fortitudinem veritus, variis eum periculis objecerit, ex quibus tamen quam fortiter, tam feliciter sese expedivit. Nam cum paucis militibus in densissimum Sarmatarum ag-

men immissus, aciem perrumpit, alios sua manu cædit, alios fugat, atque adeo cum eorum duce singulari certamine congressus, ipse victor hostem catena vinctum, & capillis pertractum ad Galerii pedes adducit. Idem missus ut profundissimam paludem ad exercitus transitum exploraret, periculo nihil commotus, equum in paludem agit, ac viam toti exercitui præmonstrat. Demum jussus cum ferocissimo leone in theatro confligere, illico in arenam descendit, & inter spectatorum omnium applausus feram manu comprehendit. *Pan.* 9. *n.* 3. *Zonaras*, *Praxagoras apud Photium*, *Anonymus Valesii*, *Pompon. Lætus*, & apud Tristanum Constantini numus trophæum dextra tenentis, & sinistra captivum opprimentis: titulus *fundatori pacis.*

An. V. C. 1048. *Christi* 295. *Dioclet. imp.* 12. *Maxim. imp.* 11. *Const. ætat.* 23.

Confecto Sarmatico bello, subactisque Carpis, cum Constantini fama longe lateque emanasset, Diocletianus eum ad se in Ægyptum evocat, quo ejus virtute ad Alexandriæ obsidionem uteretur.

An. V. C. 1051. *Christi* 298. *Dioclet. imp.* 15. *Maxim. imp.* 14. *Const. ætat.* 26.

Constantinus ex Oriente in Italiam a Diocletiano Aug. reducitur. Quo ferme anno Arelate, *inquit Diaconus*, in Gallia ex Minervina Crispum suscepit, qui ut e pueritia excessit, a Lactantio Firmiano Arnobii discipulo viro sui temporis facundissimo & integerrimo, ad Christianam religionem, ceterasque virtutes fuit institutus. Quod autem Minervinam haud veram Constantini conjugem fuisse nonnulli dictitant, jam in Constantii vita quæstio profligata est, ubi ethnicis scriptoribus Græcis, unde manarunt hujusmodi opiniones, in primisque Zosimo in iis quæ ad imperatores Christianos spectant, nullam esse habendam fidem observavi. Ac prætermissis panegyricorum locis, ubi Constantini continentia tam sæpe laudatur, hoc tantum dico, nunquam Crispum una cum ceteris Constantini liberis quasi eorum natu maximum ad imperii spem educandum, aut ornandum ex Faustæ consensu Cæsaris dignitate, aut ejus mortem ab Helena tantopere deflendam aut vindicandam, si ex legitimo matrimonio natus non fuisset. Minervinam natione Gallam fuisse probare nititur *Tristanus in Commentar. histor.* ex Ammiani l. 28. ubi Minervii cujusdam viri consularis mentio est: ex Ausonio, apud quem Tiberii Victoris Minervii oratorum sui temporis clarissimi, nihilo Quintiliano inferioris: & alterius Alethii Minervii nomen est, quorum fortasse affinis illa fuerit.

An. V. C. 1057. *Christi* 304. *Constantii Aug.* 1. *Constant. ætat.* 32.

Constantinus, *ut ait Aur. Victor*, hoc anno Cæsaris nomine insignitur, fortasse a patre Constantio, ut Africæ & Italiæ quæ in divisione imperii ipsi obtigerant, majori cum auctoritate præesset. At cum Galerius Maximinum, cui orientem, & Severum, cui Constantini loco Italiam & Africam concesserat, ambos sororis suæ filios Cæsares fecisset; Constantinus id ægre ferens, ocyus sibi ex Italia, & Severi ac Galerii manibus fugiendum duxit.

An. V. C. 1058. *Christi* 305. *Const. Aug.* 2. *Constant. ætat.* 33.

Itaque Constantinus *publicis*, ut ait Victor, *jumentis quaqua iter agebat ad frustrandos insequentes interfectis*, ad patrem adhuc Gesoriaci, ut aiunt *Zonaras*, *& Eumenius*, *Pan.* 7. *n.* 7. degentem & adversus Pictos & Caledonas parantem transfretare accurrit. Quem tamen ad patrem tum tantum pervenisse refert Eusebius, cum is Eboraci morbo correptus a morte propius abesset.

An. V. C. 1059. *Christi* 306. *Const. Aug.* 3. *Constant. ætat.* 34.

Constantinus a Constantio patre moriente, ceteris fratribus alia matre genitis ad imperii successionem prælatus, illo ipso quo pater obiit die, nempe 8. Kal. Augusti a toto exercitu, annitente Eroco Alamannorum rege, *inquit Victor*, purpura invitus ornatur. At ille Cæsaris appellatione contentus Augusti nomen recusat. Post sepultum Eboraci magno apparatu patrem, eundemque in deorum numerum, ut ex Cambdeni numo patet, relatum, trajecta in Gallias magna exercitus parte, Francos superato Rheno ibi grassantes repente adortus, Ascaricum & Regaisum eorum reges bello captos belluis in amphitheatra

dilaniandos objicit. Illico Bructerorum fines vastat, Cheruscos, Chabionas, Chamavos fundit, ac totam Germaniam Agrippinensi ponte facto ad dandos obsides compellit. Interim Constantini imagine Romam pro more perlata, Maxentius Maximiani filius, an privignus, an gener, indignatus quod in imperii quoque partem non veniret, per tumultum a Prætorianis quos promissis corruperat Augustus Romæ acclamatur: & occupata partim Africa ac ubique dejectis per ludibrium Constantini statuis, omni scelerum genere grassatur.

An. V. C. 1060. *Christi* 307. *Constantini imp.* 2. *ætat.* 35.

Constantino primum consule Severus Cæsar adversus Maxentium a Galerio missus, militum suorum scelere desertus est, ipseque fugiens non Ravennæ, ut tradit *Eutropius*, sed ad tres tabernas, ut *Victor* & *Valesius* referunt, hoc est in via Appia 7. ab urbe milliari a Maxentio interficitur. Qua re audita Galerius Aug. Severi Cæsaris sui necem ulturus cum exercitu accurrens, ac suotum defectionem subveritus per legatos Licinium & Probum, ut precibus potius, quam armis mereretur imperium Maxentium cohortatus primum: cum pugnaturus esset, contemptus quoque & a suis desertus in Illyricum fugit: ubi Julium Licinium Dacia oriundum, sibi ptopter probatam in Persico bello virtutem conjunctissimum, Cæsarem facit, quo in Sardinia relicto, Galerius Sardicam regreditur. Ad tantorum motuum famam Maximianus Herculius e suo Lucaniæ secessu purpuram resumpturus Romam advolarat, sed is quoque & delusus a Maxentio, & a suis desertus, Treveros ad Constantinum ei moliturus insidias venit: a quo perhumaniter acceptus Maximianus, dissimulato consilio Faustam filiam ei in conjugem dat cum Augusti nomine, quod Constantinus huc usque recusarat. Hanc patria Byzantinam fuisse notat *Julianus orat.* 1. Ex ea vero non ex tertia conjuge (quam Zosimus Eunapii hominis ethnici exscriptor, ait a Constantino interemptam) suscepit hæredes imperii Fl. Claudium Constantinum natum Arelate 7. Id. Aug. an. Christi 312. Fl. Julium Constantium Sirmii in Pannonia 6. Id. Novemb. an. Christi 317. Fl. Julium Constantem an. Christi 320. Præterea Fl. Maximianam Helenam quæ nata an. Christi citciter 324. Juliano Cæsari collocata est an. Chr. 355. & Fl. Juliam Constantinam, quæ Annibaliano primum, postea vero Gallo Cæsari an. Ch. 351. nupsit.

An. V. C. 1061. *Christi* 308. *Constant. imp.* 3. *ætat.* 36.

Licinius 3. Idus Novemb. Carnunti ex Cæsare fit Augustus. *Chronicon Alexand, Idatius.*

An. V. C. 1063. *Christi* 310. *Const. imp.* 5. *ætat.* 38.

Constantinus Maximiani Herculii insidiis sibi per Faustam ejus filiam conjugem suam detectis, Maximianum Arelate primum, ubi jam bis depositum tertio usurpatat imperium, atque inde frustra tentata effusis largitionibus militum fide, Massiliam fugientem, incredibili celeritate opprimit.

An. V. C. 1064. *Christi* 311. *Const. imp.* 6. *ætat.* 39.

Constantinus huic expeditioni intentus a Rheni limitibus tantisper abscesserat. Jamque commovere se cœperant Franci & Alamanni; cum eos improviso reditu inopinantes comprimit. Quo facto *reliquas*, inquit Eusebius, *orbis partes sibi ante oculos proponens, tandem ad Britannos trajecit.* Interim Galerius Maximianus consumptis genitalibus pestilenti vulnere apud Tarsum Ciliciæ: Maximinus nec Galerii, nec Constantini nec Maxentii consensu expectato semet Augustum dicit.

An. V. C. 1065. *Christi* 312. *Const. imp.* 7. *ætat.* 40.

Dum Maximinus in Otiente, & Maxentius in Africa & Italia in primisque in urbe persecutionem in Christianos instaurat, Constantinus secundum consul Licinio Aug. II. cos. collega, pacatis Gallia & Italia, relictaque ad Rheni præsidium plus media exetcitus parte, urbem a sævissima Maxentii tyrannide liberaturus Alpes transgreditut. In itinere: *Cum jam*, inquit Eusebius l. 1. de vit. Const. *sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum inclinante, Constantinus dixit se crucis signum ex lucis splendore, in ipso cælo soli imminens manifesto*

oculis aspexisse, in eoque inscriptionem horum verborum consignatam : ἐν τούτῳ νίκα, vel latine ut affirmat Philostorgius IN HOC VINCE: cujus facti fidem dubiam fore ait idem qui hoc refert Eusebius, nisi id sibi a Constantino in familiari colloquio esset cum jurejurando confirmatum, *hujusque prodigii*, ut ipse ait, *spectator fuisset totus exercitus.* Quod quidem Artemius martyr vir nobilis qui tum in eo bello militabat, coram Juliano Aug. sibi mortem minitante contestatus, Constantino, inquit, *contra Maxentium bellum difficillimum ineunti signum crucis apparuit, in cælo media die super solem radiis coruscās, literis sidereis victoriam prænuncians, nos enim qui bello interfuimus, signum vidimus, literasque legimus, totusque conspexit exercitus, multique hodie testes extant in exercitu tuo.* Quo pertinent haud dubie quæ de prodigiis cœlestibus Constantino visis habent non uno in loco Constantini panegyrici. Id vero *Nicephorus* contendit in Italia contigisse, *Bucherius in* suo *Belgio Romano* Nivomagi *Ægidius Gelenius* in *libro de magnitudine Coloniensi*, in Zinzich, ad Rheni & Aræ confluxum. *Joan. Morinus* in *historia Gallica vindicatæ in libertatem a Constantino Christianæ ecclesiæ*, inter Augustodunum & Ladonam. Contra quos omnes noster *Petrus Franc. Chiffletius* in sua *dissertatione de loco, tempore, & ceteris adjunctis conversionis magni Constantini ad fidem Christianam*, probat id inter Danubium & Rhenum contigisse haud procul Brisacio, per quod ille Rheno trajecto cum Helena matre & Crispo filio Vesontionem abiit. Ut ut est, Constantinum hoc cœlesti ostento ad Christianam religionem conversum multi eruditi opinantur, cum ab eo tempore & persecutioni modum imposuerit, & multa Christianorum causa edixerit, Gentilium fana everterit; demum Nicænæ synodo interfuerit. Hac divini auxilii significatione fretus Constantinus Segusium, Taurinates, Vercellas, Brixiam, Veronam strenuissimo Duce Ruricio defensam, Aquileiam, Placentiam, Mutinam & omnem cis Padum Italiam recuperat, ac denique ipsum Maxentium trans pontem Milvium ad Saxa rubra 7. ab urbe milliari cum ducentis mille militibus quorum octoginta, ut inquit *Zosimus*, Romani essent occurrentem funditus delet, Kal. Octob. inquit *Onufrius*. Ipse Maxentius ponte propter nimiam fugientium multitudinem fatiscente, Tiberi pridie quam septimum tyrannidis annum inchoaret demersus est. Postridie vero ipsius corpus ex aquis sublatum, caputque per Italiam & Africam ad ludibrium circunlatum est. Sic Constantinus victor Urbem solenni cum pompa ac gratulatione & faustis Senatus populique Romani acclamationibus ingressus est. Tituli ei tanquam *liberatori urbis, fundatori quietis*, decreti: ac statua ipsi in foro posita crucem manu prætendens, victoriæ crucis beneficio partæ argumentum. Hinc indictionum origo repetitur.

An. V. C. 1066. Christi 313. Const. imp. 8. ætat. 41.

Constantinus tertium consul Licinio iii. cos. rebus omnibus in Urbe ordinatis inde circa xvi. Kal. Febr. ad exortos interim in Germania tumultus pacandos discedit. Prius tamen Mediolani sororem suam Constantiam Licinio Aug. nuptum dedit. Ad quas nuptias Diocletianus vocatus, & quod venire recusasset minacibus illorum literis territus, tertio post anno venenum hausisse dicitur. *Aur. Victor.* His nuptiis celebratis Licinius in Illyricum, Constantinus in Gallias, ad Rheni ripam concessit: Francos transitum molientes comprimit, & mox per duces, quos ibi reliquerat, vincit. Maximinus contra Constantinum & Licinium Augg. bello suscepto a Licinio superatus, in Asiam fugit: ubi miserando mortis genere periit. *Euseb. Zosim.* Constantinus delatas ad se cum in Galliis esset in Agrippina civitate Donatistarum in Africa turbantium controversias, Melchiadi Pontifici Romano dirimendas committit, a quo illi damnantur.

An. V. C. 1067. Christi 314. Const. imp. 9. ætat. 42.

Iterum Donatistæ ab Æliano Africæ proconsule xv. Kal. Mart. & ad Kal. Aug. damnantur a Synodo Arelatensi, cui ipse Constantinus cum ducentis, ut ait *August. contra Parmen. l. 1. c. 5.* vel *ut Ado Viennensis*, cum trecentis episcopis interfuerat.

An. V. C. 1068. Christi 315. Const. imp. 10. ætat. 43.

Cum Constantinus IV. cos. Licinio IV.

col. Bassianum, cui cum Italiæ administratione Anastasiam sororem conjugem dederat, insidias ipsi molientem morte mulctasset, & Sinicium ejus fratrem totius sceleris incentorem & architectum a Licinio, cujus partes sequebatur repetiisset: negante Licinio, cui jam Constantinus propter dejectas ab eo apud Æmonam statuas suas, vel ut ait *Eusebius*, propter malevolum illius erga Christianos animum erat infensus, bellum ei indicit, & primum ad Cibalim (Cibalas alii legunt) Pannoniæ oppidum, juxta paludem Hiuleam nomine, tum Sirmii, tandem in campo Mardiensi Licinianos profligat. *Eutrop. Victor.* At Constantinus summo victoriæ jure uti nolens pacem Licinio ea conditione dedit, ut *ipse Illyrios, omnem Dardaniam, Mæsiam, Macedoniam, & ulteriores in Occidentem provincias; Licinius Thraciam & ulteriora in Orientem retineret, Valens ceu malorum auctor tolleretur.* Zosimus.

An. V. C. 1070. *Christi* 317. *Const. imp.* 12. *ætat.* 45.

Cum Licinium opprimere difficile propter ejus potentiam, durum propter affinitatem Constantino videretur: ad perennem inter se firmandam concordiam, cum Licinio convenit, ut Crispus tum 15. annorum adolescens, Constantinus paucis ante mensibus Arelate ortus, ac Licinius seu Licinianus Licinii Aug. Filius mensium, ut recte ait *Victor*, non annorum, ut *Zosimus* vult, viginti, Cæsares simul fierent: Kal. Martiis, ut referunt *Idatius*, & *Chronicon Alexandrinum*. Quod fœdus haud diuturnum fore defectu solis his diebus orto patefactum ait vulgaris *Victor*.

An. V. C. 1071. *Christi* 318. *Const. imp.* 13. *ætat.* 46.

Constantinus Licinio Aug. v. consuli Crispum Cæsarem collegam facit.

An. V. C. 1072. *Christi* 319. *Const. imp.* 14. *ætat.* 47.

Constantinus v. consul Licinio Cæsare collega Sarmatas & Gotthos Danubium transgredi ausos profligat, occiso eorum rege Rausimodo. Cœpta est hoc anno Liciniana in Christianos persecutio.

An. V. C. 1073. *Christi* 320. *Const. imp.* 15. *ætat.* 48.

Dum Constantinus Aug. VI. consul Constantino Cæsare collega Sarmatico bello esset intentus, interim Crispus Cæsar, idemque princeps juventutis in Galliis a patre relictus Francos & Alamannos media hyeme delevit.

An. V. C. 1074 *Christi* 321. *Const. imp.* 16. *ætat.* 49.

Crispo Cæsare II. & Constantino Cæsare II. coss. Quinquennalia utriusque quæ in XV. Constantini annum incidebant magna pompa celebrata sunt.

An V. C. 1076. *Christi* 323. *Const. imp.* 18. *ætat.* 51.

Constantinum inter & Licinium redintegratur bellum, misso in Gallias Constantino Cæsare, Crispus inde evocatur ut eum classe, Amando Licinianæ classis præfecto opponatur.

An. V. C. 1077. *Chr.* 324. *Const. imp.* 19. *ætat.* 52.

Cum Crispus & Constantinus Cæsares tertium essent coss. hic Gotthos e Thracia, Mæsiaque Martio mense expulit: Ille Amandum, (quem Zosimus Abantum appellat) Licinianæ classis præfectum 5. non. Jul. circa Hadrianopolim fudit, qua in pugna duos equites in cœlo visos aiunt *Cuspiniani Anonymus, & Pomp. Lætus*, qui Licinianas legiones cæderent. Mox iterum ad Callipolim, demum ad Calchedonem 14. Kal. Octob. *Idat. Chronicon Alexand.* Victum Constantinus vita donat, deprecante Constantia hujus uxore, illius sorore. *Eutrop. Zosim. Anonym. Valesii.*

An. V. C. 1078. *Christi* 325. *Const. imp.* 20. *ætat.* 53.

Hoc anno Licinius Christianæ Religionis hostis infensissimus Thessalonicæ, ubi rupto fœdere turbas moliebatur, Constantini jussu perimitur. *Idat. Euseb.* cum esset octogenarius, inquit *Joan. Bap. Egnatius.* Eodem anno synodus Nicæna contra Arium a 318. patribus celebrata, cœptaque 18. Kal. Jul. & 8. Kal. Sept. terminata. Antequam vero synodi Patres dimitteren-

tur Constantini Vicennalia ab iis Nicomediæ magna cum pompa edita sunt.

An. V. C. 1079. *Christi* 326. *Const. imp.* 21. *ætat.* 54.

Constantinus VII. consul Constantio Cæsare collega Crispum filium 23. aut 24. annorum adolescentem, Helenæ, ut ex *l. 9. cod. Th. de indulgentiis criminum* patet, matrimonio junctum, a Fausta noverca tentati cum ea stupri accusatum credulus nimium supplicio afficit Polæ in Istria, ut ait *Ammianus*, non Romæ ut vult *Zosimus*. Cujus necis causam silentio prætermittit *Eusebius*, incertam fuisse tradit *Victor Schotti* ac *vulgaris Victor* Faustæ, *Zosimus* Constantini arrogantiæ tribuit. Interim Helena sive ex dolore nepotis sui interfecti, seu potius ex pietate in Palæstinam abit, ubi Christi cruce reperta, extructisque templis, altero Bethleemi, altero in monte Olivatum: tandem Romam contendit, Constantinus pietatis suæ monimenta excitaturus Hierosolymam superioribus bellis pene eversam instaurat, atque erectis templis amplificat.

An. V. C. 1080. *Christi* 327. *Const. imp.* 22. *ætat.* 55.

Constantio Cæsare V. consule Constantinus agnita Faustæ, ut ait Philostorgius, libidine & calumnia, in calido eam balneo morte puniri jubet. Crispo vero statuam argenteam dicat auro superfusam, capite aureo cui titulus, Η ΔΙΚΗΜΕΝΟΣ ΥΙΟΣ ΜΟΥ, *injuste damnatus filius meus.* Post erectum hoc Crispi innocentiæ trophæum, Helena 15. Kal. Sept. Romæ obit, & a Constantino filio magnificentissimis exequiis in Basilica SS. Martyrum Marcellini & Petri via Lavicana sepelitur.

An. V. C. 1081. *Christi* 328. *Const. imp.* 23. *ætat.* 56.

Cum Constantinus urbem sui nominis ædificare vellet; primum in Asia in Sardico agro, post ad Sigæum Troadis, fundamenta jecit, mox mutato consilio Calchedone opus inchoat, ac tandem Bysantii situm & opportunitatem intuitus, ibi sedem imperii constituere statuit, urbemque totius Orientis & Occidentis spoliis locupletavit, *Cedrenus.*

An. V. C. 1082. *Christi* 329. *Const. imp.* 24. *ætat.* 57.

Constantinus VIII. consul Constantinum Cæsarem IV. consulem facit.

An. V. C. 1083. *Christi* 330. *Const. imp.* 25. *ætat.* 58.

Byzantium, a Constantino dicta Constantinopolis, seu nova Roma, Deiparæ Virgini V. idus Maias dicatur, feria ii. indictione iii. *Chronic. Alexandr.*

An. V. C. 1085. *Christi* 332. *Const. imp.* 27. *ætat.* 60.

Constantinus Aug. Gotthos quos non ita pridem a se victos in fidem acceperat, Satmatis molestos per Constantinum Cæsarem vincit. Centum prope millia ex iis partim inedia, partim frigore periere. Quare illi datis obsidibus, atque adeo regis sui Ariarici filio, pacem a Constantino petiere. *Aurel. Victor. & Anonymus Valesii.*

An. V. C. 1086. *Christi* 333. *Const. imp.* 28. *ætat.* 61.

Constantinus Constantem filium 8. Kal. Jan. consulem creat. *Idat.*

An. V. C. 1087. *Christi* 334. *Const. imp.* 29. *ætat.* 62.

Constantinus Sarmatas a servis rebellibus de regione sua nefarie pulsos perhumaniter accipit eorumque amplius CCC. millia per Thraciam Scythiam, Macedoniam, Italiamque disponit. *Anonymus Valesii*

An. V. C. 1088 *Christi* 335. *Const. imp* 30. *ætat.* 63.

Constantinus Constantio fratri, consulatum dat. Tricennalia sua edi jubet VIII. Kal. Augusti. Dalmatium Dalmatii fratris sui filium Cæsarem facit 14. Kal. Octob. Alteri fratri Annibaliano cum Pontico regno Constantiam filiam conjugem dat. Ac tandem Gallias Constantino Cæsari: Orientem Constantio: Africam, Illyricum, & Italiam Constanti: ripam Gotthicam Dalmatio tutandam dedit.

An. V. C. 1089. *Christi* 336. *Const. imp.* 31. *ætat.* 64.

Constantinus Constantio filio uxorem

dat quæ autem illa fuerit, ignoratur.

An. V. C. 1090. *Christi* 337. *Const. imp.* 32. *ætat.* 65.

Cum Constantinus Saporem Persarum regem præmisso cum exercitu Constantio & reliquo belli apparatu, territum ad petendã pacem adegisset, ipso die Paschatis morbo correptus, remedii causa Soteropolim ad aquas calidas est egressus, quibus non proficientibus, Helenopolim in Bithyniam adiit, ut earum aquarum beneficio uteretur: inde Achironam Nicomediæ suburbanum se deferri jubet, ubi partito inter filios imperio, nempe Galliis, Hispaniis, Britanniis Constantino: Thracia, Asia, Ægypto, & Oriente Constantio: Italia, Africa, & IllyricoConstanti pro hæreditate relictis: inter omnium astantium fletus ipso die Pentecostes XI. Kal. Junii sub meridiem decessit e vita, anno imperii 32. cum annos ætatis 65. complesset. Hæc ferme totidem verbis Eusebius; cui potius quam ceteris credendum reor. Etsi autem Constantii Chlori obitum & Constantini imperii exordium ad an. 305. pertinere recte, ut mihi videtur, probat *Petavius de doctrina temporum l.* 11. *c.* 35. communem tamen aliorum sententiam secutus sum: quo factum ut anno ætatis tricesimo quarto primum imperasse illum dixerim, cum tamen id anno ante contigisse putem, ex Eusebii loco ubi ait Constantinum, cum ad imperium pervenit, totidem annos natum, quot exegit in imperio. Quod superest Constantinum, non sine suspicione veneni a fratribus dati sublatum fuisse, volunt *Zonaras*, *Cedrenus*, & *Philostorgius*. Alii febri illum periisse scribunt. Ejus corpus magna pompa & populorum omnium luctu Constantinopolim delatum est, iidemque honores ab aulicis ei redditi, donec Constantius ex Oriente aliique ejus filii ad supremos ei honores reddendos advenissent. *Theodoret.* Utrum Constantinus paulo ante mortem baptisatus fuerit, ut testantur *post Eusebium, Hieronym. in Chronico. Ambros. orat. in fun. Theodos. Socrates, Theodoret, Sozomenus, Chronicon Alexandr. &c.* an vero paulo ante concilium Nicænum, ut ex actis Sylvestri & Theophanis testimonio probare contendit Baronius, nihil affirmo: tantum dico neque acta illa Sylvestri magnæ apud viros doctos auctoritatis esse, neque ausurum unquam Eusebium in re tam nota cuiquam imponere: præsertim cum id quarto postquam contigisset anno scriberet. Magna vi & animi & corporis fuit, excellenti oris specie, statura præstanti, ut ipso aspectu injiceret simul & amorem & admirationem sui. Gestorum bellorum magnitudine & victoriarum numero præclarus, in prælio strenuus, clemens in victoria, in pace administrandæ reipublicæ peritissimus bonarum artium parens, Eo laudis minus cupidus, quo dignior, ubique magnificus, liberalis, adversus bonos mitis, in seditionum fautores qualescunque illi forent, usque ad notam crudelitatis severus, integritate vitæ, castimonia, temperantia, ceterisque christianis virtutibus insignis, catholicæ vero fidei studio eo prædicandus magis, quod religionis Christianæ, quam imperatorum Romanorum primus susceperat, vindex acerrimus extiterit, dum ipsi sacrorum antistites vehementer inter se dissiderent.

DE AUCTORE
HUJUS PANEGYRICI.
ET QUO LOCO AC TEMPORE
HABITUS SIT.

Panegyricus iste, ut legenti statim liquet, in celebritate nuptiarum Constantini, & Faustæ Maximiani filiæ pronunciatus est anno Christi 307. cum Maximianus e Lucaniæ secessu ad resumendum quod ægre dimiserat imperium, & struendas Constantino insidias Treveros, ubi is erat, accessisset, ibique Faustam conjugem simul cum Augusti nomine acciperet. Auctor incertus est. Hunc Æduum fuisse putat Sigonius: sed quo argumento nitatur, haud apparet.

SYNOPSIS

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Cum pro more celebrandæ sint oratione Constantini jam Augusti cum Fausta Maximiani filia nuptiæ, tum præcipue totius reipublicæ nomine id a se fieri dicit oportere, qui hac præsenti lætitia perfruatur.*

DISTRIBUTIO *videtur esse.* I. *De Constantini.* II. *De Maximiani laudibus,* n. 2.

I. PARS. *Quid Maximianum moverit, ut hunc jam jure adoptionis nepotem, Majestatis ordine filium, etiam generum esse vellet. Nimirum quod patrem Constantium non specie modo, sed continentia, fortitudine, justitia, prudentia repræsentaret,* n. 3. *Hujus comparationis singula capita persequitur,* n. 4. *Quod Cæsaris appellatione contentus expectare maluisset, ut ab eodem, quo pater suus, declararetur Augustus,* n. 5. *Quod jam dudum hunc sibi generum destinasset, cum in Aquileiensi palatio tabulam exhiberi jusserat, in qua Fausta Constantino adhuc puero galeam offerebat,* n. 6.

II. PARS. *Transit ad Maximianum, quem laudat quod Gallias pacarit, quod Romana signa trans Rhenum barbaris gentibus intulerit, quod in Mauritania Quinquegentanas nationes domuerit, quod post tot tantasque victorias Romæ triumpharit,* n. 8. *Ingeniose conqueritur quod reipublicæ curam ad tempus deposuerit,* n. 9.

IN FINE. *Compellat utrumque imperatorem ex quorum nova affinitate nihil non sperandum dicit, sic enim fundandum deinceps imperium virtute juvenis & maturitate senioris,* n. 13. *Convertit orationem ad Constantium cœlo fruentem, quo adempto adhuc superfit & Maximiano filius, nec Constantino pater desit; denique multam sobolem Constantino precatur,* n. 14.

INCERTI PANEGYRICUS

MAXIMIANO ET CONSTANTINO.

I. DIxerint licet plurimi, multique dicturi sint ea, quibus omnia facta vestra, summarumque virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes, Maximiane, [1] velis, nolis, semper Au-

NOTÆ.

1. *Velis, nolis.*] Adulatorie dictum, quasi Maximianus invitus, & ad obsequendum tantum diis, abdicatam ante quatuor annos purpuram resumpsisset. Quod tamen regnandicupiditate, & solitudinis tædio ab eo factum tradunt *Eutrop. Victor, & alii.* Maximianum harum nuptiarum tempore Augustum fuisse videtur esse contra fidem historiæ, ut observat Antonius Schonovius.

guste, & Constantine [2] oriens imperator; mihi tamen certum est ea præcipue isto sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ, quá tibi Cæsari additum [3] nomen imperii, & istarum cœlestium [4] nuptiarum festa celebrantur: cetera enim in rempublicam beneficia vestra possunt multis occa-
5 sionibus diversorum temporum prædicari: [5] huic voto propria nunc debetur oratio, quod semel factum futurum est sempiternum. Equidem scio gaudentium studia nunc ita toto orbe florescere, [a] quacunque Fama ultra naturam, qua fingitur [6] discursus volucres mutuata, & plus quam mille vocibus sonora, percrebuit, ut omnium nationum gratulationibus consecre-
10 tur; quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinæ vestræ concordiæ perpetuæque pietati hoc quoque [7] pignus accessit, summorum nominum arctissima conjunctione venerabile, ut imperatori filiam collocaverit imperator? [b] Sed tamen nos oportet omnes homines exultatione superare, qui hoc tantum
15 reipublicæ bonum præsentes intuemur, & ipsa vultuum vestrorum contemplatione sentimus ita convenisse vos, ita non dexteras tantum, sed etiam omnes sensus vestros mentesque junxisse, ut, si fieri possit, transire invicem in pectora vestra cupiatis.

II. Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum
20 hac affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum [1] juventa renovata sit, & tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accreverit? Maximas itaque vobis, æterni Principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis, optandisque nepotibus seriem vestri generis [2] prorogando omnibus in futurum seculis providetis ut Romana res,

INTERPRETATIO.

a *In quamcunque partem diffusa est fama supra naturam, quæ exhibetur sub specie volantis alitis.*

b *Sed tamen par est nos omnium maxime lætari.*

NOTÆ.

2. *Oriens imperator.*] Tum enim cum habita est oratio, Constantinus ex Cæsare primum dictus est Augustus.

3. *Nomen imperii.*] In aliquot exemplaribus est *nomen imper.* Quo fit ut legendum suspicer *nomen imperatoris*, potius quam *imperii*. Et vero infra n. 2. *& tibi Constantine per socerum nomen imperatoris accrevit.*

4. *Nuptiarum festa.*] Constantini & Faustæ Maximiani ex Theodora filiæ. *Euseb. Sozom. Zonar &c.*

5. *Huic voto.*] Videtur auctor hanc orationem *votum* inscriptam voluisse. Nam n. 13. *sicut huic voto congruit*, id est, huic orationi meæ: sic enim quia imperatores instar deorum colebant, & quidquid ad eos pertinebat sacrum erat, non mirum si *votum* appellat orationem, quam ipsi fortasse promiserat. Infra n. 7. *Ita dicam, ut veritas meæ erga te devotionis appareat.*

6. *Discursus volucres.*] Lege cum Acidalio, *Discursu volucris incitata, & plusquam &c.*

7. *Pignus accessit.*] Id est, Maximiani filia, infra n. 3. *cum ab eo pignus ipsi charissimum postulares.*

1. *Juventa renovata sit.*] Maximianus enim tum sexagenarium annum attingebat.

2. *Prorogando.*] Alii ex veteri codice *propagando*. Et vero mox *qui imperatoriam stirpe rempublicam propagatis.*

olim diverſis regentium moribus fatiſque jactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus [3] coaleſcat, tamque ſit immortale illius imperium quam ſempiterna ſoboles imperatorum. Hæc eſt vera pietas, hæc [4] voluptas conſervandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia ſtudioſius expetenda, & liberos educandos, ut ſubſtituendis ſucceſſionibus ſingulorum nihil obſit unumquemque eſſe mortalem, [5] cum immortalis ſit poſteritate reſpublica. Quare ſi leges hæ, quæ [6] mulcta cœlibes notaverunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur eſſe fundamenta reipublicæ, quia ſeminarium juventutis, & quaſi fontem humani corporis ſemper Romanis exercitibus miniſtrarunt, quod huic veſtro in rempublicam merito poſſumus dignum nomen adſcribere? qui non plebeio germine, ſed imperatoria ſtirpe rempublicam propagatis, ut quod [7] milleſimo anno poſt Urbem conditam eveniſſe tandem gratulabamur, ne mutatoria per novas familias communis ſalutis gubernacula traderentur, [8] id eſt, omnibus duret ætatibus, imperatores ſemper Herculii.

III. Quemnam igitur utriuſque veſtrum præconii ac venerationis ordinem faciam? adhuc enim de amborum in hanc neceſſitudinem congruentibus votis communiter dixi. Et te quidem ſentio, ſenior Auguſte, majeſtate præcedere, te ſequi, [1] junior Imperator. [2] Sed profecto ſicut tuo, Conſtantine, ſocero ante eſt conciliata divinitas, quam ab eo pignus ipſi chariſſimum poſtulares; ſic & nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda ſunt, quæ in te conſiderans tantus iſte, [3] & paterni & tui auctor imperii, lætatus eſt quod petiſti. O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majeſtatis ordine filium, etiam generum eſſe voluiſti! Divi inquam Conſtantii filium, in quem ſe prima illius juventa transfudit, in cujus ore cœleſtes illius vultus [4] natura ſignavit, qui aſpectum illius ad deorum concilia tranſlati adhuc deſiderantibus nobis ſufficit pro duobus. Neque enim forma tantum in te patris, Conſtantine, ſed etiam continentia, fortitudo, juſtitia, prudentia ſeſe votis gentium præſentant.

NOTÆ.

3. *Coaleſcat.*] Infra n. 13. *Perpetuis profecto affinitas iſta coaleſcet ſtirpibus, quæ ſemper ſummos in republica viros ad concordiam copulavit.*

4. *Voluptas conſervandi.*] Melius Acidalius *voluntas.*

5. *Cum immortalis ſit.*] Dum alii homines aliis ſuccedunt, etſi ſinguli mortales ſint, fit tamen ut velut integra atque eadem ſemper ſit reſpublica, & ſic propagata poſteritate velut immortalis.

6. *Mulcta cœlibes notaverunt.*] Vide Plinii paneg. n. 26. not. 9.

7. *Milleſimo anno.*] Sub duobus Philippis, cum filius patri ſucceſſit.

8. *Id eſt, omnibus.*] Lege cum Grutero *idem* vel cum aliis *id.*

1. *Junior.*] Si cum ſexagenario Maximiano conferatur, ipſe enim Conſtantinus agebat annum 34.

2. *Sed profecto.*] Verſatur in lubrico loco, dubius utrius imperatoris laudes primum perſequatur.

3. *Et paterni & tui.*] Maximianus enim Conſtantium Conſtantini patrem, Cæſarem, & Auguſtum fecerat.

4. *Natura ſignavit.*] Idipſum confirmat pan. 7. n. 4. *Inde eſt quod tanta ex illo in te*

IV. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti, ut [1] primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres; novum jam tum miraculum, juvenis uxorius? Sed, ut res est, mente præsaga omnibus te verecundiæ observationibus imbuebas, talem postea ducturus uxorem. Fortitudinem autem illius jam tum in principiis consecutus es. [2] Multa ille Francorum millia, qui Bataviam, aliasque eis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit: tu jam ab ipsis [3] eorum regibus auspicatus es, simulque & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore vinxisti. Liberavit ille Britannias servitute; tu etiam nobiles illic [4] oriendo fecisti. Plurimas ille barbaras nationes victoria domuit, venia mitigavit; [a] tibi cunctis hostibus alacritatis tuæ terrore compressis interim deest materia vincendi.

V. Justitiam vero patris atque pietatem sic imitaris, & sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exolvere; idque ipsum coram gaudeas prædicari, quidquid tu juste ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario præstitisse. Nam quid ego de prudentia dicam, qua te pœne credimus fore ipso patre potiorem? qui veteres illos Romanæ reipublicæ principes, [1] superiorem Africanum, [2] Pompeiumque Magnum, ætatis cursum virtute prævectos, tam [3] mature sumpto vincis imperio, [a] tantarumque rerum sustines molem incipiente virtu-

Interpretatio.

a *Postquam fregisti hostes omnes fortitudine tua territos.*

a *Et hac prima ætate summarum rerum gestarum gloria præstares.*

Notæ.

formæ similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas: sic est index modestiæ rubor &c.

1. *Primo ingressu adolescentiæ.*] Locus insignis ad probandam & Constantii & Constantini continentiam: sed id in utriusque vita expendimus.

2. *Multa ille Francorum millia*] De Constantii expeditione pan. 5. n. 8. & pan. 7. n 5. *Nec contentus eas vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed & feritatem ponere cogerentur.* Ibidem de Britanniis post decimum tandem annum recuperatis.

3 *Eorum regibus.*] Ascatico & Regaiso quos statim a Constantii morte turbas molientes Constantinus fregit, ac bello captos in theatrum induxit belluis dilaniandos. *Eutrop.*

4. *Oriendo.*] His potissimum verbis nituntur, qui Constantinum in Britannia natum putant; quæ etsi in alium sensum detorqueri possint, tamen de natali Constantini ortu accipienda esse observavimus in ejus vita.

1. *Superiorem Africanum*] Id est, Scipionem Africanum majorem de guo vide Plinii paneg. n 13 not. 9.

2. *Pompeiumque.*] Is cum annorum esset adhuc 17. sub patre Pompeio meruit, anno vero ætatis 23. tres legiones ipse ad Syllam duxit, ac tertio post anno recepta Italia & Nicomedia triumphavit. De ceteris ejus victoriis vide *Plutarchum.*

3. *Mature sumpto vincis imperio.*] Nazar. n. 16. *Tu imp. opt. inito principatu adhuc avi*

tè. Gesseris enim multa fortiter licet, multa sapienter, cum per [b] maximos tribunatus stipendia prima conficeres; sentias necesse est tantæ auspicia fortunæ, Imperator adolescens. Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potius quam gravitatis nomen usurpo? cujus tanta maturitas est, ut cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen [4] appellatione contentus, expectare malueris, ut idem te, qui illum declararet Augustum. Siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabas, si id non hereditarium ex successione crevisses, sed virtutibus tuis debitum a summo imperatore meruisses. 5

VI. Neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi generum etiam ante quam petere posses sponte delegerat. Hoc enim, ut audio, [1] imago illa declarat in [2] Aquileiensi palatio, ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet atque offert tibi etiam tum puero galeam auro gemmisque radiantem, & pennis [3] pulchræ alitis eminentem: ut te, quod vix ulla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem. Fortunatus pictor ille, quisquis fuit, & quamvis [4] Apellem, ipsumque [5] Parrhasium scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior! Quanquam enim ipsi ferant difficillimam esse, [6] præcipue cujusque formæ, imitationem, quia certis sui notis cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulchritudinis tam sit ardua quam rara est pulchritudo; non tantum tamen ille cepit laboris ex ore vestro divinas species transferendo, quantum 10 15 20

INTERPRETATIO.

b *Maximus Tribunus.*

NOTÆ.

immaturus: sed jam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.

4. *Appellatione contentus.*] Huic loco consentiunt *Eutropius*, *Zosimus*, *Victor*, *&c.*

1. *Imago illa.*] De imagine ista nullibi, quod sciam, præterquam hoc in loco mentio est, sed nimirum levius quiddam est, quam ut locum habeat in historia.

2. *Aquileiensi palatio*] *Aquileia* in Italia Carnorum Metropolis, inter Concordiam urbem ad occidentem; Tergestum, ad orientem, & mare Adriaticum, ad meridiem a quo de vix 9. milliar. distat. *Aquileo.*

3. *Pulchræ alitis*] Pavonem propter varium pennarum fulgorem pulchram alitem appellat.

4. *Apellem.*] Apelles pictor fuit eximius, patria Cous. (Cos autem una ex insulis Cycladibus est) is picturæ plura solus prope contulit, quam ceteri omnes. Floruit Alexandri Macedonis temporibus, qui tantum illi tribuit, ut ab uno illo pingi se voluerit. Moriens Venerem Cois quam inchoarat reliquit imperfectam, vel sic tamen ita præstantem ut eam nemo pictor ausus sit absolvere. Ovid. *Si nunquam Venerem Cois pinxisset Apelles, moesta sub æquoreis illa lateret aquis.*

5. *Parrhasium*] Parrhasius itidem pictor fuit celeberrimus, patria Epheso, qui cum de picturæ laude cum Zeuxide contendisset, isque uvis apte & ex arte pictis aves fefellisset; Parrhasius non aves tantum, sed laudis suæ æmulum linteo expasso decepit. Vixit paulo ante Apellem.

6. *Præcipue cujusque formæ.*] Lege cum Acidalio *præcipua*, id est, præstantis, &

divinitatis hausit cominus vos inspiciendo, intuendo sollicite, & curiose ab hilaritate illius ætatis vultus immobiles & serios exigendo, promendo denique amoris vestri tacita præsagia; ut, quod invicem vobis verecundia negabat, libere vos in imagine cerneretis.

5 VII. Sed profecto hoc jam tum, Maximiane, divina[a] mente præsumpseras, hoc cum ferret ætas, ut rogareris optaveras, cum tibi in illa [1] jucundissima sede lætitiæ, harum nuptiarum gaudia [2] prædestinabas; [3] ut simul illam parvulam & hunc intuendo crescentem diu fruereris expectatione voti, quod hac conjunctione firmasti. [b] Quid enim competentius, 10 quid providentia tua dignius facere potuisti? quam ut ejus filio, quem tibi pridem & [4] affinitate adsciveras, & majestate sociaveras, nunc ex intimis affectibus traderes summi pignus imperii? Hæc est tua, Maximiane, inter omnes principes propria[c] largitio. Alii divitias, aut honores, aut ipsa etiam imperia, sed sola donarunt, tu animo majore quam ceteri pariter 15 indulges, & quod pietas tua habet charissimum, & quod fortuna præcipuum. Nec tamen miranda ista in te est, Maximiane, animi magnitudo, in quem dii immortales tanta congesserunt & naturæ bona, & ornamenta fortunæ, ut quamvis maxima largiaris, ita penes te sint omnia quasi ea solus obtineas. Ut enim ille qui omnes aquas cœlo & terris præbet Ocea- 20 nus,[d] semper tamen in motibus suis totus est; ita tu potes imperium, Maximiane, donare, non potes non habere. De quo ego cum ad id loci venero ita dicam, ut fortasse quibusdam videar audacior, veritas tamen meæ erga te devotionis appareat.

VIII. Nunc enim sequitur, ut, quoniam virtutes tuas, Constantine 25 Auguste, socero prædicavi, tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas. Hic est, qui nomen, quod accepit a deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed[a] æquatis virtutibus comprobavit. Hic est qui, [1] in ipso ortu numinis sui, Gallias priorum temporum injuriis efferatas, rei-

INTERPRETATIO.

a *Animo præceperas.*
b *Quid enim convenientius.*
c *Munificentia.*
d *Tamen in aquarum suarum dispensatione integer manet.*
a *Paribus virtutibus.*

NOTÆ.

eximiæ: mox *similitudo tamen*, lege *similitudo autem*.

1. *Jucundissima sede lætitiæ.*] In eo loco ubi regnat *lætitiæ Bacchus dator*, & Æneid. 1. 738.

2. *Prædestinabas.*] Vox haud Ciceroniana pro eo quod est *animo præcipiebar*.

3. *Ut simul.*] Id est, ut in imagine illa Faustam filiolam tuam, simul & puerum Constantinum crescentes dum videres, pasceres te jucunda expectatione desiderii tui, quod utriusque nuptiis firmasti.

4. *Affinitate adsciveras.*] Cum Theodoram privignam suam Constantio collocavit.

1. *In ipso ortu numinis sui.*] Simul Maximianus Cæsar factus est Gallias Carini Cæsaris vexationibus ac ferocia exacerbatas,

publicæ ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem. Hic,[2] quod jam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. Hujus [3] cum fratre rursus ac sæpius expeditionibus domita Germania[4] [b] aut boni consulit ut quiescat, aut lætatur quasi amica si pareat. Tu ferocissimos Mauritaniæ populos 5 inaccessis montium jugis, & naturali munitione fidentes expugnasti, recepisti, transtulisti. Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia [5] populus excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret,[c] stipatione sui vix ad portas urbis admitteret. [6] Te rursus vicesimo anno imperatorem, octavo consulem ita ipsa amplexu quodam suo 10 Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam & timere quod factum est. Est enim, Imperator æterne, in quo uno querelam reipublicæ pœne meruisti.

IX. [1] Audi doloris nostri liberam vocem. Siquidem dii ipsi quod plerumque humanas res negligant, dum querimur ignoscunt, quibus aliud 15 fortasse curantibus grandines ruunt, terræ dehiscunt, urbes hauriuntur. Quæ non illis hauriuntur volentibus, sed aut aliorsum aspicientibus, aut fatali rerum cursu urgente videntur accidere. Tale est, Imperator, quod omnibus nobis[a] incluso gemitu mœrentibus facere voluisti, non quidem tu reipublicæ negligentia, aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus, 20 sed consilii olim,[2] ut res est, inter vos placiti constantia, & pietate fraterna; ne quem totius vitæ summarumque rerum socium semper habuisses,

INTERPRETATIO.

b *Partim* id *æquo animo fert, ut pacem habeat, partim gaudet, quæ* nobis *subjecta est, quasi sponte jugum ferat.*

c *Ut vix subire posset urbis portas, tanta te* populi *multitudo stipabat.*

a *Intimo* in *pectore gementibus.*

NOTÆ.

& rebellionem meditantes compressit.

2. *Quod jam falso*] Id est, quod de veteribus imperatoribus Cæsare, Tiberio, Trajano referebatur, arma eos barbaris ultra Rhenum intulisse: Maximiani tempore fabulæ loco erat, adeo nihil simile visum ab his usque temporibus, donec ille omnium primus hæc fortitudinis exempla instauravit.

3. *Cum fratre.*] Diocletiano.

4. *Aut boni consulit.*] Mirifice Pacatus amavit hunc panegyricum, ex quo jam unum aut alterum locum pœne exscripsit. n. 22. *Quæcunque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam vobis fuit, aut boni consulit ut quiescat, aut lætatur quasi amica si serviat.*

5. *Populus excepit.*] Tangit triumphum quem Maximianus cum Diocletiano egit an. Chr. 298. Romam post subjectos Mauros reversus. Victores autem in Capitolium deducebantur. *Plin. pan. n. 8. not. 5.*

6. *Te rursus vicesimo anno.*] Maximianus imperium cum Diocletiano abdicavit anno Chr. 304. qui erat ejus imperii annus nonus post decimum, certe quidem si ab eo, quo Cæsar factus est, anno computantur.

1. *Audi doloris nostri.*] Plenus artificii locus, in quo levitatis notam a Maximiano amolitur.

2. *Ut res est.*] Hanc loquendi formulam hujus ætatis propriam esse supra notavimus. *Pan. 3. n. 9. not. 4.*

in alicujus facti communitate defereres, [3] [b] ne vel illius, viderit quali, certe novae laudi cederes. Verum longe diversa [4] in vos erat causa declinandi, aut sustinendi laboris. Quanquam etsi totam excusationem aetatis afferres, sic quoque tibi reipublicae curis non erat [5] abnuendum. An si maximus
5 quisque natu gubernator est certissimus ad salutem, non is est optimus qui usu peritissimus imperator? aut te unquam [6] Constantini liberi nostri nepotesque patientur, vel cum ad summam perveneris senectutem reipublicae vela contrahere, quae tam felicibus ventis etiam juvenis impleveris? Sed tamen utcunque fas fuerit eum principem, quem anni cogerent, aut
10 valetudo deficeret receptui canere; te vero, in quo adhuc istae sunt integrae solidaeque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur. [7] Quid enim aliud participi majestatis tuae dare potuit veniam quietis, quam ut tu imperio succederes pro duobus?

15 X. Sed profecto exegit hoc ipsa varietas & natura fortunae, cui nihil mutare licuerat, dum vos imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur: aut etiam dii immortales probare voluerunt tibi innixam stetisse rempublicam, cum sine te stare non posset. Quanquam [1] in istis quidem partibus, non caruit pristina
20 firmitate: ibi vero poene funditus corruit, unde tu, Maximiane, discesseras. Adeo illic plurimum habuerat stabilitatis afferta, ubi deserta maxime vacillavit, non aliter enim quam solet terra ventis, aut aquis subter immissis intervulsa sui soliditate nutare, ita cuncta Italia, atque ipsa Roma subducta repente qua sustentata fuerat dextera tua, contremuit ac poene
25 consedit. Quod ego cursim transeo: cur enim vel recordemur adversa, cum videamus omnia tuo reditu restituta? fecit enim Roma ipsa pro majestate nominis sui, ut ostenderet, posse se etiam [2] imperatoribus impe-

Interpretatio.

b *Neve illi inferior esses, novae quidem* huic *laudi, qualiscunque illa foret.*

Notae.

3. *Ne vel illius.*] *Neve illius.* Acidal.

4. *In vos.*] *Inter vos.* Acidal. vel *vobis* Langius.

5. *Abnuendum.*] Alii *abeundum*, malim *abstinendum*, vel *absistendum*, ut suspicatur Acidalius.

6. *Constantini liberi nostri.*] Ita cum Rhenano lego & Daniele, pro *Constantini liberi nostri*, ut est in Puteana editione.

7. *Quid enim aliud.*] Sensus est. Quid enim aliud fuit, quamobrem Diocletiano imperii tui socio veniam dederimus, quod quietem imperatoriis laboribus praeposuerit, nisi quia sic effecit, ut tu pro duobus imperium administrares.

1. *In istis partibus.*] Id est, in Galliis, ubi haec oratio dicebatur. Mox *ibi vero*, id est, in Italia, in qua Maxentius miras turbas excitavit.

2. *Imperatoribus imperare.*] Id est, Maximiano, cui Roma pro suo jure praecipit, ut depositum resumat imperium. Eadem exercitus Maximiano abduxit, cum privatus in Lucaniam concessit, eidemque reddidit, cum adversus Maxentium cum copiis progressus est.

rare.

rare. Abduxit exercitus suos, ac tibi reddidit, & cum [3] ad sedandos animos auctoritatem privati principis attulisses, [4] supplices tibi manus tendens, [5] vel potius queribunda, clamavit.

XI. Quousque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem? An quod 5 [1] Divo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta imperii non licuit annos, tam cito licuit? Ideone te mihi ille, cujus tot aras, tot templa, tot nomina colo, Hercules dedit, [a] ut tu in suburbano otiosus sedens usum dicatæ mihi virtutis amitteres? Redde te gubernaculis meis, & quoniam tranquillo mari portum intrare properasti, vade per fluctus, mei 10 quidem amore solicitus, sed tua majestate securus. Et tamen, [2] per te tibi steterit, injuriam in mei restitutione patieris. Imperasti pridem [3] rogatus a fratre, rursus impera jussus a matre. O cœlestem, Imperator æterne, pietatem tuam, quæ tuum illum animum semper invictum sola vicit. Non potuisti resistere sanctæ illius parentis imperio, & invitus licet paruisti, & te 15 illis vigiliis illisque curis, quas viginti annis expertus fueras reddidisti. Quibusnam, tu domina gentium, potes compensare beneficiis hoc tui imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens, quantus sit imperandi labor, propter te non utitur illa, quam degustaverat voluptate, tantumque reipublicæ onus suscipit post quietem. [b] Facilius fuerat jugiter imperasse: 20 quamvis enim magnum laborem consuetudo non sentit, [c] intermissa desiderant novas vires.

XII. Quanta opus fuit tibi, Imperator æterne, providentia, quanta auctoritate, ut subsidia reipublicæ jacentia erigeres, exanimata recreares, dilapsa colligeres? Mirabamur te post imperium esse privatum. Multo 25 magis mirum est imperium ferre post otium. Solus hoc, ut dicitur, potuit

INTERPRETATIO.

a *Ut mihi subtraheres virtutem, quam mihi consecraras.*

b *Facilius fuisset sine ulla intermissione imperium tenuisse.*

c *Si tamen est aliqua intermissio, novæ vires adhibendæ sunt.*

NOTÆ.

3. *Ad sedandos animos.*] Prætorianorum cum Maxentio rebellantium.

4. *Supplices tibi manus tendens.*] Nota ingeniosam urbis Romæ prosopopœiam, ad avertendam a Maximiano, siqua erat in receptione imperii, vel invidiam, vel notam levitatis aptissimam.

5. *Vel potius.*] Duas has voculas Acidalius putat esse expungendas. Verum tamen extant in omnibus editionibus.

1. *Divo Augusto.*] Obiit enim anno ætatis 76. imperii vero anno 56. *Sueton.*

2. *Per te tibi steterit.*] Locus corruptus. Fortasse, *tanti imperator tibi steterit*: nempe reip. pacem reddere, ut hæc gloria redimenda sit tibi aliqua injuria. Tangit illud quod de eo habet Eutrop. *Herculius Maximianus post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem & convitia militum tulit.*

3. *Rogatus a fratre.*] Id est, a Diocletiano, *jussus a matre*, id est a patria.

[1] deus ille, cujus sunt quod vivimus, & videmus, ut habenas male creditas, & cursum devio vectore turbatæ tranquillitatis reciperet, rursumque dirigeret. Cujus simile tu, Imperator, etiam facile fecisti. Neque id mirum, cum enim a te recessit imperium, & privatus licet dici velles, inhæ-
5 sit tibi ingenita majestas. Omnes exercitus vestri, omnesque provinciæ requiescere te post tanta opera utcunque æquo animo tulerunt, imperare desiisse nunquam crediderunt. Quid enim putas tibi, Maximiane, Jovem ipsum respondisse cum tu ingenti animo diceres, Recipe, Jupiter, quod commodasti. Hoc profecto respondit, Non mutuum istud tibi tradidi,
10 sed æternum,[2] non recipio, sed servo. Statim igitur ut præcipitantem rempublicam refrenasti, & gubernacula fluitantia recepisti; omnibus spes salutis illuxit. [3] Posuere venti, fugere nubes, fluctus residerunt. Etiam sicubi adhuc [4] in longinquioribus terris [a] aliqua obversatur obscuritas, aut residuus undarum pulsus immurmurat, necesse est tamen [5] ante tuos nu-
15 tus, dilucescat, & sileat.

XIII. Dixi pro ratione temporis, sacratissimi Principes, ea quæ in vobis invicem, ut facitis, admirati, & amare debetis. Restat ut ipsa illa, quæ separatim de virtutibus vestris locutus sum, sicut huic voto congruit, in sermonis fine conjungam. Dii immortales quanta Romano imperio
20 [1] renovastis, quæ jam, ut res est, cesserant vetustati. Maximiano imperatori æterno, Constantinus imperator novus plus cœpit esse quam filius. Favet ille crescenti, adest [2] iste seniori.[3] Perpetuis profecto affinitas ista coalescat stirpibus, quæ semper summos in republica viros ad concordiam copulavit. Etenim si quamvis dissidentes familias [4] Gracchi & Cor-

INTERPRETATIO.

a *Aliqui sunt tumultus, & reliquiæ excitatæ tempestatis fremunt.*

NOTÆ.

1. *Deus ille.*] Maximiani & Apollinis comparatio admodum ingeniosa. Is enim relictas, & devio vectori, nempe Phaethonti, male creditas habenas necesse habuit rursum dirigere, ut pacem turbato mundo referret.

2. *Non recipio.*] In perpetuum, *sed servo*, ad tempus illud ipsum brevi tibi redditurus.

3. *Posuere.*] Æneid. 7. 27. *Cum venti posuere, omnisque repente resedit flatus.*

4 *In longinquioribus terris.*] Indicat in Italia turbas a Maxentio excitatas.

5. *Ante tuos nutus*] Lege *ad nutus tuos.*

1. *Renovastis.*] Paulo enim ante Maximianus Aug. erat Constantii Aug. socer, nunc idipsum ait a diis immortalibus esse renovatum. Siquidem rursum Maximianus imperator est Constantini socer.

2. *Iste seniori.*] Locum hunc juxta Livinei suspicionem emendatum oportuit. Ante enim erat *iste senior*, in quo mendum esse nemo opinor non agnoscit.

3. *Perpetuis profecto.*] In editione Puteana est *perpetuis profecto pietatibus affinitas ista &c.* Cum Grutero erasi hanc vocem *pietatibus*, quæ quidem abest in codice Langiano. Alii pro *pietatibus*, legunt *pietas & affinitas ista* &c.

4. *Gracchi & Corneliæ.*] Tiberius Sempronius Gracchus Prætor Galliam domuit. Consul an. V. C. 576. Hispaniam; altero consulatu Sardiniam subegit: bis triumphavit. Is graves cum Scipione Africano majore gessit inimicitias, quibus tamen reip. causa depositis ejus filiam Corneliam

neliæ matrimonium reduxit in gratiam, si pro divo Augusto[5] Actiacam victoriam tantummodo[6] gener Agrippa confecit; quid sperandum est, cum sempiternam patris ac filii charitatem etiam nuptiarum fœdus astrinxerit? Quod si Publius Scipio bellum Punicum[7] suscepit adolescens, ipsum postea superaturus[8] Annibalem; si[9] Marius a factione Sullana Urbem recepit senex, idque magno intervallo temporum evenisse memorabile est; quam facile nunc omnes metus ponat Romana respublica, quæ defenditur conjuncti imperii duabus ætatibus, pariterque utitur virtute juvenis & maturitate senioris? 5

XIV. Te,[1] pater, ex ipso imperii vertice decet orbem prospicere communem, cœlestique nutu rebus humanis fata decernere, auspicia bellis gerendis dare,[2] componendis pacibus leges imponere: te, juvenis, indefessum ire per limites,[a] qua Romanum barbaris gentibus instat imperium, frequentes ad socerum laureas mittere, præcepta petere, effecta rescribere. Ita eveniet ut & ambo consilium pectoris unius habeatis, & uterque vires duorum. O felix in imperio, & post imperium felicior, audis enim profecto hæc, & vides, Dive Constanti, quem[3] curru pœne conspicuo, dum vicinos ortus repetit occasu sol ipse invecturus cœlo excepit! Quanto nunc gaudio potiris, quanta voluptate perfrueris, cum 10 15

INTERPRETATIO.

a *In* eam *imperii Romani* partem *qua barbaris gentibus proxima sunt.*

NOTÆ.

duxit conjugem.

5. *Actiacam victoriam.*] Ad Actium an. V. C. 724. Relatam iv. Non. Sept. *Actium* autem urbs & promontorium est Epiri, ad os sinus Ambracii contra Nicopolim, ubi maritimo prælio victus est Antonius.

6. *Gener Agrippa.*] Juliam Augusti filiam duxit: ter Consul fuit. Huic Actiaci belli cura commissa est. Æneid. 6. 682. *Parte alia, ventis & diis Agrippa secundis arduus, &c.*

7. *Suscepit adolescens.*] Cum annorum esset 24. ut *Plinii pan. n.* 13. *not.* 9. diximus.

8. *Annibalem.*] Annibal Amilcaris filius 19. annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Exinde Saguntum Romanis fœderatam evertit, in Italiam trajecit, P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam: Flaminium apud Trasimenum: Paulum & Varronem apud Cannas prælio vicit. Idem Campaniæ deliciis fractus primum a Fabio, tum a Valerio Flacco, iterum a Galerio, Graecho & Scipione superatus; ad ultimum ne Romanis traderetur, hausto quod sub annulum habebat veneno absumptus est. *Aur. Victor.*

9. *Marius.*] C. Marius post Jugurtham ante currum actum, post Teutonas in Galliis, Cimbros in Italia victos & triumphum actum, exactosque in exilio aliquot annos, Urbem cum Cinna & Sertorio ingressus eam a Syllana factione eripuit jam senior, factusque est septimum consul an. V. C. 668. *Aur. Victor,*

1. *Pater.*] Compellat Maximianum: mox *te juvenis*, orationem convertit ad Constantinum.

2. *Componendis pacibus.*] Vox priscis bonæ latinitatis temporibus, aut nunquam, aut raro in plurali numero usurpata, sed in ejus ævi scriptoribus similia nonnulla identidem occurrunt, ut supra observavi.

3. *Curru pæne conspicuo.*] Ita restituendus fuit ex veteri codice pro *curru & pæne conspicuo, dum vicino ortus &c* Sensus vero est. Quem sol ipse occidens & properans ad

talem hunc filium tuum, qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessionem[4] idem pater, idem socer, idem imperator induxerit? Hæc est tua præter omnes divos propria immortalitas, quam videmus, filius similis aspectu, similis animo, par imperii potestate. Inviderint licet nobis, nihil tamen auferre domui tuæ fata potuerunt. Nec Maximiano filius qualis tu eras, nec Constantino pater deest. Quin etiam, ut omnibus modis tua necessitudo renovetur, rursus hic socer, rursus hic gener est, ut beatissimus imperator semper ex tua sobole nepotibus augeatur.

NOTÆ.

vicinos ortus, curru suo excepit in cœlum evehendum, quasi occidente Constantio, Cõstantinus toti terrarum orbi ortus esset. Alludit autem ad numum, cujus in postera parte Constantius curru invectus, sinistra manu quatuor equos regens, dextram manui quæ cœlo extendebatur jungens.

4. *Idem pater.*] Maximianus.

AD PANEGYRICUM VII.

De hujus panegyrici auctore & quo loco ac tempore habitus sit supra diximus in Eumenii vita quam panegyrico quarto præfiximus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Ostendit in laudandis imperatoribus & Cæsaribus difficile esse hominum expectationi respondere, se vero hunc orationi modum allaturum, ut eam præcipue Constantino consecret.*

DISTRIBUTIO *potest esse.* I. *De Constantini ad imperium electione.* II. *De variis ejusdem victoriis.*

I. PARS. *De Constantini genere, quod hereditarium ab avo Claudio & patre Constantio imperium acceperit*, n. 2. *Quod illud ipsum militando meruerit, in primis quod adhuc adolescens in pugna manus cum Sarmatarum duce conseruerit*, n. 3. *Quod Constantinus ceteris fratribus suis prælatus sit, ut patri Constantio, cui in omnibus rebus esset similis succederet*, n. 4. *Egregia utriusque comparatio, Constantius Bononiam incredibili celeritate cepit, & dum classis ad pervadendam Britanniam paratur, Bataviam & Frisiam a diversis Francorum Regibus occupatam liberat, captos in deserta Galliarum loca transfert, Britannias decimo tandem anno recuperat*, n. 5. *clementi utitur victoria, Francos iterum in suis sedibus vincit. Juxta Lingonas lx. Alamannorum millia cadit. Vindonis campos hostium strage complet: eosdem populos Rhenum glacie constrictum transmittere ausos ad deditionem cogit*, n. 6. *Caledonum, Pictorumque regionem, Thulen & Fortunatas insulas usque progressus*, n. 7. *Constantinum prius imperii heredem relinquit*, n. 8. *Redit ad Constantinum. Britannia cum propter multa, tum eo præcipue gratulatur quod prima eum Cæsarem viderit*, n. 9.

II. PARS. *Mortuo patre Constantinus jam Augustus Ascarico & Regaïso Francorum Regibus, quos bello ceperat punitis securitatem Galliis reddit*, n. 10. *Bructerorum fines ingressus eos internecione delet*, n. 12. *Reliquos Agrippinensi ponte facto ita terret, ut eo vix bene inchoato jam supplices obsidibus oblatis pacem petant*, n. 13. *Maximiani vitia obiter attingit, præsertim ingratum ejus in Constantinum animum*, n. 14. *Diocletiani (qui Salonæ adhuc privatus vivebat) in proposito constantiam laudat*, n. 15. *Iterum redit ad Constantinum: quam charus fuerit militibus, quos ab eo Maximiani promissa & largitiones avocare non potuerint*, n. 16. *Quanta alacritate adversus Maximianum Arelatem primum, tum Massiliam convolarint*, n. 17. *Massiliæ oppugnatio*, n. 18. *Constantini erga victos pietas*, n. 21. *Barbaros post ejus in Italiam discessum eruptionem meditantes repentino reditu suo reprimit: has victorias Apollini tribuit.*

IN FINE. *Optat ut ad visendum Apollinis templum Æduam divertat: sic enim Urbem simul viderit esse restituendam*, n. 22. *Liberos suos orator imperatori commendat*, n. 23.

EUMENII PANEGYRICUS, CONSTANTINO AUGUSTO.

I. FAcerem, sacratissime Imperator, quod paulo ante mihi plerique suaserunt, ut quoniam majestas tua hunc mediocritati meæ [1] diem [2] in ista civitate celeberrimum ad dicendum dedisset, de eo ipso ducerem sermonis exordium, nisi me ab hoc duplex ratio revocaret, considerantem neque [3] mediæ ætatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem, neque ad aures tanti numinis quidquam [4] nisi diu 5

NOTÆ.

1. *Diem in ista civitate.*] In aliis est *diem dicto in ista civitate*, sed voculam erasi, quam a veteri exemplari abesse ait Livineius, & quæ reipsa obscuritatem affert sententiæ.

2. *In ista civitate.*] Opinor Treverensi, cujus tum dies natalis celebrabatur ut dicturus est n. 22.

3. *Mediæ ætatis hominem.*] Id est, hominem progressa jam & matura ætate qualis ego sum, extemporali orationis genere uti non debere. *Ætas media* dicitur illa, quæ est inter juventam & senectam. A tricesimo ferme sumitur ad quadragesimum annum. Dicitur a Tullio de senect. 76. ætas constans: ab aliis ἀκμὴ, ætatis vigor. pan. 9. n. 8.

4. *Nisi diu scriptum,*] Respexit pro more

ſcriptum, & ſæpe tractatum afferri oportere. Nam qui apud imperatorem populi Romani dicit ex tempore, quantum ſit non ſentit imperium. Huc accedit quod jam ſatis multi ſunt, qui me putant nimium multa dictorum: idque, arbitror, non ex ingenio meo, quod mediocre eſt,
5 ſed ex laudum veſtrarum copia metiuntur. Quorum ego expectationem, invitus licet, fallam brevitate dicendi. Revera enim cogitaveram plura quæ dicerem, ſed malo[5] orationem meam reſpui.[a]Itaque primum illud compendium faciam, quod cum omnes vos[6] invictiſſimi Principes, quorum concors eſt & ſocia majeſtas, debita veneratione ſuſpiciam, hunc tamen
10 quantulumcunque tuo modo, Conſtantine, numini dicabo ſermonem. Ut enim ipſos immortales deos quanquam univerſos animo colamus, interdum tamen in ſuo quemque templo ac ſede veneramur; ita mihi fas eſſe dico omnium principum pietatem meminiſſe, laudibus[7] celebrare præſentem.

15 II. A primo igitur incipiam originis tuæ numine: quod plerique adhuc[1] fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant plurimum ſciunt. Ab illo enim Divo Claudio manat in te avita cognatio, qui Romani imperii ſolutam & perditam diſciplinam primus reformavit, immaneſque[2] Gotthorum copias Ponti faucibus & Iſtri ore proruptas terra marique delevit;[3] utinam
20 diuturnior recreator hominum, quam maturior deorum comes.[4] Quamvis igitur ille feliciſſimus dies proxima religione celebratus imperii tui na-

INTERPRETATIO.

a *Quare ea primum parte orationem contraham, quod &c.*

NOTÆ.

ſuo Eumenius ad locum Tullii pro lege Manil. n. 2. *Nam cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem: ſtatueremque nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oportere &c.*

5. *Orationem meam reſpui.*] Legunt alii *orationem meam deſiderari*, alii *requiri*, alii *brevem eſſe, quam reſpui*, id eſt, quam renui, propterea quod tædium vobis afferat alii *reſpici*, id eſt magnifieri.

6. *Invictiſſimi Principes.*] Conſtantinus, Licinius & Maximinus.

7. *Celebrare præſentem.*] Ex his verbis hanc orationem coram Conſtantino habitam fuiſſe patet.

1. *Fortaſſe neſciunt.*] Haud mirum ſi hodie inter viros doctos controverſia eſt utrum Conſtantinus in Britannia, an in Bithynia natus. Utrum ex Eutropia Claudii imperatoris aut ejus fratris filia natus ſit. Siquidem vel Conſtantini ipſius tempore id multis ignotum fuiſſe ait Eumenius.

2. *Gotthorum copias.*] Claudius hoſtium exercitum ex variis gentibus conflatum, claſſem vero amplius mille navibus conſtantem plane delevit. Cæſa in eo bello Gotthorum trecenta viginti millia. *Trebellius Pollio.* Et numi *Claudio Aug. Gothico.*

3. *Utinam diuturnior.*] Nam duos tantum circiter annos imperavit, nempe a Kal. apr. an. Chr. 304. ad Kal. Aug. an. 306. *Idatius.*

4. *Quamvis ille.*] Senſus eſt: Quamvis feliciſſimus ille inaugurationis tuæ dies, magna populorum pompa & acclamatione celebratus ſit; tuique imperii natalis eam ob rem habeatur, quod tum primum imperatorio habitu ornatus prodieris: jam tamen antea a Conſtantio tuo parente imperandi jus, & fortunam acceperas. *Barthius* inſerta vocula legit, *dies diis proxima*

talis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornavit; jam tamen ab illo generis auctore in te imperii fortuna descendit.[5] Quin imo patrem tuum ipsum, vetus illa imperatoriæ domus prærogativa provexit; ut jam summo gradu, & supra humanarum rerum fata consisteres, post duos familiæ tuæ principes tertius imperator. Inter omnes, inquam, participes majestatis tuæ hoc habes, Constantine, præcipuum,[6] quod Imperator es, tantaque est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium, nec possit fortuna[7] numini tuo imputare quod tuum est, omissis ambitu & suffragatione.

III. Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis[1] favoris eventus te principem fecit. Imperium nascendo meruisti. Quod quidem mihi deorum immortalium munus & primum videtur & maximum, in lucem statim felicem venire, & ea quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam domi parta suscipere.[2] Quamvis enim magna sit & admiranda felicitas quæ stipendiis in ordinem meritis, & militiæ gradibus emensis ad fastigium istud majestatis ascendit, & solis virtutis nixa radicibus ad tantum potentiæ robur invaluit; quod quidem etiam tu quantum per ætatem licuit consecutus es, & quamvis te supra omnes acquirendæ gloriæ moras fortuna posuisset, crescere militando voluisti, & adeundis belli periculis, ac manu cum hostibus etiam[3] singulari certamine conserenda, notiorem te gentibus reddidisti, cum non posses esse nobilior. Magnum, inquam, est ab se profectum ad maxima pervenire; longe tamen aliud est, niti per ardua, & juga montium[4] petere e plano, aliud ipsa ortus sui sublimitate fultum, verticem tenere fortunæ, & quæ summa sunt non sperare, sed habere.

IV. Sacrum istud palatium non candidatus imperii, sed[1] designatus

NOTÆ.

religione celebratus. Adversar. libr. 14. c. 9.

5. *Quin imo.*] Imo & Constantium vestræ domui traditum ab eo tempore jus imperii ad eum honorem provexit, ut post duos familiæ tuæ, nempe Claudium & Constantium tertius imperator fieres.

6. *Quod Imperator es.*] Id est, quod re ipsa imperator, & quod habeas a natura ut imperator sis. Lubenter voculam adderem, quam deesse suspicati sunt Livineius & Acidalius. Quod *imperator natus es* Nam paulo post. *Imperium nascendo meruisti.* Sed deest veteris codicis auctoritas.

7. *Numini tuo.*] Id est, beneficii instar tibi dare, fortasse legendum fuerit *numini suo*, id est, ut fortuna sibi ascribere non possit, quod tuum jam erat, quod tuis natalibus debebatur citra ambitum & populi suffragia.

1. *Favoris eventus.*] An *favoris ventus*? ut Bongarsio placet: certe quidem apud Tullium legitur, *ventum popularem, ventos concionum.*

2. *Quamvis enim.*] Dictum illud in Diocletiani gratiam, qui tum privatus Salonæ vivebat. Ita enim ille ad imperium promotus fuerat.

3. *Singulari certamine.*] Cum Sarmatarum duce quem victum ad Galerii sub quo militabat pedes adduxit. *Zonaras.*

4. *Petere e plano.*] Livineii emendationem secutus sum. Sententia est. Magnum est hominem origine sua clarum ad supremas dignitates ascendere: majus est hominem e plebe ad summos honores sese erigere. In Puteana editione est *patere plano.*

1. *Designatus intrasti.*] Jam Constantius te sibi hæredem destinarat, cum aut te

intrasti, confestimque te illi paterni lares successorem videre legitimum. Neque enim erat dubium, quin ei competeret hæreditas, quem [2] primum imperatori filium fata tribuissent. Te enim tantum, ille & imperator in terris, & in cœlo deus, in primo ætatis suæ flore generavit, toto adhuc
5 corpore vigens, illa præditus alacritate ac fortitudine, qua cum bella plurima tum præcipue campis [3] Vindonis gessit. Inde est quod tanta ex illo in te formæ similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem enim est, quem rursus in te colimus, aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas. Sic est index mo-
10 destiæ rubor, sic testis sermo justitiæ. Accipe, Imperator, accipe nostrorum sensuum confessionem. Dolet quod Constantius excessit a nobis, sed dum te cernimus illum excessisse non credimus. Quanquam quid ego illum excessisse dico, cujus immortalia facta vivunt, & in ore omnium hominum oculisque versantur?

15 V. Quis enim non dico reminiscitur, sed quis non adhuc quodammodo videt quantis ille rebus auxerit ornaritque rempublicam? Qui adscitus imperio, primo adventu suo innumerabili hostium classe ferventem [1] exclusit Oceanum, exercitumque illum, qui Bononiensis oppidi litus insederat terra pariter ac mari sepsit, cum reciprocos cursus illius ele-
20 menti jactis inter undas vallis diremisset, ut quorum portas fluctus allueret, mare & quod tangerent perdidissent. Qui [2] eodem exercitu virtute capto, clementia conservato, dum ædificandis classibus Britanniæ recuperatio comparatur, [3] terram Bataviam, sub ipso quondam [4] alumno suo a diversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit, nec con-
25 tentus vicisse, ipsas [5] in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed etiam feritatem ponere cogerentur. Nam quid ego de receptione Britanniæ loquar? Ad quam [6] ita quieto mari navigavit, ut Oceanus ille, tanto vectore stupefactus, caruisse suis motibus videretur; ita pervectus, ut non comitata illum sit, sed præstolata victoria.

NOTÆ.

ex Italia ad se evocavit, aut ad eum ipse accurristi.

2. *Primum imp. filium.*] Quem primum ex Helena suscepit, cum esset in primo ætatis flore. Antequam Theodoram Maximiani filiam conjugem accepit.

3. *Vindonis*] Infra, *Vindonissæ*. Vindonus seu Vindonissa urbs in Helvetia, ad Ambronicum pagum, propter Arolam fluvium nunc *Winsdisch*.

1. *Exclusit Oceanum.*] Defixis in portus aditu saxis & trabibus, ne Carausii classis, quæ oram hanc tenebat Bononiensibus venire auxilio posset. Vide pan. 5. n. 6.

2. *Eodem exercitu.*] Id est, præsidiariis quas Carausius Bononiæ collocarat copiis.

3. *Terram Bataviam.*] Non Batavicam, ut emendant aliqui. Nam sic Catullus Celtiberiam terram, & Tibullus Campaniam terram dicit. *Non tibi si pretium campania terra daretur.*

4. *Alumno suo.*] Carausio Menapiæ non in Hungaria, sed in Flandria natum.

5. *In Romanas transtulit nat.*] In Gallias Romanis subjectas, puta ut Ambianum, Bellovacum, Tricassinum & Lingonicum agrum colerent. pan. 5. n. 21.

6. *Ita quieto mari.*] Post recuperatas decimo tandem anno Britannias huc victor ingreditur. pan. 5. n. 19.

rursus

VI. Quid de misericordia dicam, qua [1] victis temperavit? quid de justitia, qua spoliatis amissa restituit? quid de providentia, qua sociis sibi junctis [2] se ejusmodi judicio dedit, ut servitutem passos juvaret recepta libertas, culpæ conscios ad pœnitentiam revocaret impunitas? Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed a [3] propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis barbariæ litoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, & pacem Romani imperii cultu juvarent, & arma dilectu? Quid commemorem [4] Lingonicam victoriam, etiam Imperatoris ipsius vulnere gloriosam? quid Vindonis campos hostium strage completos, sed adhuc ossibus opertos? quid immanem ex diversis Germanorum populis multitudinem, [a] quam duratus gelu Rhenus illexerat ut insulam, quam [5] divortio sui idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere repente laxato flumine clauderetur, & demissis statim obsessa navigiis, ita se dedere cogeretur, [b] ut, quod difficilius est sorte communi, eligeret, & ex æquo captivitati traderet, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum.

VII. Dies me ante deficiet quam oratio; si omnia patris tui facta vel hac brevitate percurram. Cujus etiam suprema [1] illa expeditio non Britannica tropæa, ut vulgo certum est, expetivit, sed diis jam vocantibus ad intimum terrarum limen accessit. Neque enim ille tot tantisque rebus gestis non dico Caledonum, aliorumque Pictorum silvas & paludes, sed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, Fortunatorum insulas dignabatur acquirere, sed, quod eloqui nemini voluit, iturus ad deos [2] genitorem illum deorum, ignea cœli astra refoventem, prospexit Oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua, jam videret

INTERPRETATIO.

a *Quam concretus gelu Rhenus invitarat.*
b *Ut quod gravius est, quam si sortem communem experti essent, seligerent quos obsides darent.*

NOTÆ.

1. *Victis temperavit.*] *A victis temperavit.* Barthius advers. l. 14. c. 9.

2 *Se ejusmodi judicio dedit.*] Abundare videtur vox illa *judicio*: igitur illa ejecta sensus est. Talem se præbuit, & præstitit ut &c. alii legunt *se ejusmodi judicem*, vel potius *se ejusmodi vindicem dedit &c.*

3. *Propriis ex origine &c.*] Francos non modo in Galliis & Batavia ubi grassabantur, sed etiam in Germanici maris parte septentrionali, id est, in originis suæ loco, victos in desertas Galliarum partes abduxit, ut & has terras colerent & Romana signa sequerentur.

4. *Lingonicam victoriam.*] Constantius juxta Lingonas primum fugatus est a numerosissimo Alamannorum exercitu; mox ipso eodem die accensis suorum animis tanta vi integravit pugnam, ut lx. eorum millia ceciderit. *Eutrop.*

5. *Divortio sui.*] Insulam Bataviam quam olim teste Plinio prope centum m. pass in longitudinem extensam, nunc multo angustiorem, Rhenus in duas partes se dividens undequaque involvit. Idem autem ille fluvius ex altera parte Rhenus dicitur, Vahalis ex altera. Huc irrumpere ausos Francos obsedit pariter Constantius, & ad deditionem coegit.

1. *Illa expeditio.*] Adversus Pictos.

2. *Genitorem deorum.*] Ita oceanum appellat Homerus Iliad. ξ 201. Ὠκεανόν τε θεῶν

illic[1] diem pœne continuum. Vere enim profectò illi superum templa patuerunt, receptusque est consessu cœlitum, Jove ipso[4] dexteram porrigente. Quin imo statim sententiam rogatus, cui imperium decerneret, dixit ut decebat[5] Constantium Pium: manifeste enim sententia patris[6] electus es imperator. Quod quidem ita nos dicere cum veritas jubet, tum[7] pietati tuæ, ut video, gratissimum est. Sed cur tantummodo privatis tuis affectibus blandiamur, cum omnium deorum fuerit illa sententia, & quidem jam pridem[8] auctoritate præscripta, quamvis tum pleno firmata sit consilio? Jam tunc enim cœlestibus suffragiis ad salutem reipublicæ vocabaris, cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit: ut non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo videreris.

VIII. Non enim ulla Persarum,[1] Cydonumve tela tam certis jactibus destinata fixerunt, quam tempestivus patri tuo terras relicturo comes affuisti,[2] omnesque illius curas, quas præsaga & tacita mente volvebat, præsentiæ tuæ securitate laxasti. Dii boni, quanta Constantium Pium etiam in excessu suo felicitate donastis! Imperator transitum facturus in cœlum vidit, quem relinquebat hæredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te[3] consensit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt,[4] & quanquam tu ad seniores principes de summa reipu-

NOTÆ.

γένεσιν ἐξ μητέρα Τηθύν. Et divum Tethyn matrem, Oceanumque parentem. Fortasse quia solem communem omnium parentem, quem ignem esse Stoici putant aquis suis pascit.

3. *Diem pæne continuum.*] Propter Sphæræ obliquitatem & solis deflectionem Juvenal. Satyr. 2 161. *minima contentos nocte Britannos.* Tacit. in Jul. Agricolæ vita: *Nox clara & extrema Britanniæ parte, brevis, ut finem, atque initium lucis exiguo discrimine internoscas &c.*

4. *Dexteram porrigente.*] Extat Constantini numus quadrijugo curru in cœlum evolantis desuper manus e cœlo porrecta: similem haud dubie numum Constantio fuisse oportet.

5. *Constantium pium.*] Id respondit, quod pium imperatorem deceret. Videtur autem Constantius peculiari quodam nomine *pius* dictus n. 8. *Dii boni quanta Constantium pium etiam in excessu suo felicitate donastis!* pan. 8. n. 4. *Erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii pii filius.*

6. *Electus es.*] Ita restituendum fuit ad integritatem sensus, juxta veterem codicem.

7. *Pietati tuæ.*] Nihil enim æque gratum tibi, quam si a patre electus sis imperator.

8. *Auctoritate præscripta.*] Id est, irrevocabilis quasi præscriptionis jure.

1. *Cydonum &c.*] Cydones populi insulæ Cretæ, quorum urbs a Strabone *Cydonia*, a Ptolemæo *Cydonis*, ab aliis *Cydon* appellatur.

2. *Omnesque illius curas.*] Ita Eusebius libro de vita Constantini. Addit vero Zonaras *Constantio ægrotanti, & ob ceterorum filiorum ineptam indolem mœsto, angelum adstitisse qui juberet, Constantino relinquere imperium.*

3. *Consensit exercitus.*] Annitente Eroco Alamannorum Rege, qui ei adversus Pictos Britanniæ populos auxilio venerat. *Victor.*

4. *Et quanquam tu.*] Rhenani editionem sequor. In aliis enim est, *& quanquam tu ad seniores principes de summa republica,* mendose mea quidem sententia.

blicæ quid fieri placeret retulisses, prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt. Purpuram statim tibi cum primus copiam tui fecit egressus milites, utilitati publicæ magis quam tuis affectibus servientes, injecere lacrymanti. [4] Neque enim fas erat diutius fleri principem consecratum. Diceris etiam, Imperator invicte, ardorem illum te deposcentis exercitus fugere conatus equum [5] calcaribus incitasse. Quod quidem, ut verum audias, adolescentiæ errore faciebas. Quis enim te [6] Cyllarus, aut [7] Arion posset eripere, quem sequebatur imperium? Illa, inquam, illa majestas, quæ Jovis subjecta nutu, nec Iridi deum nunciæ, sed prius commissa victoriæ, tam facile te comitata est, quam cito ad terras cœlo missa perveniunt. Sic modestiam tuam atque pietatem & differendi imperii conatus ostendit, & reipublicæ felicitas vicit.

IX. O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem [1] prima vidisti! Merito te omnibus cœli ac soli bonis natura donavit, [2] in qua nec rigor est nimius hiemis, nec ardor æstatis, in qua segetum tanta fœcunditas, ut muneribus utrisque sufficiat, & Cereris & Liberi, in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis; contra pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte distenta, & onusta velleribus; certe quidem [3] propter quod vita diligitur, longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes, dum quod illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cœli & siderum transit aspectus: ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire. Dii boni, quid hoc est, [a] quod semper ex aliquo supremo fine mun-

5

10

15

20

INTERPRETATIO.

a *Quod semper ex aliqua extrema parte mundi novi dii veniunt universo orbi colendi.*

NOTÆ.

5. *Neque enim.*] Neque enim diutius erat in luctu immorandum, ut cœlo donatum & consecratum Constantium deflеremus.

6. *Calcaribus incitasse.*] Equum quidem calcaribus Constantinum incitasse refert Victor Schotti, cum effugiens Roma ubi obses religionis a Galerio tenebatur, veredis post se truncatis ad patrem in Britanniam convolaret: id vero ipsum præstitisset ut exercitus ipsum ad imperium deposcentis votis sese subduceret, nemo est, opinor, qui dixerit præter panegyristen istum.

7. *Cyllarus.*] Castoris equus est, quem Juno a Neptuno acceptum ei tradidit. De hujus pernicitate passim apud poetas. Propert. l. 2. Eleg. 7. *Non mihi sat magnus Castoris iret equus*, Virg. Georg. 3. Pollucis equum fuisse dicit. *Talis Amyclei domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Sed hic fratrem pro fratre posuit licentia poetica, ut notat cum ceteris Virgilii interpretibus *Servius.*

8. *Arion.*] Equus Adrasto a Neptuno datus, cujus pariter pernicitatem celebrat *Statius l. 6. Thebaidos*, aliique passim poetæ.

1. *Prima vidisti.*] Utrum nascentem, ut inde colligunt, quicunque Constantinum Britannum faciunt? an imperantem? Aut Cæsaris certe appellatione insignitum? ut contendunt alii. Id enim Eboraci, quæ Britanniæ civitas est, contigisse, nemini dubium est.

2. *In qua nec rigor est.*] Auctor panegyrici respexit ad locum Taciti de Agricolæ vita, ubi idipsum habet *in lib. de Britanniæ situ, temperie, fertilitate.*

3. *Propter quod.*] Non *quod propter* ut in

di nova deum numina universo orbi colenda descendunt? Sic [4] Mercurius a Nilo, cujus [6] fluminis origo nescitur, sic [5] Liber ab Indis [b] prope consciis solis orientis, deos se gentibus ostendere præsentes. Sacratiora sunt profecto mediterraneis loca vicina cœlo, & inde propius a diis mit-
5 titur imperator, ubi terra finitur.

X. Imperatoris igitur filius, & tanti imperatoris, & ipse tam feliciter adeptus imperium, quomodo rempublicam vindicare cœpisti? [1] Ignobilem credo aliquam barbarorum manum repentino impetu, & improviso latrocinio ortus tui auspicia tentasse. Affecisti pœna temeritatis [2] re-
10 ges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant: non dubitasti ultimis punire cruciatibus; nihil veritus gentis illius odia perpetua & inexpiabiles iras. Cur enim ullam reputet juste severitatis offensam imperator, qui quod fecit tueri potest? [3] Tua clementia est, quæ parcit inimicis, & sibi magis prospicit, quam ignoscit. Te vero, Constantine,
15 quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant. Hæc est enim [4] vera virtus, ut non ament, & quiescant. Cautior licet sit, qui devinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen est, qui calcat iratos. Renovasti, Imperator, veterem illam Romani imperii fiduciam, quæ de captis hostium ducibus vindictam morte sumebat. Tunc enim captivi reges cum
20 a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere cœperat imperator, abrepti in carcerem necabantur. [5] Unus Perses, ipso Paulo qui dedentem se acceperat deprecante, legem illius severitatis evasit. Ceteri omnes in vinculis luce priva-

INTERPRETATIO.

b *In ea fere parte ubi oritur sol.*

NOTÆ.

vulgaribus editionibus est.

4. *Mercurius a Nilo.*] Plures Mercurii fuere. Alius in Cyllene Arcadiæ monte natus, de quo *Æneid. l.* 8. 138. Alius in Bæoticis non procul a Tanagris in Corycio monte. Hic de eo sermo est, qui in Ægypto natus: notior vero est, quam ut ejus gesta commemorem.

5. *Liber ab Indis.*] Atqui Thebanus erat, sed & Indos petiit, delevitque. Unde victor reversus divinis honoribus exceptus est.

6. *Fluminis origo nescitur.*] De Nili origine Isaacus Vossius in commentario super ea re, quem tu consule.

1. *Ignobilem credo &c.*] Tangit Maximiani de Bagaudis victoriam, quam ut Constantino aduletur elevat. Maximianus autem videtur tum obiisse.

2. *Reges ipsos Franciæ.*] Ascaricum & Regaïsum, qui contra fœdus cum Constantio initum se commoverant. Hos Constantinus in theatrum induxit belluis dilaniandos. *Eutrop.*

3. *Tua clementia.*] Alii *stulta clementia est*, id est, stultum est parcere inimicis ex metu, & sibi potius prospicere, quam ex pia quadam voluntate aliis ignoscere. Gruterus, *Tuta clementia est*, id est, cautior est & utrumvis elige.

4. *Vera virtus.*] Vera virtus est facere ut, vel qui te non ament, placide tibi obtemperent.

5. *Unus Perses.*] Perses Macedonum Rex an. V. C. 576. Philippo patri successit. Is undecimo post anno a Paulo Æmilio victus ante victoris sui triumphalem currum ductus est *Livius l.* 40. *Iustinus l.* 33. *Plutarchus in Paulo Æmil. Velleius Paterc. &c.*

ti, aliis regibus dedere documentum, ut mallent amicitiam colere Romanam quam exasperare justitiam. Adeo & hoc boni confert pœna hostibus irrogata, ut non solum inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensius revereantur.

XI. Inde est igitur, Imperator, pax ista qua fruimur. Neque enim Rheni jam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Quamlibet ille aut arescat æstu, aut resistat gelu, neutro hostis audebit uti vado. Nihil enim tam insuperabili vallo natura præclusit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur. Ille est inexpugnabilis murus, quem extruit[1] fama virtutis. [a] Sciunt posse se Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas; sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. Quid ipsos maneat ex regum suorum cruciatibus metiuntur, ideoque tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut[3] comperta potestate desperent. Ubi nunc est illa ferocia? ubi semper infida mobilitas? Jam ne procul quidem Rhenum audetis accolere, & vix securi flumina interiora potatis. Contra hinc per intervalla disposita magis ornant limitem[4] castella quam protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, & toto nostri greges[5] flumine bicorni mersantur. Hæc est tua, Constantine, de Ascarici Regaïsique supplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda. [b] Semel acie vincitur, sine fine documento. Cladem suam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat; compendium est devincendorum [7] hostium duces sustulisse.

XII. Ut tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, nec sola hostes regum suorum supplicia mœrerent, etiam immissa,[1] Bructeris vastatione fecisti, Imperator invicte. In quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, ut qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfu-

NOTÆ.

1. *Fama virtutis.*] Ita restitui post Acidalium pro *fama virtuti*.

2. *Sciunt posse se &c.*] Addidi *se* ex suspicione Livineii. Ita enim videtur sensus requirere.

3. *Comperta potestate.*] Id est, ex quo intellexerunt quid possis. Gruterus mavult legi *capto ponte*; quia enim in ms. erat *pote pro ponte*, acceptum illud ab imperitis librariis pro *potestate*. Pro qua conjectura facere videtur illud n. 13. *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas...... ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui tam serviunt inchoato.*

4. *Castella.*] Varia erant disposita ad Rheni ripam castella, quibus Germanorum incursiones prohiberentur.

5. *Flumine bicorni.*] Rheno lavantur. Virg. Georg. 1. 272. *Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

6. *Semel acie &c.*] Semel acie vicisti, sed hoc justæ severitatis exemplo in perpetuum eos comprimis.

7. *Hostium duces.*] Videtur in eo loco nimius, sed nimirum, ut actum illud quod paulo duriusculum erat, hac arte emolliat.

1. *Bructeris.*] *Bructeri* Germaniæ populi, quos alii in Frisia Orientali, alii in Westphalia collocant, ubi nunc Markiæ comitatus.

giis silvarum & paludium bellum solita frustrari fugæ tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quidquid fuit pecoris, captum, aut trucidatum est. Vici omnes igne consumpti. Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati sævientes bestias multitudine sua fatigarunt. Hoc est, Imperator, fretum esse virtute sua atque fortuna, hoc est, non pacem emere parcendo, sed victoriam quærere provocando.

XIII. Insuper etiam [1] Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, & ornatum limitis facias, quam ad facultatem quoties velis in hosticum transeundi. Quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, & re vera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solum superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius, & barbarus Nicer, & Mænus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere. Servit profecto, Constantine maxime, ipsa rerum natura numini tuo, cum in illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam & stabilem firmitatem habitura. Junxerit quondam licet Hellesponti angustias classe connexa [2] Persarum rex potentissimus, temporarius ille transitus fuit. Simili navium continuatione Baianum sinum straverit ab Augusto [3] tertius Cæsar, delicata fuit illa vectatio principis otiosi. Hoc opus & difficile factu, & usu futurum est sempiternum. Certe quidem jam tibi [4] in exordio sui hostium movit obsequia, qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.

XIV. Talibus te pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum averterunt in se novi motus [1] ejus hominis, quem successibus tuis maxime favere decuisset. De quo ego quemadmodum dicam adhuc ferme dubito, & de nutu numinis tui expecto consilium. Quamlibet enim merito pietatis tuæ questibus arguatur, debet tamen sibi vox privata moderari,

NOTÆ.

1. *Agrippinensi ponte.*] Agrippina colonia *Cologne* olim Agrippina Ubiorum. Agrippinæ Neronis matris patria. Urbs Germaniæ inferioris præclarissima ad Rhenum, libera & Emporium: media inter Treverim & Monasterium urbem, cujus Archiepiscopus Elector est imperii.

2. *Persarum rex.*] Xerxes Darii Hystaspis filius paterni regni, atque odii in Græcos hæres navibus Hellespontum junxit, atque ut Eutropii verbo utar, *contabulavit* Olymp. 75. *Herodoti Diod. sic Justin. Plutarchus &c.*

3. *Tertius Cæsar.*] Caligula. Suet. c. 19. *Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles tria millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit &c.*

4. *In exordio sui.*] Supple *imperii.*

1. *Ejus hominis.*] Maximiani quem a Maxentio pulsum, ejectum ex Italia, Tre-

præſertim cum eum, qui tibi ex tantis beneficiis tuis, & tanto neceſſitudinum favore ingratus extiterit, adhuc [a] contemplatui cogat ut quamvis irati revereat. Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera ſuſpenſa manu tractem? Uſurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quæ tamen plerumque etiam a ſapientibus aſſeruntur, neminem hominem peccare [b] niſi fato, & ipſa ſcelera mortalium actus eſſe fortunæ, contra autem deorum munera eſſe virtutem. Gratulare, Conſtantine, naturæ ac moribus tuis, quod te talem Conſtantius Pius genuerit, talem ſiderum decreta formarint, ut crudelis eſſe non poſſis. [4] Illum autem non credo, cum venturus in lucem optionem vitæ, qua uteretur acciperet, ſortem incurriſſe fugiendam, quæ multis hominibus injuſtum, & poſtremo ipſi voluntarium ferret exitium. Ut enim alia mittam, hoc ipſum nonne fati neceſſitas tulit, ut ille pietati tuæ hanc referret vicem, quem tu ab Urbe pulſum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepiſti?

XV. Quid, oro, ſibi voluit? quid optavit? aut quid amplius adipiſceretur his quæ a te fuerat conſecutus? cui tu ſumma, & diverſiſſima bona, privatum otium & regias opes, dederas, cui digredienti [1] ad annulos ſederas, cui impenſius etiam quam tibi occurrere obſequia noſtra mandaveras, cujus omnibus juſſis ſic ſtatueras obedire, ut penes te habitus, penes illum poteſtas eſſet imperii. Quis nam ille tantus fuit non ardor potentiæ, quid enim te imperante non poſſet? ſed error jam deſipientis ætatis, ut tot natus annos, graviſſimas curas, & bellum civile ſuſciperet? Nullis, ut res eſt, muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat, atque ita eos felicitas ingrata ſubterfluit, ut ſemper pleni ſperum, vacui commodorum, præſentibus careant, dum futura

INTERPRETATIO.

a *Etenim licet tua in* eum *pietas habeat juſtam cauſam* de ipſo *conquerendi, homo tamen privatus debet ſuo ſermoni modum ponere.*

b *Utar communi illa defenſione ſcelerum quam uſurpare ſæpe etiam* ſapientes ſolent.

NOTÆ.

veris perhumaniter exceperat accepta etiam in uxorem Fauſta ejus filia.

2 *Contemplatui cogat.*] Fœde corruptus locus, quem alii alio modo reſtituunt. Langius. *Adhuc contemplari cogamur, tuque quamvis iratus revereare.* Livineius *adhuc contemplatio tui cogat, ut quamvis irati revereantur.* Acidalius legit *Revereamur.*

3. *Niſi fato.*] Nota callidam Stoicorum nequitiam, qui ut tuto ſibi eſſe improbis liceret ſcelerum ſuorum cauſam in fatum neſcio quod rejiciebant.

4. *Illum autem credo.*] Negationem ſuſtuli poſt Acidalium, ut ſenſus ſit: cum animo tuo abeundum fuit in mortale corpus o Conſtantine, te talem ſiderum decreta formarunt, ut crudelis eſſe non poſſis: Maximiano vero illa ſors obtigit, quæ & ipſi, & multis aliis exitio fuit: *ſortitio* autem illa ex Epicureorum doctrina ſumpta eſt.

1. *Ad annulos ſederas.*] Veteres editiones ſequor; ſenſuſque eſt, honoris cauſa ſederas ad ſiniſtram, in qua Græcos & Romanos annulum geſtare ſolitos teſtantur *A. Gellius l.* 10. *c.* 10. *& Macrob. Saturn.* 7:

prospectant. Atenim [1] divinum illum virum, qui primus imperium & participavit & posuit, consilii & facti sui non pœnitet, nec amisisse se putat, quod sponte transcripsit. Felix beatusque vere, quem vestra, tantorum principum, colunt obsequia privatum. Sed & ille multijugo fultus imperio, & vestro tegitur lætus umbraculo, quos scit ex sua stirpe crevisse, & glorias vestras sibi juste vindicat. Hunc ergo illum, quæ ab illo fuerat frater adscitus, puduit imitari, huic illum in Capitolini Jovis templo jurasse pœnituit. Non mirum quod etiam genero pejeravit.

XVI. Hæc est fides, hæc religio Palatini sacrarii devota penetralibus, ut lente & cunctanter, jam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis mansionum, ne quis consequi posset exercitus, repente intra parietes consideret purpuratus, & [1] bis depositum tertio usurparet imperium, literas ad solicitandos exercitus mitteret, fidem militum præmiorum ostentatione turbare tentaret; [2] secure scilicet usurus exercitu quem venales manus habere docuisset? Quo quidem illius errore declaratum est, Imperator, quantus te militum tuorum amor complecteretur, qui te omnibus donis, quæ ille promiserat, omnibus honorum oblationibus prætulerunt. Rara illa virtus continentiæ, vix a paucis sapientiæ præceptoribus tamen aliquando servata, propter te, Constantine, omnium hominum est facta communis; [a] nec solum hi quos ratio literæ, vitæ quies mitigavit, sed etiam ille militarium ardor animorum, respectu tui, lucra contempsit. Fuerint aliqui exercitus alacritate ac viribus tuo similes; tibi uni contigit exercitum habere sapientem. Multi olim fortasse pravi duces, armis impares, largitione certarunt, sed brevis eorum fuit & caduca popularitas, quos facile vicit quisquis imitatus est. Hic firmus, hic æternus est reipublicæ custos, quem ipsum per se milites amant, cui non blandita, nec vendita servit adulatio, sed simplex & sincera devotio. Dona tua, Constantine, manifeste sunt grata militibus, sed hoc gratiora quod tua sunt. Quæcunque porrigis, manu tua fiunt acceptiora. Quam

INTERPRETATIO.

a *Nec tantum illi quos ratio, disciplina, & vita quietior mansuetiores fecit, verum etiam milites animo ardentiores; tua causa questum neglexerunt.*

NOTÆ.

c. 13. In Puteana editione est *ad annula fœderas* an legendum *te ad aram annulo fœderaveras*, seu quando fœdus cum eo inisti, seu eum ejus filiam in uxorem accepisti. Duplex hac enim obtinebat apud Romanos consuetudo. Alii legunt *finister sederas*: alii *ad amulos sederas &c.*

1. *Divinum illum virum.*] Diocletianum qui Salonæ ut privatus vivebat per literas a Maximiano ad resumendum imperium invitatus: *Utinam*, inquit, *Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum indicaretis.*

1. *Bis depositum.*] Primum Mediolani, ubi Diocletiani quem patris loco habebat exemplo, & auctoritate inductus deposuit purpuram. Tum resumptum imperium iterum Treveris abdicavit. Ac tandem tertio usurpavit imperium.

2. *Secure scilicet.*] Εἰρωνικῶς: haud enim tutum est eo uti exercitu, qui venales ha-

nemo

nemo potest tecum hac ambitione contendere ? Insuperabile genus est largitionis, cum ipse militi præmium est imperator. Itaque tribuis tu quidem tuis exercitibus etiam plura quam cupiunt, sed tuum te magis nomen, tua [a3] de memoria patris auctoritas, tuæ ætatis gratia, tua denique ista venerabilis forma commendat. 5

XVII. Pulchrum enim, dii boni! & cœleste miraculum imperator adolescens, in quo illa, quæ jam summa est fortitudo, adhuc tamen crescit: in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter & grata majestas præstringit simul & invitat aspectus. Talem [1] magnum illum regem, talem [2] Thessalum virum mente concipio: quorum summa virtus pulchritu- 10 dini conjuncta celebratur. Non frustra enim doctissimi viri dicunt: [3] naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna [a] metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse [4] quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator. Itaque te cum ingredientem milites vident admirantur, & diligunt, sequuntur oculis, animo tenent, deo se obsequi 15 putant, cujus tam pulchra forma est quam certa divinitas.

XVIII. Statim igitur ut fœdum illud facinus audierant, ultro a te proficiscendi signum petiverunt, cum viatica dares, idipsum sibi moram facere, plusque jam se quam sufficeret ex largitionibus tuis habere dixerunt. Inde arreptis armis portas petierunt, tot dierum iter a Rheno us- 20 que ad Ararim sine ulla requie peregerunt; inde fessis corporibus, animis flagrantibus, crescente in dies ardore vindictæ quanto propius accederent. Tum quidem tua, Imperator, cura, qua refovendis eorum viribus a Cabillonensi portu navigia provideras, festinantibus pœne non placuit. [1] Segnis ille & cunctabundus amnis nunquam fuisse tardior videba- 25 tur. Carinis tacite labentibus, & [2] ripis lente recedentibus, stare se, non

INTERPRETATIO.

a *Propter patris tui recordationem.* a *Parare.*

NOTÆ.

bere manus didicerit.

3. *De memoria patris.*] Præpositio *de* apud ejus ætatis scriptores ferme sumitur pro eo quod est *propter*. Ita apud Tertullianum & Cyprianum ceterosque ejus ævi scriptores.

1. *Magnum illum regem.*] Alexandrum, quem non minus formosum, quam fortem fuisse historici ferunt.

2. *Thessalum virum.*] Achillem, cujus pulchritudinem Homerus multis in locis laudat.

3. *Naturam ipsam.*] Interdum tamen in turpi domicilio hoc est in fœdo corpore latet elegans & illustris anima. Vetus illud de Galba, viro quam ingenioso, tam deformi. *Ingenium Galbæ male habitat.*

4. *Quantus illos.*] *Quantus illi* ut legit Acidalius.

1. *Segnis ille.*] Arar, vel Araris. *La Saone.* Fluvius Galliæ Comatæ, Sequanos ab Æduis separans, atque ad Lugdunum Rhodano congrediens. Oritur ex Vogeso monte in confinio Lotharingiæ. Claudianus. *Lentus Arar, Rhodanusque celer &c.*

2. *Ripis lente recedentibus.*] A portu enim solventibus, ut est apud *Virg. Æneid. l.* 3. 72. terræ videntur recedere: sed quia non satis celeriter provehebantur, ripæ

ire clamabant. Tum vero usum pedum manibus aggressi [3] incubuere remigiis, & naturam fluminis urgendo vicerunt, & tandem eluctati Araris moras, vix ipso Rhodano fuere contenti: parum illis videbatur concitus ruere, minus solito [4] Arelate properare. Quid multa? Confitendum
5 est, Imperator, cum hoc tuo vigore corporis, hoc mentis ardore, laborasti interdum, ut quem ducebas sequereris exercitum. Tanto enim omnes impetu ferebantur, ut cum illum Arelate deserto comperissent abiisse Massiliam, confestim navibus evolarent, effusoque cursu non jam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo ventorum flamina prævertcrent. Tan-
10 tus illos incenderat amor numinis tui, ut quamvis scirent oppugnandam esse munitissimam civitatem, sufficere sibi crederent pervenire.

XIX. [1] Massilia enim, ut audio, in profundum mare prominens, & munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu mediterraneus refluit sinus, solis mille quingentis passibus terræ cohæret, qua firmissimus, & tur-
15 ribus frequens murus opponitur. Quippe olim [2] Græcos, Italosque illuc convenas, cum artibus ingenioque pollerent, etiam ipse docuit locus omnia, quæ bello usui forent largius in eam partem, quæ adiri posset impendere, cum natura in ceteris sumptum operis remisisset. Itaque illam tum gravi fato Cæsari portas [3] pro duce seniore claudentem, terra mari-
20 que, admotis machinis, aggeribus extructis, navalibus præliis sæpius oppugnatam, quam territam, vix obsessio diuturna patefecit, cum tamen Græculi magistratus & ipsum Cæsarem, & mox duces ejus & copias non tam viribus suis quam mœnibus repulissent. Atenim primo tuo, Imperator, adventu, primoque impetu exercitus tui nihil ejusdem Massiliæ alti-
25 tudo murorum, nihil creberrimæ turres, nihil loci natura remorata est, quominus & portum caperes, & urbem continuo, si velles. Quippe tanta fiducia murum omnem milites invaserant, ut statim sine dubio ascensuri fuissent, nisi in parandis quas admoverant scalis, conjecturam oculorum sublimitas fefellisset. Sed sic quoque multi, scalarum brevitate decepti,
30 quod superaverat ascensui extentis corporibus æquabant, & succedentium humeris sublevati jam intervalla pinnarum uncis manibus invaserant: adeo nihil periculi in vindictæ executione metuebant, ut sibi non murum scandere, sed ex æquo congredi viderentur.

XX. Sed, o singularem tuam, Constantine, pietatem, & sua sem-
35 per officia etiam inter arma servantem! signum receptui dedisti, & victo-

NOTÆ.

lentius, quam optabant, videbantur ipsis recedere.

3. *Incubuere remigiis.*] Æneid. 6. 294. *Nunc o lecta manus validis incumbite remis Hectorei socii.*

4. *Arelate.*] *Arles.*] Urbs Galliæ Narbon. Archiep. ad Rhodanum fluvium. De qua *Ausonius in catal. clarorum urbium.*

1. *Massilia.*] *Marseille* ad oram maris Mediterranei. Vide *paneg. sequentis n.* 3. *not.* 3.

2. *Græcos, Italosque illuc.*] In hanc urbem Galliarum vetustissimam, artes omnes & literas Græci & Itali ex suis oris primum induxerant.

3. *Pro duce seniore.*] Pompeio. Quod quidem ipsi exitio fuit. Vide *comment.*

riam distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne quid atrocius faceret miles iratus, quam clementiæ tuæ natura pateretur. In quo licet optimi imperatoris solicitudine caveris, ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent, atque ultro veniam precarentur; nos tamen, qui mitissimos sensus tuos intuemur, nihil est enim tam perspicuum quam in pectore tuo bonitas, illi te intelligimus pepercisse, quem, [a] si prima copiam habuisset irruptio, eripere ferro nemo potuisset. Ita, quod ad pietatem tuam pertinet, Imperator, & illum, & omnes [1] quos receperat, reservasti. Sibi imputet quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cum per te liceret ut viveret: tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam non merentibus pepercisti. [2] Sed, ignosce dicto, non omnia potes: dii te vindicant & invitum.

XXI. Quod quidem nobis semper optandum est, ut prosperos habeas etiam ultra vota successus, qui omnem spem in gremio majestatis tuæ ponimus, & tuam ubique præsentiam, quasi dari possit, expetimus. Ecce enim, dum [1] a limite paulisper abscesseras, [a] quibus se terroribus [2] barbarorum perfidia jactaverat scilicet, dum sibi illa proponunt: quando perveniet? [3] quando vincet? quando fessum reducet exercitum? cum repente audito reditu tuo velut attoniti conciderunt. Nec tuum pro republica votum [b] amplius quam unius noctis cura tetigit. Postridie enim quam accepto illo nuncio geminatum itineris laborem susceperas, omnes fluctus resedisse, omnem quam reliqueras tranquillitatem rediisse didicisti; ipsa hoc sic ordinante fortuna, ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret, diis immortalibus ferre quæ voveras, ubi deflexisses ad [4] templum toto orbe pulcherrimum, imo ad præsentem, ut venisti, deum. Vidisti enim, credo, Constantine, [5] Apollinem tuum, comitante Vi-

INTERPRETATIO.

a *Si copia facta fuisset primo impetu irrumpendi.*

a *Quam terrificis minis ostentaverunt se nobis perfidi barbari, dum secum illud reputant.*

b *Plus una nocte te solicitum tenuit.*

NOTÆ.

Cæsaris de bello Gallico.

1. *Quos receperat.*] Fortasse *quos deceperat.* Ita placet Acidalio. Facit pro illa conjectura id quod est superius. *Ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent.*

2. *Sed ignosce dicto*] Mirificus locus, &, si quis alius est, artificii plenus. Quia enim Constantinus Maximianum aut revera strangulari jusserat, aut jussisse credebatur, necem hanc deorum ultioni attribuit, atque ipso invito contigisse ait. Quem locum pœne exscripsit Pacatus in Theodosii paneg. n. 44. *Sed bene est, quod non omnia potes, dii te vindicant & invitum.*

1. *A limite.*] A Rheni limitibus.

2. *Barbarorum.*] Francorum.

3. *Quando vincet?*] Adulatorie dictum: quasi Constantino unum & idem fuerit aliquo *pervenire & ibi vincere.*

4. *Templum.*] Apollinis, quod Augustoduni erat celeberrimum: de quo jam in *orat. pro restaur. schol.* n. 9.

5. *Apollinem tuum.*] Videtur Constantinus præcipuo cultu Apollinem coluisse, quod confirmant numi aliquot in quibus

ctoria, coronas tibi lauteas offerentem, quæ tricenum singulæ ferunt omen annorum. Hic est enim humanarum numerus ætatum, quæ tibi utique debentur ultra [6] Pyliam senectutem. Et imo, quid credo? vidisti, teque in illius specie recognovisti, cui totius mundi regna deberi vatum carmina
5 divina cecinerunt. Quod ego nunc demum arbitror contigisse, cum tu sis, ut ille, juvenis, & lætus, & salutifer, & pulcherrimus imperator. Merito igitur augustissima illa delubra tantis donariis honestasti, ut jam vetera non quærant. Jam omnia te vocare ad se templa videantur, præcipueque Apollo noster, [7] cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur, quæ
10 te maxime oportet odisse.

XXII. Dii immortales quando illum dabitis diem, quo [1] præsentissimus hic deus omni pace composita, illos quoque [2] Apollinis lucos, & sacras sedes, & anhela fontium ora circumeat? Quorum scaturigines, leni tepore nebulosæ, arridere, Constantine, oculis tuis, & osculis sese
15 inserere velle videantur. Miraberis profecto illam quoque [3] numinis tui sedem, & calentes aquas sine ullo soli ardentis indicio, quarum nulla tristitia est saporis, aut halitus, [a] sed talis haustu & odore sinceritas qualis

INTERPRETATIO.

a *Tam gustu & odore sincera, quam fontes gelidi* sunt sinceri.

NOTÆ.

sub Apollinis forma exhibetur. Titulus *soli invicto*. Sed hanc superstitionem feliciſſime ejuravit imperatorum omnium primus Christianus.

6. *Pyliam senectutem.*] Id est, Nestoris ita dicti a Pylo patria, quæ agri Messeniaci oppidum est, in tractu occidentali Pelopōnesi ubi regnabat. Cum autem Nestor tria secula vixisse tam sæpe apud auctores dicitur, non intelligendum, inquit Muretus, quasi trecentos annos vixisset, ut falso putant, quicunque γενεὰς pro centum annis semper accipiunt, sed octogenario majorem: γενεὰ enim triginta sæpe annos significare tantum ostendit *Variar. lect. l.* 10. *c.* 8. Quanquam secus sentiunt Plautus, Propertius, Ovidius, Juvenalis, & alii, qui non uno in loco trecentos Nestorem annos vixisse disertis verbis aiunt. Et vero nihil esset causæ cur Nestoris senectus tantopere celebraretur. Si is nonaginta tantum annos attigisset.

7. *Cujus ferventibus aquis.*] De aquis perjurii ultricibus multa referunt auctores. Apud Palicos in Sicilia fontem fuisse aiunt, in quem, teste *Aristotele lib. de admirandis auditionibus n.* 55. si inscriptam jusjurandi tabellam projiceret juraturus aliquis, supernatabat tabella: Si fidem servaturus erat, sin minus: ibat illa pessum, perjuro combusto. Macr. l. 5. Satur. c. 19. *Hanc aquam vitæ integris hominibus suavem esse, perjuris vero lethiferam.* Idipsum de eodem fonte tradit *Diodorus Siculus l. xi.* quem tamen *Solinus c. iv.* in Sardinia ponit; in quo errare Salmasio & aliis visus est, qui in Sicilia eum fuisse volunt: eumque perjuris non necem ut alii volunt, sed cæcitatem tantum attulisse. Idem *Philostratus in vita Apollonii* refert de fonte juxta Tyanam Cappadociæ urbem Jovi sacro, *qui & frigidus ebullire, & cum ceteris foret innoxius, perjuris pustulas liventes, & vomicas facere calamitosas dicebatur.* Idem extat apud Plinium l. 31. c. 2. De fonte alterius generis agit Ovidius Fast. l. 5. in quo dum se perjuri mercatores abluerent a Mercurio petebant, ut non præterita tantum, sed & futura perjuria aqua eluerentur. *Ablue præteriti perjuria temporis, inquit; ablue præterita perfida verba fide ... nec curent superi si qua locutus ero.*

1. *Præsentissimus deus.*] Constantinus.

2. *Apollinis lucos.*] Augustodunum, ubi hæc omnia.

3. *Numinis tui.*] Id est, Apollinis, supra n 31. not 5.

fontium frigidorum. Dabis & illic munera, conſtitues privilegia, ipſam denique [4] patriam meam, ipſius loci veneratione reſtitues. Cujus civitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno populi Romani nomine gloriata opem tuæ majeſtatis expectat, ut illic quoque loca publica, & templa pulcherrima tua liberalitate reparentur; ſicu. hic video [5] hanc fortunatiſſimam civitatem, cujus natalis dies tua pietate celebratur, ita cunctis mœnibus reſurgenrem, ut ſe quodammodo gaudeat olim corruiſſe, auctior tuis facta beneficiis; video circum maximum, æmulum, credo, Romano; video baſilicas, & forum, opera regia, ſedemque juſtitiæ in tantam altitudinem ſuſcitari, ut ſe ſideribus & cœlo digna & vicina promittant. Quæ certe omnia ſunt [6] præſentia tua munera. Quæcunque enim loca frequentiſſime tuum numen illuſtrat, in his & hominibus omnia, & mœnibus, & muneribus augentur: nec magis [7] Jovi Junonique recubantibus novos flores terra ſubmiſit, quam circa tua, Conſtantine, veſtigia urbes & templa conſurgunt. Ideoque hoc votis meis ſufficit, ut patriam meam videas ducente pietate, quia [8] ſtatim erit reſtituta ſi videris. Sed enim iſta felicitas, viderit an adhuc meæ debeatur ætati.

XXIII. Interim quoniam ad ſummam votorum meorum tua dignatione perveni, ut hanc meam qualemcunque vocem, diverſis [1] otii & palatii officiis exercitam, [2] tuis auribus conſecrarem, maximas numini tuo gratias ago; tibique, quod ſupereſt, commendo liberos meos, præcipueque illum jam ſumma [3] fiſci patrocinia tractantem, in quem me totum tranſtulit pietas; cujus felix ſervitus, ſiquando reſpexeris, maxime tuæ conveniet ætati. Ceterum quod de omnibus liberis dixi, lata eſt, Imperator, ambitio. Præter illos enim quinque quos genui, etiam illos quaſi meos numero quos provexi ad tutelam fori, ad officia palatii. Multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt, multi ſectatores mei etiam provincias tuas adminiſtrant. Quorum ſucceſſibus lætor, omniumque honorem pro meo duco, & ſi forte hodie infra expectationem mei dixero, in illis me confido placuiſſe. Si tamen hoc quoque tuum mihi numen indulſerit, ut ex hac oratione non eloquentiæ, quod nimium eſt, ſed quantulæcunque

NOTÆ.

4. *Patriam meam.*] Hanc orationem aut Eumenii, aut alicujus certe Æduenſis rhetoris eſſe hinc liquet.

5 *Hanc fortunatiſſimam civitatem.*] Treverenſem, ubi hanc orationem dicebat.

6. *Præſentia tua munera.*] An *præſentia tua.*

7. *Jovi, Junonique.*] Sumptum illud ex Homeri Iliad. ξ. 347. ubi de utroque agens τοῖσι ὑπὸ χθὼν δῖα &c. *illis ſubmiſit tellus herbamque recentem, lotumque halantemque crocum, mæſtumque hyacinthum, plurimus ut molli ſurgebat in aera ſylva.*

8. *Statim erit reſtituta.*] Invitat Conſtantinum ut Auguſtodunum divertat, eamque urbem, uti Treveros, reficiendam curet.

1. *Otii & palatii officiis.*] Fuerat enim ſacræ memoriæ magiſter de quo officio ſupra *Pan. 4. n. 11.* Præterea Mænianis Scholis a Conſtantio præfectus fuerat, quod otii officium vocat.

2. *Tuis auribus.*] Habita coram te oratione conſecrarem.

3. *Fiſci patrocinia.*] *Summa fiſci patrocinia tractare*, nihil aliud eſt quam fungi munere advocationis fiſci, ſeu eſſe advocatum

prudentiæ, & devote tibi mentis testimonium referam, cedant privatorum studiorum ignobiles curæ; perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probaverit imperator.

NOTÆ.

& patronum fisci: quæ duo munera interdum ab uno eodemque gerebantur. Is autem caussis fiscalibus pro fisco interveniebat, in aula apud Comitem thesaurorum, id est sacrarum largitionum; in urbe, apud præfectum ærarii; in provinciis vero, apud procuratorem Cæsaris. Atque hic quidem nihil decernere poterat, quin prius advocatum fisci audiisset *l. ultima cod. de advocatis fisci.*

AD PANEGYRICUM VIII.

De hujus panegyrici auctore, & quo tempore ac loco pronunciatus sit, in Eumenii vita panegyrico quarto a nobis præfixa diximus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Reddit rationem cur Flaviensium nomine imperatori gratias agere Treveris maluerit, quam Augustoduni, dum in ea urbe esset imperator.*

DISTRIBUTIO I. *Quam merito Constantinus Æduis subvenerit.* II. *Quanta eorum causa fecerit*, n. 2.

I. PARS. *Ædui omnium primi fratres populi Romani a senatu appellati, iidem reipublicæ supra ceteros populos addicti, Galliarum adversus tyrannos quantum in ipsis fuit defensores; & ideo Constantii liberalitatem experti*, n. 3. *septem mensium obsidionem acerbissimam ferre maluerunt, ac demum Claudio imperatore, cujus opem implorarant, in Gotthica expeditione occupato, cum auxilii spes nulla esset urbem hostibus diripiendam tradere, quam fidem suam violare*, n. 4. *Huc usque quam bene meritis Æduis subvenerit: nunc quam graviter afflictis. Novi census acerbitate premebantur.* n. 5. *Accedebat soli iniquitas*, n. 6. *Magna ex parte vasta loca & squalida, abrupta itinera.*

II. PARS. *Eorum urbem ingreditur Constantinus mirifico concurrentium populorum studio*, n. 7. *Benigne singulos compellat quid omnium maxime sua causa factum velint*, n. 9. *Relaxat censum, definit vectigalium numerum reliqua debita remissurus, quantum fisco suo deberent interrogat: iis septem millia capitum remittit, hoc est, quartam amplius partem censuum: utrum id sufficeret percontatus*, n. 10. *quinque annorum reliqua vectigalia remittit.*

IN FINE. *Lustrum illud laudat: atque inde ad Quinquennalia principis laudanda orationem convertit*, n. 13.

EUMENII
GRATIARUM ACTIO
CONSTANTINO AUGUSTO
FLAVIENSIUM NOMINE.

I. SI Flavia Æduorum, tandem [1]æterno nomine nuncupata, sacratissime Imperator, [2]commovere se funditus, atque huc venire potuisset, tota profecto coram de tuis in se maximis pulcherrimisque beneficiis una voce loqueretur; tibique restitutori suo, imo, ut verius fatear, conditori, [3] in ea potissimum civitate gratias ageret, cujus eam similem facere cœpisti. [4] Sed quoniam id non potest, gestit animo, quod natura non patitur; clamoresque suos quibus quotidie laudes tuas tollit in cœlum, exaudiri a te non sinit interjecta longinquitas sua: id quod fieri decebat, gaudiorum patriæ meæ nuncium sponte suscepi, ut essem jam non [5]privati studii literarum, sed publicæ gratulationis orator. Nolui enim, sacratissime Imperator, cum in illo aditu [6]palatii tui stratum ante pedes tuos ordinem indulgentiæ tuæ voce [a] divina, porrectaque hac invicta dextera sublevasti, numini tuo gratias agere. Nec mihi verba quamvis imparata defuissent, quis enim aut præparare se ad beneficia tam insperata potuisset, aut ab tanta gratulatione [7] cohiberet? Sed habui rationem loci ac

INTERPRETATIO.

a *Divina & plena humanitatis tua voce erexisti.*

NOTÆ.

1. ÆTerno nomine.] Augustodunum intelligit, quam urbem Eumenius Flaviam appellat. Credo ut Flavio Constantino potius aduletur, quam ex rei veritate. Cur enim apud Ammianum Marcellinum nulla hujus nominis mentio? Maxime cum is apud imperatorem ageret, qui esset ex Flavia gente. An id ei nominis contigisse dicamus, quod Romæ: quæ cum olim Commodiana a Commodo Augusto dicta sit, nullum reliquit hujus nominis vestigium.

2. *Commovere se funditus &c.*] Haud absimile illud Tullii in Pison. n. 52. *mihi Roma ipsa prope concussa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est &c.*

3. *In ea potissimum civitate.*] Treverensi ubi commorari imperatores solebant, cum in Galliis versabantur, proindeque ubi habitam hanc orationem volunt Livineius, & Rhenanus.

4 *Sed quoniam &c.*] Id est, sed quoniam revera non potest ad tuos pedes accidere: saltem id gestit animo, quod supra rerum naturam & conditionem esse agnoscit.

5. *Privati studii literarum.*] Eumenium agnosce, quem Constantius Æduensibus scholis præfecerat.

6. *Palatii tui.*] Describit infra quomodo Constantinus Augustodunum ingressus in Palatio exceptus sit n. 8.

7. *Cohiberet.*] Fortasse *cohibere*, vel ut emendat Acidalius *præparari* & *cohiberi*.

temporis, ne meus ille ardor animi, ſtudiumque dicendi tibi quidem, quod mihi ad immortalitatem ſufficeret, probaretur, ſed propter aſſiſtentium paucitatem minus [b] quam te dignum eſſet iret in populos; & te uno die de ſalute noſtra multa tractantem, moraretur oratio, quæ pro magnitudine meritorum tuorum feſtinare non poſſet.

II. Nunc itaque cum in hac urbe, quæ adhuc aſſiduitate præſentiæ tuæ præ ceteris fruitur, habebit enim [1] felicitatis æmulam Flaviam noſtram, totus tibi amicorum tuorum comitatus, & omnis imperii apparatus aſſiſtat, & cum omnes homines omnium fere civitatum aut publice miſſi, aut pro ſe tibi ſupplices adſint; dicam, Imperator, ea quæ libenter agnoſcas, & cœteri nobis indulta non crederent, niſi te cognoſcente dixiſſem. Primum eſt autem, ſacratiſſime Imperator, in agendis gratiis oſtendere id quod indultum ſit, non fortuitæ felicitatis, ſed juſtæ fuiſſe clementiæ. Nam cum omnes homines [2] coram non indigentes juvare boni ſit principis, tum præcipue bene meritis & [3] graviter affectis ſubvenire ſapientis eſt. Quod cum oſtendero, non tam ſtudio prædicandæ patriæ meæ, quam officio demonſtrandæ providentiæ tuæ, tum potiſſime beneficiorum tuorum magnitudinem proſequar, [4] tam majore voto quam ingenio. Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Æduis ſe poſtulet anteponi? Qui primi omnium inter illas [5] immanes & barbaras Galliæ gentes plurimis Senatuſconſultis fratres populi Romani appellati ſunt, & cum a ceteris Rhodano ad Rhenum uſque populis, ne pax quidem poſſet niſi ſuſpecta ſperari; ſoli & conſanguinitatis nomine gloriati ſunt, & nuper, ut media prætercam, Divum Claudium, parentem tuum, [6] ad recuperandas Gallias ſoli vocaverunt, & ante pauciſſimos annos, quod maxime prædicandum,

INTERPRETATIO.

b *Quam tua majeſtati conveniret.*

NOTÆ.

1. *Felicitatis æmulam.*] Imperatores identidem Auguſtoduni commorabantur.

2. *Coram non indigentes.*] Livineius pro *coram* ſcriptum putat *gratiam:. Mox indigentes*, id eſt, gratia *non indigentes*: ex qua voce conflatum eſt *coram*. Acidalius legit *etiam non indigentes*.

3. *Graviter affectis.*] An *graviter afflictis* ut infra, n. 5. *Dixi quam bene meritis Æduis ſubveneris, Imperator, ſequitur ut dicam quam graviter afflictis.* Certe quidem in omnibus exemplaribus, & editionibus eſt *affectis*, & vox illa hoc ſenſu uſurpatur.

4. *Tam majore voto,*] Non hic emendatione opus, ut nonnullis videtur nam Virgilius Æneid. 7. 787. *Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis, quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.* Ita Lucretius, Plautus, Terentius & alii, pro *tanto magis.* Ac Tullius pro Dejotaro n. 8. *Per dexteram te iſtam oro .... non tam in bellis, & in prælis quam in fide firmiorem.*

5. *Immanes, & barbaras.*] Utrum dictum illud ab homine Gallo, & Romano imperatori gratuletur, an quod ei præter Æduos aliæ ipſi provinciæ barbaræ viderentur?

6. *Ad recuperandas Gallias.*] A Tetrico tyranno occupatas.

plurima

lurima [8] patris tui beneficia, partim rebus effecta perceperunt, partim animo significata, lætantur.

III. Fuit olim [1] Saguntus fœderata, sed cum jam tædio Punici belli novare imperium omnis cuperet [2] Hispania; fuit amica [3] Massilia; protegi se majestate Romana gratulabatur; imputavere se origine fabulosa in Sicilia [4] Mamertini, in Asia [5] Ilienses; soli [6] Ædui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua & simplici charitate fratres populi Romani crediti sunt, appellarique meruerunt: quo nomine, præter cetera necessitudinum vocabula, & communitas amoris apparet, & dignitatis æqualitas. Deinde cum finitimæ nationes, ipsi illi Romanæ fraternitati, non gloriæ invidentes, & usque in perniciem sui odiis incitatæ, Germanos sibi auxiliarios dominos invocassent, [7] princeps Æduus in senatum venit, rem docuit; cum quidem oblato consessu, minus sibi vindicasset quam dabatur, scuto innixus peroravit. Imperata ope, Romanum exercitum, Cæsaremque [8] cis Rhodanum primus induxit. Semita enim Galliæ usque ad id temporis Transalpina Gallia nominabatur. Sed enim Ædui totum istud quod Rheno, Oceano, [9] Pyrenæis montibus, cunctis Alpibus continetur Romano imperio tradiderunt, hibernis hospitaliter præbitis, suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedestribus equitumque copiis auxiliantibus. Ita in unam pacem sociatis omnibus Celtarum Belgarumque populis, eripuere barbaris quidquid junxere Romanis.

IV. Dicet aliquis, vetera ista sunt: & quidem hoc sanctiora, quod vetera. Bonis enim meritis [1] cum ætate dignitas & pondus accedit. At-

NOTÆ.

8. *Patris tui.*] Constantii. Vide *paneg.* 4.

1. *Saguntus.*] Hodie *Moruedro*, oppidum olim clarissimum Hispaniæ Tarraconensis in finibus Edetanorum, ab Annibale eversum: cum hi se & sua comburere accenso rogo, quam ei se tradere maluissent.

2. *Hispania.*] Infra in Pacari pan. 4.

3. *Massilia.*] Urbs Galliæ Narbonensis in ora Provinciæ, ad mare Mediterraneum, olim non solum scholarum celebritate, atque emporio, sed etiam morum integritate clarissima, ut apud Plautum in Casina *mores Massilienses* proverbii instar dicantur pro moribus integerrimis.

4. *Mamertini.*] Populi olim e Samo insula, a Messanensibus hospitio excepti, occupata urbe, illam Mamertinam appellarunt: unde Tullius act 4. & 7. in Verrem *Messana urbs, Mamertina, & populi Messanenses, Mamertini* appellantur.

5. *Ilienses.*] Antiqui Ilii incolæ. *Ilium* autem, quæ & *Troja*, urbs Phrygiæ minoris notissima inter Idam montem ad Orientem, & Ægæum mare ad Occidentem.

6. *Ædui.*] De Æduis, supra *pan.* 4. *n.* 4. *not.* 2.

7. *Princeps Æduus.*] Æduorum primarius magistratus, si Julio Cæsari credimus, Gallico quodam, sed corrupto vocabulo dicebatur *Vergobret*. An vero princeps Æduus alius ab eo fuerit nescio. Certe Julius Cæsar Divitiacum principem Æduum sæpe vocat, nunquam Æduorum magistratum.

8. *Cis Rhodanum.*] *Rhodanus* fluvius maximus Galliæ Narbonensis, ex Adura monte, e regione Rheni oriens, ad Lugdunum accepto Arari, Viennam, Valentiam, Avenionem, & Arelatem alluit. *Le Rhosne.*

9 *Pyrenæis montibus.*] Pyrenæi montes Galliam ab Hispania disterminant. De his supra, *Plinii paneg.* *n.* 14. *not.* 9.

1. *Cum ætate.*] Fortasse *ex ætate.*

que ut [2] magnos natu parentes magis magisque in dies veneramur & colimus; fratrum vero æqualitas, & liberorum soboles blandiore licet, leviore tamen animos tangit affectu; ita beneficia antiqua graviora sunt, quamvis præsentia suaviora videantur. Sed tamen si illa vetustate obsoleverunt, quid hæc recentia [3] quæ pueri vidimus? Attende, quæso, quanti sit, Imperator, quod [4] Divum Claudium, parentem tuum ad [5] recuperandas Gallias primi solicitaverunt: expectantesque ejus auxilium, septem mensibus clausi, & omnia inopiæ miseranda perpessi, tum demum irrumpendas [6] rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cum fessi observare non possent. [7] Quod si vobis, & conatibus Æduorum fortuna favisset, atque ille reipublicæ restitutor implorantibus nobis [8] subvenire potuisset, sine ullo detrimento Romanarum virium, [9] sine clade Catalaunica, compendium pacis reconciliatis provinciis attulisset fraternitas Æduorum. Ob hæc igitur merita, & prisca divus pater tuus civitatem Æduorum voluit [10] jacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecuniis [11] ad calendaria largiendis, & lavacris quæ corruerant extruendis, sed & [12] metœcis undique transferendis, ut esset illa civitas provinciarum velut una mater, quæ reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset.

V. Dixi quam bene meritis Æduis subveneris, Imperator: sequitur

NOTÆ.

2. *Magnos natu.*] Ita restitui ex Acidalio. In Puteana edit. est *magno natu*.

3. *Quæ pueri vidimus.*] Si Eumenius puer fuit sub Claudio secundo, anno nempe Christi 269. natum eum fuisse sub Gallieno anno circiter 261. mihi verisimile fit.

4. *Divum Claudium.*] De hoc multa in *paneg* 4.

5. *Recuperandas Gallias.*] A Tetrico tyranno.

6. *Rebellibus Gallicanis.*] Bagaudis. De quibus supra. Bartholomæus vero a Chassenæo juris doctor, idemque fiscalis Æduensis patronus, in hac ipsa oratione quam inseruit *in suo gloriæ catalogo*, quem librum characteribus Gotthicis ante 150. annos Parisiis edidit; in contextum addit. *Cumque omni tempore de populo Rom. bene meriti fuerint, tamen liberos in securitatem abduci, & agros suos vastari viderant.*

7. *Quod si vobis.*] Flaviæ genti.

8. *Subvenire potuisset.*] Gotthico bello distentus. In quo quidem, si Trebellio fides est, cecidit barbarorum cccxx. millia: navium duo millia demersit. Cæsi in ea clade Peucini, Trutungi, Ostrogotthi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ, etiam & Eruli &c.

9. *Sine clade Catalaunica.*] Cum Aurelianus an Chr. 274. Tetrici tyranni exercitum ipso tradente Tetrico, plane cecidit. *Vopiscus, Victor, Pollio, Zosimus, & Zonaras.* *Catalaunum* autem urbs ampla Galliæ ad Matronam fluvium 20. leucis distat a Trecis meridiem versus, & totidem a Verduno in Orientem. *Chaalons sur Marne.*

10. *Jacentem erigere.*] Vide pan. 4. finem.

11. *Ad Calendaria.*] Puta, inquit Livineius, Constantium pro liberalitate sua grandem reip. Flaviensium dedisse pecuniam, quam illi fœnori ad Calendas pro more collocarent. Horat. Epod. l. od. 2. *Jam jam futurus rusticus, omnem relegit idibus pecuniam, quærit calendis ponere.* Gruterus legit ad *Caldaria*, id est, ad lavacra reficienda.

12. *Metœcis.*] Id est, colonis: *μέτοικοι οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες ἐν τῇ ἑτέρᾳ οἰκοῦντες*, id est, metœci sunt, qui aliam urbem inhabitant priore relicta, *Suidas ex Aristophane in Equitibus.*

ut dicam quam graviter afflictis: qui locus [1] nimium quantum plus mihi suppeditaret orationis si fas esset audiente te rebus tristioribus immorari. Ut igitur in prædicandis laudibus patriæ meæ, verecundia modum fecit, ne arroganter insurgerem; ita in commemorandis ejusdem malis & meus dolor, & tuarum aurium consuetudo cohibebit. Nihil enim libenter au- 5 dis [2] nisi quos pro tuis gratuleris. Sed tamen, quæso, Imperator, [a] injunge patientiam sensibus tuis, ut quemadmodum præstantes scientia medici non aspernantur vulnera inspicere quæ sanant, ita nunc tu paulisper audias Æduorum labores quos sustulisti. Neque enim potes [3] sine experimento misericordiæ ad laudem clementiæ pervenire. Jacebat illa civitas [4] non tam 10 innixa Romanis, quam virium defectione prostrata, ex quo eam novi census exanimaverat acerbitas. Nec tamen juste queri poterat, cum & agros qui descripti fuerant haberemus, & [5] Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possumus æquari. Quo magis, Imperator, clementiæ tuæ gratias agimus, qui remediis sponte concessis, fecisti 15 ut quod non poteramus jure petere, juste obtinuisse videamur.

VI. Habemus enim, ut dixi, & hominum numerum qui delati sunt, & agrorum modum, sed utrumque nequam; hominum segnitia, terræque perfidia. Unde enim nobis [1] Remus, aut [2] Nervius, aut ipse ille de proximo [3] Tricassinus ager, aut arator, [a] quorum reditus cum labore 20 contendunt? Quanquam merito quivis ignoscat ipsis cultoribus, quos piget laborare sine fructu. Siquidem ager qui nunquam respondet impendiis ex necessitate deseritur; etiam inopia rusticanorum, [b] quibus in ære alieno vacillantibus nec aquas deducere, nec silvas licuit excidere. [c] Ita

INTERPRETATIO.

a *Impera id animo tuo.*
a *Quorum reditus æquant labores.*
b *Quibus ære alieno oppressis.*
c *Sic terra illa quæ quondam erat uteunque bona &c.*

NOTÆ.

1. *Nimium quantum.*] Ita Tullius in oratore n. 87. *Tales qui in dicendo nimium quantum valent*, sed & utrobique aliqui legunt *mirum quantum.*

2. *Nisi quod tuis &c.*] Corruptus locus, quem cum Acidalio restituo. Alii legunt, *nisi pro quo tuis gratuleris.* Alii *nisi quos pro tuis gratuleris.*

3. *Sine experimento misericordiæ.*] Malim *miseriæ*, id est, nisi audias, nisi agnoscas alienam miseriam, clemens nec esse, nec haberi potes.

4. *Non tam innixa Romanis.*] Id est, non tam stabat hæc civitas, propter eam quæ inerat ipsi cum Romanis affinitatem, quam jacebat prostrata propter novum vectigal ipsi impositum.

5. *Gallicani census.*] Census duplici modo fiebat, vel per capita, sive per focos, vel per agros, qui propterea describebantur a Censoribus, ut pro numero & modo agrorum esset vel major vel minor. Igitur sensus est: Nos quidem exanimat novi census acerbitas, qui aliarum provinciarum fortunas æquare non possumus. Nihil est tamen cur conqueramur, cum & agros qui descripti sunt habeamus, neque quidquam a nobis petatur, quam pro communi Gallici census formula debeatur.

1. *Rhemus.*] *Rhemi*, populi quorum urbs Rhemi, seu Durocotorum in Gallia Belgica, ad fluvium Vidulam.

2. *Nervius.*] Populi Galliæ Belgicæ, *ceux du Haynaut*; propter Tornacum ad Scaldim fluvium.

3. *Tricassinus.*] De Tricassino oppido

quidquid olim fuerat tolerabilis soli, aut corruptum est paludibus, aut sentibus impeditum. Quin etiam ipse ille [4] pagus Arebrignus [5] manu seritur invida, cujus uno loco vitium cultura [6] perexigua est: nam retro cetera, silvis & rupibus invia, securarum sunt cubilia bestiarum. Illa autem quæ subjecta
5 & usque [7] Ararim [8] porrecta planities, fuit quidem, ut audio, aliquando jucunda, [9] cum per singulorum fines continua cultura procursus fontium vallibus patentibus evehebat; nunc autem interclusis vastitate meatibus, quidquid humilitate sua fuerat uberius, in voraginem & stagna [10] conversum. Ipsæ denique vineæ, [11] quas mirantur ignari, ita vetustate senuerunt,
10 ut culturam jam pœne non sentiant: [12] radices enim vitium, quarum jam nescimus ætatem, millies replicando congestæ, altitudinem debitam scrobibus excludunt, & ipsam propaginem non debitam, sed obtectam, produnt imbribus eluendam, & solibus perurendam. Nec possumus, ut [13] Aquitanis, aliisque provinciis familiare est, novis vitibus locum
15 ubique metari; cum supra saxa perpetua sint, infra humilitas pruinosa.

NOTÆ.

supra pan. 5. n. 14. not. 6.

4. *Pagus Arebrignus.*] Pagus non tantum sumitur pro villula, ubi aliquot rusticorum casæ conjunctæ sunt, accipitur etiam pro toto jurisdictionis tractu. Quo sensu *Cæsar l. 1. de bello Gall.* scribit Helvetiam rotam in 40. divisam pagos, hodie 13. numerantur, quos *Cantones* appellamus. Sic Dionysius agrum Romanum ait fuisse in tractus quosdam distributum. *Arebrignus* autem est pagus Æduorum circa Ararim fluvium.

5. *Manu seritur invida.*] Ita extat in aliquot veteribus exemplaribus, id est, ægre admodum seritur. In Puteana editione est *inani fertur invidia.*

6. *Perexigua est.*] Ita legit Acidalius pro *perspicua est.*

7. *Ararim.*] Araris. *La Saone* de quo fluvio. *Supra pan. 7. n. 18. not 1.*

8 *Porrecta planities.*] Augustodunum *ab oriente & meridie montibus elevatur nemorosis; a septentrione vero, & occidente vallibus deprimitur; saltem circa ejus medietatem a qua planities amœnissima in septentrionem ad longitudinem 12 mille passuum; ubi undequaque fontes, rivulique circumfluunt.* Hæc Bartholomæus a Chasseneo *in suo gloriæ mundi catalogo lib. 12 cap. 60.* Plura de Æduensis urbis origine, dignitate, & situ videri possunt apud Petrum a sancto Juliano, & Joannem Munerium, qui ambo commentarios eam in urbem ediderunt.

9. *Cum per singulorum fines.*] Sensus est: cum assiduo cultu humum aut lapides hinc & inde aggerendo, veluti canales quidam ad altitudinem aliquam attollebantur, quibus per patentes valles in singulorum terras fontes inducerentur.

10. *Conversum.*] Adde *est.* Sensus erit: Nunc autem quidquid propter humilitatem loci melius irrigatum ab his aquis fuerat; adeoque & pinguius & uberius, id omne mutatum est in atram quandam ac lutulentam voraginem.

11. *Quas mirantur ignari.*] Id est, vineæ quas mirantur, qui ad luxuriam quandam foliorum, & ad sarmentorum inutilem silvam attendunt, ignari quid in iis vitii lateat.

12. *Radices enim.*] Radices millies repastinatæ tantam fibrarum & surculorum silvam egeranr, ut scrobes ad debitam altitudinem fodi non possent, proindeque ipsa vitium propago non satis obtecta, vel corrumperetur imbribus, vel solis ardoribus ureretur. Pro *ipsam propaginem non debitam, sed obtectam*, lege *ipsam propaginem non obtectam.* Vox enim *debitam* e superiore versu in hunc haud dubie irrepsisse notat Cl. Puteanus, nisi forte eum Livineio legeris *non ditam, sed obtectam* nempe leviter &c.

13. *Aquitanis.*] Populi eam Galliæ partem incolentes, quæ Garumna, mon-

VII. Nam quid ego de [1] ceteris civitatibus illius regionis loquar, quibus illacrymasse te, ipse confessus es? vidisti enim non ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia, vias faciles, [a] navigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia; sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, [b] muta, 5 tenebrosa; etiam militaris [2] via sit confragosa, & [c] alternis montibus ardua atque præceps, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat. Ex quo sæpe accidit ut obsequia nostra [3] tarda sint, [d] cum paucarum frugum nobis difficilior sit evectio, quam [4] ceteris plurimarum. Quo magis, Imperator, pietati tuæ gratias agimus, qui cum scires [5] itinerum regio- 10 num nostrarum aditum atque aspectum tam fœdum tamque asperum, tamen illo deflectere, & urbem illam sola opis tuæ expectatione viventem illustrare dignatus es. Boni principis est libenter suos videre felices; sed melioris invisere etiam laborantes. Dii boni! quisnam ille tum nobis illuxit dies, [e] jam enim ad prædicanda remedia numinis tui ordine suo per- 15 venit oratio, cum tu, quod primum nobis signum salutis fuit, portas ipsius urbis intrasti? [f] quæ te habitu illo in sinum reducto, & procurrentibus utrinque turribus amplexu quodam videbantur accipere.

VIII. Miratus es, Imperator, unde se tibi tanta [1] obviam effunderet multitudo, cum solitudinem ex vicino monte vidisses. Omnes enim ex agris 20 omnium ætatum homines convolaverunt, ut viderent quem superstitem sibi libenter optarent. Quod enim [2] ad propagandos aliorum principum [3] so-

INTERPRETATIO.

a *Aptos ad navigandum fluvios.*

b *Plena silentii, & tenebrarum.*

c *Propter montes interjectos.*

d *Cum pauca cibaria transportare nobis sit difficilius, quam aliis longe plura.*

e *Nunc cursus orationis eo deductus est, ut commemorem quæ remedia attulerit* his malis *tua majestas.*

f *Quæ urbe te videbatur excipere curvo sinu* suo, *& turribus utrinque projectis quasi amplectendo.*

NOTÆ.

tibus Pyrenæis, & Oceano definitur. *La Guyenne.*

1. *Ceteris civitatibus.*] Augustodunum erat Æduensis ditionis caput, cui suberant aliæ civitates, ut ex Tacito supra probavimus.

2. *Via sit confragosa.*] *Via situ confragosa* Livii. Cum enim viæ militares planæ esse ubique soleant, & ad comportandos commeatus faciles, vel via militaris apud Æduos erat confragosa, quod maxime facit ad regionis illius exaggerandam miseriam.

3. *Tarda sint.*] Ut si quando obsequii nostri ratio exigit ut cibaria tibi & commeatus afferamus, non nisi ægre & tarde id fiat, atque serius quam vellemus.

4. *Ceteris plurimarum.*] Non videtur abs re huic loco attexere quod Chassanæus hoc loco addit ex MS. *Horum locorum, Imperator, ingenium est hujusmodi, ut te eorum aspectum non horruisse loco sit summi beneficii, recreasse vero plane non hominis, sed divinum opus omnes fatebuntur, nos proprie benevolentia colemus sempiterna.*

5. *Itinerum*] Fortasse abundat vox ista.

1. *Obviam effunderet.*] Constantini in Augustodunum urbem ingressus.

2. *Ad propagandos.*] Anton. Schonovius addit *annos.*

3. *Solemni verborum more.*] Variæ erant ejusmodi acclamationes. Nam apud Tertull. Apologet. acclamat populus: *De no-*

lenni verborum more juratur tibi, Constantine, soli, ultra omnium nostrum fata victuro: [4] secure vovemus, cui tam longa ætas propria debeatur. Magna est profecto vis post diuturnam ægritudinem atque mœstitiam surgentium gaudiorum. [a] Caluit in nobis ultra vires nostras animus ad lætitiam, & quodam præsagio futuræ felicitatis elati, tanta te exultatione suscepimus, [b] quasi jam indulgentiam quam daturus eras haberemus. Exornavimus vias quibus in palatium pervenitur paupere quidem supellectile: sed [5] omnium signa collegiorum, omnium deorum nostrorum simulacra protulimus, paucissima clarorum instrumenta modulorum, per compendia sæpius tibi occursura protulimus. Divites nos crederet, qui veritatem studio æstimaret. Sed enim providentiam tuam latere non potuit, quamvis bene dissimulata paupertas, intellexisti officiosam & honestam inopum vanitatem.

IX. Sponte nos ad numinis tui aditum vocas; sponte affari, sponte quid opis desideraremus, interrogare dignatus es. Hæc sunt, Imperator, vera beneficia, quæ non precibus efflagitata, sed ex voluntaria tua bonitate proveniunt, & citra ullam [1] petendi molestiam, adipiscendi voluptatem dederunt. Neque enim parvi negotii est imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare, sub tantæ [2] majestatis aspectu perfricare frontem, vultum componere, confirmare animum, verba concipere, trepidanter dicere, apte desinere, expectare responsum. Has omnes difficultates, Imperator, verecundiæ nostræ [3] remisisti, non solum ultro percunctando, quid remedii posceremus, sed etiam [a] tibi ipsi suggerendo quæ nos tacebamus, dum nos jacentes ad pedes tuos clementissimo attollis affatu. Vidimus misericordiam tuam humentibus oculis eminentem. Ibant per hæc ora lacrymæ, nobis salutares, tibi gloriosæ; & nos invicem jam dolore discusso flebamus gaudio. Nam sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber [4] ubertat;

INTERPRETATIO.

a *Animus lætitia gestiit.*

b *Quasi jam frueremur beneficio, quod accepturi eramus.*

a *Tecum ipse disquirendo.*

NOTÆ.

stris annis tibi Jupiter augeat annos. Apud Senecam ep. 31. & 71. *Tanto melior, surge & inspira*, & l. 6. natur. Quæstion. *Vade fortiter, vade feliciter.*

4. *Secure vovemus.*] Tutum est tibi longos annos precari: haud dubie enim vota nostra implebuntur, siquidem tibi etiam absque votis nostris longa ætas debetur ut optimo principi.

5. *Omnium signa collegiorum.*] Adducor facile ut putem in collegiis eruditorum hominum signa & imagines asservari solitas. Hæ vero prolatæ sunt ad solennem Constantini ingressum exornandum.

1. *Petendi molestiam.*] Vetus est effatum *nihil carius emi, quam quod precibus emendum est.* Et vero beneficii sui gratiam extinguit, qui non votum rogantis occupat. Vide *Senecam de beneficiis.*

2. *Majestatis aspectu.*] Gruteri emendationem in contextum inserui, pro eo quod erat antea *majestatis affectu.*

3. *Remisisti.*] Frequens apud ejus ævi scriptores loquendi modus. Ita pan. 21. n. 18. *Parvi autem, Imperator, putas esse beneficii, quo rogandi mihi periculum remisisti?*

4. *Ubertat.*] Lege *uberat*, ut supra *pan. Plinii n.* 32. quem tu consule.

ita lacrymæ tuæ pectora nostra gaudiis irrigabant : ut quamvis nefas esset te flente lætari, vinceret tamen gratulatio religionem, cum lacrymæ illæ pietatis essent indices, non doloris.

X. Et hæc quidem nobis ad summam gratulationem sufficere potuissent, etiamsi remediorum nostrorum spem distulisses, & quibus nos opibus levaturus esses, dubium reliquisses : sed tam prompta in te est natura bonitatis, ut quod pia mente conceperis, statim voce declares. Sic ingenui largique fontes ut ubique prosint, ire festinant ; sic celeriter in terras [1] cœlo missa perveniunt ; sic denique divina illa mens, quæ totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitavit illico fecit. In quo tamen, Imperator, si consilium [b] [2] amici callidioris admitteres, esset quod fortasse reprehenderetur ; nimium te scilicet facile ea quæ sis tributurus aperire, & sine ullo artificio cito promere, quæ sperari diu debeant. Nescis, Imperator, tua commendare beneficia ; præstandi celeritate occupas tempus optandi. Sed enim indulgentiæ celeritate vicisti, Imperator, ipsa elementa quibus animamur & vivimus. Diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem ; diu fruges hyems cohibet, ver elicit, æstas flore [3] solidat, calor [4] ematurat ; tu nobis vitam pariter totam dedisti ; tu fructus meritorum tuorum statim nos metere, [5] & in conditis referre jussisti. Relevaturus censum, definisti numerum. Reliqua debita remissurus, quantum deberemus interrogasti. Quæ interrogatio manifesta promissio fuit. Nam cum is qui omnia potest quid sibi debeatur interrogat, non curiose percunctatur ut sciat, sed liberaliter cupit audire quantum remittat.

XI. Separate igitur utraque dicam : neque enim quasi [1] per saturam confundenda sunt tanta beneficia. [2] Septem millia capitum remisisti, quar-

INTERPRETATIO.

a *Ab astutiore aliquo peteres.*

NOTÆ.

1. *Cœlo missa.*] Tale illud pan. 7. n. 8. *Illa inquam, illa majestas, quæ Jovis subjecta nutu, nec Iridi deum nunciæ, sed pennis commissa victoriæ, tam facile te comitata est, quam cito ad terras cœlo missa perveniunt.*

2. *Amici callidioris.*] Retineo vocem *amici* quæ abest in editione Puteana.

3. *Solidat.*] Virg. Georg. l. 1. 179. *Area tum primum creta solidanda tenaci.*

4. *Ematurat.*] An *maturat.*

5. *Et in conditis referre.*] Metaphora ducta a messoribus, qui non simul & metunt, & messes condunt in horrea. Mos autem bonorum principum semper fuit, attritis bello, vel alia calamitate civitatibus ac provinciis, onerum fiscalium vacatione aut indulgentia subvenire.

1. *Per saturam.*] *Satura*, ut Festus l. 17. scribit, erat cibi genus ex variis rebus conditum, vel secundum aliorum interpretationem genus carminis, in quo multis de rebus conjunctim & confuse disputabatur : ex quo satura lex quæ multis aliis conferta legibus olim dicebatur ; vel νόμος πολλὰ περιέχων, id est, lex quæ de pluribus rebus loquitur. Dicta a copia rerum, quasi a saturitate. Hinc satyræ nomen, quod vitiorum genus omne insectetur. Inde etiam saturum carmen.

2. *Septem millia capitum.*] Capita sunt

tam amplius partem nostrorum censuum 1 & tamen utrum sufficeret hoc nobis sæpius requisisti. O nos utrumne verecundos dicam nimium, an satis gratos? qui reticuimus, hæsimus, [a] indulgentiæ tuæ ample fluenti modum fecimus. Plus adhuc præstare cupiebas, si ausi fuissemus exposcere.
5 Quantum sit hoc, Imperator, beneficium, quam necessarium nobis, [b] quam utile etiam devotionis officiis, non queo satis dicere. [3] Remissione ista septem millium capitum, viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opem, dedisti salutem; [4] plusque in eo consecutus es quod roborasti, quam recidisti in eo quod remisisti. [5] Quater tantum tibi firmum certumque redditum est,
10 id quod irrito petebatur. Siquidem desperatio perferendi debiti etiam id quod dari poterat inhibebat, nec erat ratio conandi, cum non esset spes ulla complendi. O divinam, Imperator, tuam in sananda civitate medicinam! Sicut ægra corpora & onerata stupentium torpore membrorum, resecata aliqua sui parte sanantur, ut imminuta vigeant quæ [6] exaggerata tor-
15 pebant; ita nos nimia mole depressi, levato onere consurgimus.

XII. Nescit [a] taxare indulgentiam tuam, qui te putat [b] septem millia capitum sola donasse. Donasti omnia quæ stare fecisti. Quanquam enim adhuc sub pristina sarcina vacillemus, tamen levior videtur, [1] quia non omnis perfertur [c]: [2] exonerandi præsumptio dat patientiam sustinendi. Certe &
20 nunc liberi parentes suos chariores habent, & mariti conjuges non gravate tuentur, & parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur. Ita omnium pietas [d] olim fessa respirat, & suos quemque juvat numerare securum, [e] cum plures adjuvant obsequia paucorum.

INTERPRETATIO.

a *Temperationem adhibuimus liberalitati tuæ largiter sese effundenti.*

b *Quam utile etiam ad præstanda obsequia,* quibus tibi *devovemur integra.*

a *Æstimare.*

b *Septem hominum millia beneficio complexum esse. Complexus es omnes quos* pendendo tributo *pares fecisti.*.

c *Fiducia certa levationis* oneris.

d *Antea oppressa.*

e *Cum multitudo capitum singulorum onus minuit.*

NOTÆ.

tributa, quæ in singula capita indicebantur. Glossæ veteres; *Tributum capitulare* ἐπικεφάλαιος φόρος.

3. *Remissione ista.*] xxv. mille homines centum pendebant. Itaque huic eidem numero cum quartam amplius census partem remisisset, dedit vires 25. millibus: effecitque ut minore suo incommodo deinceps tributum solverent.

4. *Plusque in eo consecutus es.*] Plusque tibi consecutus es sublevando alios, atque ut facilius censum pendere possent efficiendo, quam tibi ademisti suum septem millibus tributum remittendo.

5. *Quater tantum &c.*] Rotundat numerum: nam quater septem xxviii. conficiunt; Augustoduni vero censa dumtaxat erant xxv. millia capitum. Hunc autem locum alii alio modo legunt, sed male meo quidem judicio.

6. *Exaggerata.*] Alii legunt *exacervata* alii *exacerbata.*

1. *Quia non omnis perfertur.*] In editione Puteana est *quia nemo vicino præfertur.* Alii sublata voce *nemo* legunt *quia nemo præfertur.* Acidalius *quia non omnis porro feretur.* Alii *quia non perferetur.* Ex his omnibus conjecturis ita mihi restituendus integritati visus est locus.

2. *Exonerandi.*] Παῤῥησία.

Quo

Quo magis ſpe futuri temporis elevamur. Recreatur animus ſecuritate præteriti,[f] remiſſiſque reliquis nihil eſt quod reſpectandum timendumque ſit,[g] quod aliquid virium venturis penſitationibus necet. Ita duorum temporum, quæ ſunt maxima, moleſtia liberati ſumus, [3] unum, atque id minimum, brevi labore tranſigimus. Nam cum præteritum tempus pro modo ſuo longum, futurum autem infinitum [h] ſit; præſens tempus breve, & ſemper in partem utramque, mutabile, cum & a præterito relinquatur, & tranſeat in futurum; unus hic annus prope ſenſum non habet difficultatis, duorum temporum indulgentiis coarctatus, & quaſi terminus quidam poſitus felicitati [i] & utriuſque [4] confinis, quæ nos & præterito liberos facit, & in futuro ſecuros.

XIII. Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti. O luſtrum omnibus luſtris felicius! O luſtrum quod merito hanc imperii tui [1] æquavit ætatem! [a] Nobis ergo præcipue te principem dii creaverunt, quibus ſingulis hæc eſt nata felicitas, ex quo tu imperare cœpiſti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda ſunt.[2] Illa enim quinto incipiente ſuſcepta, omnibus populis jure communia, nobis hæc propria quæ plena ſunt. Præclara fertur Catonis oratio [3] de luſtri ſui felicitate. Jam tunc enim in illa vetere republica, ad cenſorum laudem pertinebat ſi luſtrum felix condidiſſent, ſi horrea meſſis impleſſet, ſi vindemia redundaſſet, ſi oliveta [4] larga fluxiſſent. Quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentiæ tuæ luſtro? luſtro? quo licet nulla frugum ceſſarit ubertas, feciſti tamen ut omnia videantur fuiſſe largiora quam fuerint. Valet enim nos tantum habuiſſe; quantum debere definimus, valet plena fuiſſe horrea, plenas cellas, [5] cum in nullis reliquis hæreamus. [6] Hoc nobis eſt iſta largitio quod terra mater frugum, quod Jupiter moderator aurarum. Quidquid illi parcius dederant, nobis tamen ex beneficio tuo natum eſt.

XIV. Quænam toto orbe terrarum auri argentique metalla tam larga ſunt, quis Tagus, quiſve Pactolus tanto fluxerunt auro, quantum

INTERPRETATIO.

f *Et remiſſis iis quæ* ſolvenda *reſtabant*, *nihil eſt quod cavendum ſit.*

g *Quod aliquatenus minuat facultatem* ſolvendi *in poſterum tributi.*

h *Et a præterito dividatur.*

i *Et inter utrumque* temporis *fines medius.*

a *Noſtra præcipue cauſa.*

NOTÆ.

3. *Unum.*] Præſens videlicet tempus, atque id minimum.

4. *Confinis.*] Legendum alii putant *confiniis* vel *confinium*.

1. *Æquavit ætatem.*] Luſtrum imperii tui.

2. *Illa enim.*] Confert Quinquennalia Conſtantini, cum remiſſione tributi in quinque annos, quam ſingulis conceſſit.

3. *De luſtri ſui felicitate.*] Nullibi, quod ſciam, extat illa oratio: laudatur tamen a veteribus grammaticis.

4. *Larga fluxiſſent.*] An *large?*

5. *Cum in nullis reliquis.*] Cum expediti ſimus cura ſolvendi, quod reliquum erat.

6. *Hoc nobis eſt.*] Tua illa liberalitas no-

liberalitate tua consecuti sumus? non enim majoris est muneris abs te accepisse. Quin imo, quanto est durius extorqueri, quod proprium fuerit, quam non acquirere quod fuerit alienum; tanto dulcior est remissa solvendi necessitas, quam lucrandi optata commoditas. Quam multi, Imperator Auguste, quos inopia latitare per saltus, aut etiam in exilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt, in patriam revertuntur, desinunt pristinam accusare pauperiem, desinunt odisse agrorum suorum sterilitatem, resumunt animos operi, præparant culturam, melioribus annituntur auspiciis, revisunt domos, referunt vota templis? Præsertim cum tu omnium nostrorum conservator adveneris, & quasi [2] ille majestatis tuæ comes & socius, flagrabit tota civitas, gaudiis perstrepet, & cum proficisceris fortasse retinebit. Dabis enim veniam, [3] amoris nostri contumeliam feres. Omnium sis licet dominus urbium, omnium nationum, nos tamen etiam nomen accepimus tuum jam, non antiquum. [4] Bibracte quidem hucusque dicta est Julia, Pola, Florentia: sed Flavia est civitas Æduorum.

INTERPRETATIO.

a *Privari per vim eo.*

NOTÆ.

bis instar est abundantis terræ, &c.

2. *Ille majestatis tuæ comes.*] *Quem velit*, inquit Livineius, *non expedio: Forsitan Faustum e Minervina filium.* Acidalius legit: *& pietas illa majestatis tuæ comes, &c.* ut pietas vocetur benignitas illa qua Constantinus in Flavienses erat usus.

3. *Amoris nostri contumeliam.*] Quod cum injuriosum tibi esse videatur, tamen ex amore tui faciemus.

4. *Bibracte quidem.*] Hoc est, inquit *Valesius in sua notitia Galliarum*, *Bibracte* quidem in Æduis, ut & *Pola* Istriæ, & *Florentia* Tuscorum a Julio Cæsare nomen acceperunt, & *Juliæ* sunt cognominaræ: at civitas Æduorum primaria, nimirum *Augustodunum*, a Flavio Constantino, & Flavio Constantio, restitutoribus suis *Flavia*, incolæ *Flavienses* appellantur.

AD PANEGYRICUM IX.

DE AUCTORE ET QUO LOCO AC TEMPORE PRONUNCIATUS SIT.

HAbita est hæc oratio anno Christi 313. post Maxentii cladem, mense opinor Januario, Treveris, antequam Constantinus, inde ad pacandos Germaniæ tumultus discederet. Auctor incertus. Tamen Cl. Puteanus hunc Nazario tribuit: *Quod*, inquit, *conjicio ex stylo, & ex loco panegyrici Nazarii Constantino dicti qui sic incipit*: Non commemorabo, *inquit*, hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim: perstringi hæc satis est, quod & pridie prolixius mihi dicta sunt. *Nempe in hac ipsa oratione, qua fusius describitur prælium, quo Maxentius de-*

bellatus est a Constantino. Deinde ex ordine, quo omnes nostri Panegyrici constituuntur in veteribus libris: subjicitur enim huic Panegyricus Nazarii, qui incipit: Dicturus Constantini &c.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Accessurum se ad imperatorem laudandum negat, nisi nefas esset ei, quem propter res leviores sæpe laudasset, propter recuperatum imperium non gratulari.*

DISTRIBUTIO I. *Quam fortiter Constantinus adversus Maxentium bellum susceperit.* II. *Quam feliciter confecerit.*

I. PARS. *Dissuadentibus amicis, auspiciis adversantibus, imperii sociis pœne desperantibus, cum quarta tantum exercitus parte Alpes transgressus, iturus adversus hostes duplo plures, cataphractos, & pro facinorum conscientia nunquam cessuros*, n. 2. *Maxentium Severus, Galerius, & Maximianus adorti erant cum ingenti exercitu, omnes infeliciter*, n. 3. *Sed pro Constantino justitia pugnabat. Hujus virtutes cum Maxentii vitiis conferuntur*, n. 4.

II. PARS. *Segusium*, n. 5. *Taurinos*, n. 6. *Mediolanum*, n. 7. *Veronam*, n. 8. *Aquileiam capit, ubi ex pertinacioribus alios morte afficit, alios gladiis in vincula mutatis constringi jubet*, n. 11. *Victo ad septimum ab urbe milliare Maxentio, eoque inter fugiendum e Milvio ponte in Tiberim collapso*, n. 14. *victor & triumphans in urbem ingreditur*, n. 19. *Quam dissimilis Cinnæ, Mario, & Syllæ*, n. 20. *Quam clemens erga cives, erga milites bonus, quos victoriarum socios habiturus in inferiorem Germaniam secum deducit*, n. 21. *Constantii gloriam superat*, n. 24. *Ob quæ omnia singularibus a senatu honoribus donatur*, n. 25.

IN FINE. *Jovem precatur pro æternitate Principis*, n. 26.

INCERTI PANEGYRICUS, CONSTANTINO AUGUSTO.

I. UNde mihi tantum confidentiæ, sacratissime Imperator, ut post tot disertissimos homines, quos[1] & in urbe sacra, & hic rursus audisti, dicere auderem: nisi nefas esse ducerem, & com-

NOTÆ.

1. ET *in urbe sacra*] Romæ. *Et hic.* Opinor Treveris, unde Constantinus discessum parabat in Germaniam, ut in Constantini vita observavi.

missi cujusdam sacrilegii religionem vererer, si is, qui semper res a numine tuo gestas prædicare solitus essem, hæc tanto majora pristinis silentio præterirem; per quæ non pars aliqua servata, sed universa sibi est respublica restituta? Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. Siquidem latine & diserte loqui [2] illis ingeneratum est, nobis elaboratum; & si quid forte commode dicimus, ex illo fonte & capite facundiæ [a] imitatio nostra derivat. Sed quamvis conscius mihi infirmitatis ingenitæ, & inchoati potius studii quam eruditi; cohibere me silentio nequeo, quo minus de [3] recuperata Urbe, imperioque Romano, [b] & tandem ex diuturna convulsione solidato, & ipse aliquid coner effari: [c] ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudita videatur. Etenim si in rebus bellicis ipsisque prælüs non solum [4] tubæ ac litui, sed etiam [5] Spartanæ tibiæ incentivum aliquod feruntur habuisse; credo, quia magnos animos parvo licet modulo sufficit incitari: cur ego in me de tuo favore diffidam, [d] ut sermonem meum studio potius tui cultus quam suis viribus metiaris? Experiar igitur, ut possum, quanquam [6] oppletis auribus tuis, ut sic dixerim, insusurrare, sine æmulandi fiducia cupidus imitandi.

II. Ac primum illud arripiam, quod credo neminem adhuc ausum fuisse; ut ante de constantia expeditionis tuæ dicam, quam de laude victoriæ. [1] [a] Transacto enim nutu adversi ominis, & offenso revocati, utar libertate erga te nostri amoris, quem tunc inter metus & reipublicæ vota suspendimus. Tene, Imperator, tantum animo potuisse præsumere, ut bellum tantis opibus, tanto consensu avaritiæ, tanta scelerum contagione, tanta veniæ desperatione conflatum, quiescentibus cunctantibusque

INTERPRETATIO.

a *Imitando detorquemus* in *nostros* usus.

b *Et firmato post multorum annorum agitationem.*

c *Ut inter tot eloquentium oratorum applausus.*

d *Ut orationem meam æstimes potius ex studio* tibi placendi, *quam ex sua tenuitate.*

a *Nam prætermisso* & *metu* quem incutiebat *infelix auspicium*, *& offensione* quæ fuit in eodem *iterando.*

NOTÆ.

2. *Illis ingeneratum est.*] Nobis ingenerata dicuntur, ad quæ facti videmur a natura, sic ut nullo nobis labore constent: elaborata vero ea quæ non sine magna contentione efficimus.

3. *Recuperata urbe.*] Post Maxentii cladē.

4. *Tubæ ac litui.*] Hoc differunt quod *tuba* recta esset, *lituus* incurvus; illa peditum foret, hic vero equitum: sæpe tamen promiscue accipiuntur ab auctoribus.

5. *Spartanæ tibiæ*] Λακεδαιμόνιοι τοῖς αὐλοῖς &c. Lacedæmonii non ad tubarum fragorem, sed ad tibiarum & lyræ modulos cytharæque, prælium inibant. *Pausanias in Laconicis.* Plutarchus περὶ μουσικῆς.

6. *Oppletus.*] Aliorum oratorum sermonibus.

1. *Transacto enim nutu.*] Id est, significatione adversi ominis. Alii legunt *metu* pro *nutu*. Mox pro *offenso* legam *offensa*, vel offensione. Infra dicit contra Haruspicum monita id bellum esse susceptum: quare crediderim primum ductum esse auspicium, quod adversum fuit, tum illud idem revocatum ac repetitum, iterum adversum fuisse. Hoc, & ea quæ consequuntur, huic loco, qui multum vexavit interpretes, lucem afferent.

tunc [2] imperii tui sociis, primus invaderes? Quisnam te deus, quæ tam præsens hortata est majestas, ut, omnibus fere tuis [3] comitibus & ducibus non solum [4] tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, [5] contra haruspicum monita ipse per temet liberandæ Urbis tempus venisse sentires? Habes profecto aliquod cum illa mente divina, Constantine, secretum, [b] quæ, delegata nostri diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere. Alioquin, fortissime Imperator, sic quoque, cum viceris, redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite dispositis exercitibus tutum [6] reliqueras; sed hoc majores pro te suscepimus metus, quod nobis potius quam tibi consulebas, nostramque pacem magis quam bellum, quod aggrediebare, firmaveras.

III. Næ tu, Imperator, nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis vere providere; [a] qui non omnia tecum [1] arma movisti, cum tua conservatio, salus nostra sit. Et quid opus erat ipsi Rheno instructis & militibus & classibus, quem jam pridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obstruxerat? An ostentare voluisti diligentiam tuam, [2] divisis copiis inter custodiam pacis & belli; aut etiam jactanter & gloriose probare liberandæ Urbi te sufficere cum paucis? vix enim quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es: ut appareret penitius considerantibus, id [b] quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitus petere victoriam. Duxerat magnum Severus exercitum, & [3] hostem suum perfidia desertus armaverat. Majo-

INTERPRETATIO.

b *Quæ cum nostri curam diis minoribus committat.*

a *Qui non omnes copias tecum duxisti.*

b *Quod nos præ amore tui trepidi non agnovimus.*

NOTÆ.

2. *Imperii tui sociis.*] Galerio & Licinio Augg. Severo & Maximino Cæsaribus.

3. *Comitibus & ducibus.*] Comites, unius; Duces, multarum civitatum rectores erant, quæ singulæ suos Comites habebant.

4. *Tacite mussantibus.*] Æneid. 11. 346. *sed dicere mussant.* Æneid. 12. 657: *Mussat rex ipse Latinus.*

5. *Contra haruspicum monita.*] Haruspices vates fuere vel Hetrusci, vel ab Hetruscis haruspicinam edoctis quorum ars in eo præcipue versabatur, ut inspectis victimis futura prænunciarent. Qui autem vocem illam ab *hara* seu ab hostia sumpta in hara cum Donato repetunt, haruspices scribunt: qui vero ab *aris* cum Isidoro deductum volunt, scribunt aruspices. Quæ hic sunt de infelici omine, de haruspicibus, de adverso auspicio, fortasse accipienda sunt de Labaro, quod sub hujus expeditionis initium Constantino visum est. Crucem enim mali apud Romanos ominis fuisse, nemo opinor nescit. De prodigio illo vide Constantini vitam ad annum 307.

6. *Reliqueras.*] Majorem exercitus partem ad Rhenum adversus Francos tutandum reliquerat.

1. *Arma*] Copias, exercitus.

2. *Divisis copiis.*] Aliis ad Rhenum relictis, aliis in Italiam ductis.

3. *Hostem suum.*] Maxentium, adversus quem Severus Cæsar a Galerio Augusto missus, Maxentii artibus proditus a suis, raptim fugere necesse habuit pene solus, mox vel Ravennæ, vel Romæ in via Ap-

res postea copias Maximianus admoverat, [4] & ipse transfugis circumcisus videbatur prospere refugisse. Ipse denique [5] qui pater illius credebatur, discissam abhumeris purpuram detrahere conatus, senserat in illud dedecus sua fata transisse. [6] Mille & sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias mon-
10 strum illud, redemptis ad civile latrocinium manibus, ingesserat. [c] Adhoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis passim donando, usque ad mortem devotionis obstrinxerat parricidas: omnes autem insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos, pœnis affecerat, armis oppresserat. Et inter hæc utebatur ejus urbis majestate quam cepe-
15 rat; totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleverat.

IV. Hæc omnia, Imperator, cum cogitares, scires, videres, nec te paterna gravitas, nec tua natura temerarium esse pateretur; dic quæso, quid [1] in consilio nisi divinum numen habuisti? An illa te ratio ducebat; [2] (sua enim cuique prudentia deus est) quod in tam [3] dispari contentione non
20 poterat melior causa non superare; & innumerabiles licet ille copias pro se objiceret, pro te tamen justitia pugnaret? Ut enim omittam illa quæ non decet comparari; quod [4] erat ille Maximiani suppositus, tu [5] Constantii Pii filius; ille despectissimæ pravitatis, detortis solutisque membris, [6] nomine ipso abusiva appellatione mutilato; tu, quod sufficit dice-
25 re, tantus ac talis: ut hæc, inquam, omittam; te, Constantine, paterna pietas sequebatur, illum, ut falso generi non invideamus, impietas;

INTERPRETATIO.

c *Præterea alienas conjuges, innocentium hominum vitam, & bona sine discrimine parricidis dando, eos* ita *sibi devinxerat, ut* suam ipsi vitam *devoverent.*

NOTÆ.

pia a Maxentio ipso interfectus est.

4. *Et ipse transfugis.*] Maximianus Herculius præclare secum actum putabat, quod Maxentii manus effugisset, amissis copiis pene omnibus, quæ item ad Maxentium transfugerant.

5. *Qui pater illius credebatur.*] Adversus eos, qui Maxentium Maximiani verum filium fuisse putant, multum facit hic locus, & n. 4. *Ut omittam quod erat ille Maximiani suppositus &c.* iterumque: *Ut falso generi invideamus &c.* & illud Victoris: *Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis auspicio gravissimi cœpti a puero &c.* id est, a prole mascula. Deinde Anonymus Valesii. *De cujus* (Maxentii) *origine mater ejus cum quæsitum esset, Syro quodam genitum esse respondit.*

6. *Mille & sexaginta annis.*] Bellum enim Maxentii illud incidit in an. V. C. 1060.

1. *In consilio.*] Alii *in consilium.*

2. *Sua cuique deus.*] Respexit ad illud Æneid. 9. 185. *An sua cuique deus fit dira cupido?*

3. *Dispari contentione.*] Supra enim n. 3. Constantinum alloquens, *vix quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es.*

4. *Erat ille.*] Elegans Maxentii & Constantini oppositio. Illius mores, crudelitatem, libidines, stupra, proscriptiones, calumnias & magicas artes vide apud *Euseb. Zonaram, & Eutrop, &c.*

5. *Constantii pii.*] Extat numus in Tristani commentariis histor. cujus titulus *D. Constantio pio principi.* Vide pan. 7. n. 8. not. 7.

6. *Nomine mutilato*] Indicare videtur Maxentium a Maximiano dictum truncato & mutilato nomine.

7. *Soli dicata conjugio.*] Igitur Minervinam, ex qua Crispum suscepit, uxoris loco

te clementia, illum crudelitas; te pudicitia[7] soli dicata conjugio, illum libido stupris omnibus contaminata; te divina præcepta, illum superstitiosa maleficia, illum denique spoliatorum templorum, trucidati senatus, plebis Romanæ fame enectæ piacula; te [8] abolitarum calumniarum, te prohibitarum delationum, te conservatio, atque homicidiarii sanguinis 5 gratulatio. In tam diversa causarum ratione divino consilio, Imperator, hoc est, tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.

V. Magnus Alexander cum præter[1] Macedonas suos[2] cunctæ Græciæ, [3][a] universo Illyrico innumerabilem dilectum posset indicere, nunquam majores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus 10 quidquid excederet, & turbam potius quam exercitum. Tu vero etiam minoribus copiis bellum multo majus aggressus es; tanto scilicet tua virtute propria potior, quanto ille numero instructior. Et ille quidem contra[4] leves Medos, & imbelles Syros, & Parthorum arma volatica, & Asiaticos, optantes mutare servitium, rem gessit prælii unius eventu;[5] 15 tibi vincendi erant milites, pro nefas! paulo ante Romani, armis omnibus more primæ classis armati, & pro facinorum conscientia nunquam nisi [6] morte cessuri. Probavit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis Alpium jugis munitissimo licet muro ac situ tenentes[7] oppidum ausi fuerunt te imminente resistere, ac portas claudere; non credentes illi quidem, 20 ut audio, te ipsum adesse; quis enim crederet tam cito a Rheno ad Alpes imperatorem cum exercitu pervolasse? sed qui tamen non solum præsenti numini tuo, verumetiam nunciato nomini cedere debuissent. Luerunt igitur illico dementiæ suæ pœnas, cum oblatam sibi a clementia tua veniam recusassent. Neque enim vallo fossaque obsessio inchoata est, nec 25 [8] cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo ariete

INTERPRETATIO.

a *Cum posset ex universa Illyria innumerabiles copias contrahere, nunquam plus quadraginta millibus militum conduxit, existimans inutile esse imperatori quidquid hunc numerum superaret.*

NOTÆ.

habuit. Vide Constantini vitam.

8. *Abolitarum calumniarum.*] Victor Schotti de illo. *Commodissimus multis rebus fuit, calumnias sedare legibus severissimis &c.* Idipsum habet Euseb. & pan. 6. n. 38.

1. *Macedonas.*] De Macedonia supra *pan.* 3. *n.* 17.

2. *Cuncta Græcia.*] Varii variis temporibus fuere Græciæ limites. Itaque si late sumitur, Epirum, Macedoniam, & Thessaliam complectitur: si vero strictius, Achaiam tantum, Peloponnesum, & insulas.

3. *Universo Illyrico*] Illyricum inter Macedoniam, ad ortum; Istriam, ad occasum; Pannoniam, ad septentrionem; & mare Adriaticum, ad meridiem.

4. *Leves Medos.*] Medi Persis, Parthis, & Assyriis finitimi ad mare Caspium habitant.

5. *Tibi vincendi erant.*] Elevat quantum potest Alexandri victorias, ut Constantini virtus major appareat.

6. *More primæ classis armati.*] Id est, cataphracti.

7. *Oppidum.*] Segusiam, de qua urbe vide *pan.* 10. *n.* 17.

8. *Cuniculis agendis.*] Nota rationem expugnandarum urbium illo tempore usurpatam. Vide *Lipsium de militia Romana.*

tentati quassatique sunt muri, sed statim injectæ faces portis, scalæ propugnaculis; nec solum fundis eminus telisque missilibus, sed hastis, gladiis. Ita res [9], simul cœpta & patrata, junctusque rebellibus fuit conatus & exitus.

5 VI. [1] Gomphos, urbem Thessaliæ, quoniam abnueret obsequium, C. Cæsar[2] uno die sustulit. Sed ille Græculos homines adortus est, tu subalpinos; ille solos incolas, tu etiam militare præsidium: ille non potuit captos a direptione defendere, tibi licuit clementiam tuis victoribus imperare. Sed illi quidem Gomphensium clades documento ceteris fuit,

10 tibi paulo post alia in [3] Taurinatibus campis pugna pugnata est, non trepidantibus ex victoria tua rebellibus, sed iratis incensisque ad ulciscendum animis, [a] quos fortunæ inclinatio restringere debuisset: nec vero temere ac passim vagis hostibus, ut facile palantes cæderentur; [b] sed [4] acie in cunei modum structa, descendentibus retro in altitudinem lateribus; quæ

15 cum prima avide confligeret, reflexa impeditos certamine circuiret. Sed tu id providens; præmissis utrinque qui obviam irent, & simul si quid insidiarum lateret excuterent; ipse obfirmato illo capite, dejectaque acie in fugam versa, tanto majorem in processu stragem edidisti, quanto amplioribus subsidiis instructa constiterat. Ita usque ad Taurinatium muros fusi

20 cæsique, obseratasque nacti portas ab incolis, etiam corporum suorum mole clauserunt.

VII. Quid tibi aliud sperare potuisti miles infelix, [a] turpissimo illi tunc devote prodigio? jam enim non insulto, sed doleo. Constantinum tu tantum sanguinis fundere coegisti. Cui, quia salutem vestram a vobis

25 impetrare non licuit, pene displicuit ipsa victoria. At non Taurinatibus, neque ceteris Italiæ civitatibus idem animus fuit, qui te, Imperator, exultantes gaudio certatim ad se vocaverunt. Missæ ab omnibus legatio-

INTERPRETATIO.

a *Quos fortuna inclinata coercere debuisset.*
b *Sed exercitu composito in figuram cunei lateribus retro abeuntibus in profunditatem; ut dum anterior* pars exercitus nostri *certaret animose, latera* hostium *explicata circumdarent* nostros *occupatos certamine. At tu præcavens illud, præmissis qui occurrerent obviam, & simul explorarent, an aliquid insidiarum lateret: tu ipse conjecto in fugam pertinaci illo rostro, & facie cunei aperta, tanto majorem fecisti stragem in progressu certaminis, quanto &c.*
a *Quem tam prodigiosa ac turpis* clades *manebat.*

NOTÆ.

9. *Simul cœpta & patrata.*] Sallust. Jugurt. *uno die inter duos Reges cœptum, atque patratum bellum fuit.*

1. *Gomphos.*] Gomphi urbs Thessaliæ, apud Epiri confinia, primoque inde venientibus occurrens, Gonno finitima: a Larissa supra 40. mill. pass. in occasum distans, de qua Statius l. 4. Syl. *& crebris iter alligare Gomphis.*

2. *Uno die sustulit.*] De hac Cæsaris expeditione vide Dionem l. 41.

3. *Taurinatibus campis.*] In campis qui circa Taurinum sunt. *Taurinum* autem urbs Italiæ subalpinæ, Pedemontii caput. Hodie *Turin.*

4. *Acie in cunei modum.*] Id est, exercitu in cunei modum composito. *Cuneus autem multitudo peditum, quæ primo angustior,*

nes,

nes, oblati undique commeatus: ut appareret quandiu desiderassent, cui se tam prompte bello adhuc restante committerent. [1] Qui fuit dies ille, quo Mediolanum ingressus? quæ gratulatio principum civitatis? qui plausus populi? quæ securitas intuentium te matrum, te virginum? quam duplici fructu fruebantur, cum pulcherrimi imperatoris formam viderent, & licentiam non timerent? Ostentare se omnes, & tripudiare, sine ullo de reliquiis belli metu, & [2] auspicium victoriæ tuæ pro consummatione metiebantur. Non Transpadana provincia videbatur recepta, sed Romana. Quis enim crederet tantis successibus tuis ullum obstaculum fore, quo minus omnes exercitus se clementiæ tuæ traderent, cum virtutis experimentum novissent? Muros vi ceperas, acie palam viceras. Quis tam demens videbatur, ut aut obsideri auderet, aut congredi? præsertim cum tu, dies aliquot Mediolani resistens, tempus sibi omnibus consulendi dedisses, ut de te sperarent.

VIII. Sed enim ærumnosa illa, & [1] jampridem media ætate nostra civili sanguine maculata Verona, maximo hostium exercitu tenebatur, acerrimis ducibus, [2] pertinacissimoque præfecto; scilicet ut quam [3] coloniam Cnæus Pompeius aliquando deduxerat, [4] Pompeianus everteret. O miserabilem Veronensium calamitatem, quos non tam tua, quam intestina satellitum pressit obsidio! quippe [5] Athesis ille saxis asper, & [a] gurgitibus vorticosus, & impetu ferox, oppugnationem prohibebat, omnemque retro regionem [6] evehendis copiis tutam defensamque præstabat. Quod tamen ne diutius hostem juvaret, providentia tua factum est, cum

I N T E R P R E T A T I O.

a *Crebris verticibus rapidus.*

N O T Æ.

inde latior, & adversariorum ordines rumpit. Milites caput Porcinum appellant extremam partem cunei. Vegetius.

1. *Qui fuit dies ille.*] Triumphalis Constantini in urbem Mediolanum ingressus.

2. *Auspicium victoriæ.*] Ex felici victoriæ initio, de ejusdem confectione existimantes.

1. *Jampridem media ætate.*] Id est, ante 30. circiter annos cum *Sabinus Julianus invadens imperium a Carino in campis Veronensibus occisus est.* Victor Schotti. Itaque auctor hujus panegyrici tum agebat annum 60. cum hanc orationem habuit. Certe quod media ætate sua contigisse istud ait, id est, cum esset in flore ætatis, quæ *ætas media* dicitur, ut observavi *pan. 7. n. 1. not. 3.* *Verona* autem urbs est ad fluvium Athesim, Tridentum inter, & Mantuam *Verone*,

2. *Pertinacissimo præfecto.*] Ruricio, viro strenuissimo.

3. *Coloniam.*] De illa colonia. Tacit. hist. l. 3. *Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua prævalebant: simul coloniam copiis validam in rem famamque videbant.*

4. *Pompeianus.*] Utrum Ruricium intelligit, natum forte in Pompeii oppido? an Carinum fortasse e familia Pompeii? An demum Constantinum?

5. *Athesis.*] Fluvius ex finibus Rhætorum Tridentum & Veronam alluens, & in mare Adriaticum se exonerans l'*Adige*. De quo Virgil. Æn. 9. 680.

6. *Evehendis copiis.*] Advehendo commeatu. Infra n. 18. ad Tybrim, *tu Romæ tua alter copiis subvehendis.* *Seneca de*

superioribus in locis, qua lenior amnis, & ignari hostes erant, exercitus parte [7] projecta ancipiti periculo, clausos obsessosque [b] peiora experiri armis coegisti, adeoque omnes [8] qui eruptionem tentaverant cecidisti, ut ipse etiam [9] dux cum parte copiarum ad arcessenda auxilia muris excesserit, 5 majorem miser adducturus exercitum, ut majore comitatu cladis occideret. Quo quidem tempore præcipua apparuit tua, Imperator, cura simul & animi magnitudo, [10] qui redeunti illi, minore exercitu congredi, quam obsidionem intermittere maluisti, ne respirare clausis, aut effugere, aut imminere tergo liceret.

10 IX. Et primo quidem, ut audio, aciem instruxeras duplicem, [a] mox proviso adversariorum numero, explicari statim in frontem ordines, & extendi latius arma jussisti, [b] ex tuo animo nimirum animos tuorum omnium metiens, quamvis gravius inde pondus infringi posse impetu paucio-rum. Laudare me existimas, Imperator, cuncta quæ in illo prælio feceris? 15 Ego vero [1] iterum queror. Prospexeras omnia, disposueras universa, summi imperatoris officia compleveras, cur ipse pugnasti? cur te densissimis hostium globis miscuisti? cur salutem reipublicæ in pericula tanta misisti? An nescire nos putas, quod dum nimio rapereris ardore, in media hostium tela deveneras, & nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius ge-20 neris humani & vota deceperas? [2] Toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abruptæ radicitus silvæ, & convulsa funditus saxa sequerentur. [3] Quid tibi est, Imperator, cum inferiore fortuna? Illos pugnare fas est, quibus suo cujusque fato aut vincendum est, aut cadendum; tu, cujus ex vita omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? in-

INTERPRETATIO.

b *Peiorem sortem ferre.*
a *Mox explorato hostium numero.*
b *Ex fortitudine tua æstimans fortitudinem tuorum omnium, ac* ratus *molem* exercitus *hosti licet graviorem, posse perrumpi vigore paucorum.*

NOTÆ.

Benef. l. 6. c. 7. Nec fluminibus gratias agimus, quamvis aut magna navigia patiantur, & ad subvehendas copias largo ac perenni alveo excurrant.

7. *Projecta.*] An *trajecta?* Schonovius.

8. *Qui eruptionem tentaverant.*] Aut *qua eruptio tentata erat.* Sic enim Lipsius & Livineius legunt. Non *qua eruptio tentaverat*, ut est in editione Pureana.

9. *Dux.*] Nempe Ruricius.

10. *Qui redeunti illi.*] Qui Veronam redeunti, post irruptionem factam, occurrere maluisti, cum ea tantum parte exercitus, quæ accincta erat ad bellum, in quo non erat parum periculi: quam ad copias omnes tecum educendas obsidionem intermittere, & obsessis dare locum aut respirandi, aut effugiendi, aut te insequendi.

1. *Iterum queror.*] An *iterum quæro?* neque enim, ut notat Acidalius, antehac questus fuerat, sed quæsierat, ut ratio suscepti belli sibi redderetur.

2. *Toto quippe impetu.*] Simile illud pan. 2 n. 5. *Toto quippe prælio ferebare, non aliter quam magnus amnis solet hybernis imbribus auctus & nubibus.*

3. *Quid tibi est.*] Loco movenda fuit integra hæc phrasis juxta Acidalii mentem: quod nemini non probandum confido. In

tet tot tela gladiosque versere? Quis hoc a te exigit? aut quis pati possit, ut quidquam in te belli casibus liceat? Deceat te, Imperator, hostem ferire? Imo non decet laborare.

X. Spectavit [1] ex edito monte Xerxes navale certamen. Augustus [2] aliud agens vicit apud Actium. Fuit etiam qui [3] sublatus in scalas invicem nexas concurrentes eminus vidit exercitus, ut nec interesset periculo, & adesset eventui. Ignava, inquies, sunt hæc exempla: sed tuta; graviorque metus est periculi tui, quam lætitia victoriæ. An non ipsi te, cæsis fugatisque hostibus, interfectoque etiam ipso eorum duce, [4] comites & Tribuni corripuere lacrymantes, amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus, & quidquid de sanguine profundæ cædis emerserat, hinc atque inde clamarunt: quid egeras, Imperator? In quæ nos fata [5] projeceras, nisi te divina virtus tua vindicasset? Quæ hæc est impatientia? aut [6] quo tibi manus nostras, si versa vice pugnas ipse pro nobis? Hæc ego non dicerem, Imperator, neque ab aliis dicta memorarem, nisi beneficio tuæ lenitatis tutior esset nostra in verbis, quam tua in armis audacia. Nova enim quadam varietate naturæ, confusoque virtutum temperamento, idem es in præliis ferocissimus, & parta securitate mitissimus.

XI. Cum enim dato obsessis tempore pœnitendi, [1] Aquileiam quoque delegatis eorum ac supplicibus recepisses, cunctique se tibi dedidissent, quos obsidendo servaveras, ignovisti omnibus, & vitam quam desperaverant reddidisti. Et quidem jussisti arma deponere, ut multo tutius victoris pietate tegerentur, ut tamen pertinaciæ suæ merita sentirent, corripi eos vincirique jussisti, non ad supplicium, sed vitam; ne conscientiæ timore diffugerent, [2] graviterque delinquerent, conservarique iterum non mererentur, si servati non fuissent. Sed unde tanto hominum numero tot vincula, quæ continere militares, & paulo ante armatas manus possent?

NOTÆ.

editione Puteana. *Quid tibi est, Imperator, tum inferiore fortuna? toto quippe impetu ferebare, torrenti similis &c.*

1. *Ex edito monte.*] Ex monte Ægaleo, qui e regione Salaminis erat, Xerxes spectabat classem, quæ a Græcis plane deleta est. *Herodot. 7. Justin. l. 3. Diod. Sic.* De Xerxe jam supra dictum, *pan 7. n. 13. not. 2.*

2. *Aliud agens.*] Bellum Actiacum fortasse sumit pro Siculo, in quo Augustus per Agrippam, aliosque exercitus duces, Pompeium inter Mylas & Naulochum superavit, an. V. C. 718. *Dum ipse tam arcto somno devinctus esset, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur.... Neque prius surrexisset, ac militibus in conspectum fuisset, quam a M. Agrippa fugatæ essent hostium naves.* Suet. Augusto cap. 16. Nam in Actiaco bello, *dextrum navium Julianarum M. Lario commissum, Lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat.* Velleius l. 2. c. 85.

3. *Sublatus in scalas.*] Quis ille tandem fuerit, nusquam reperi.

4. *Comites.*] De Comitibus supra n. 2. not. 3.

5. *Proieceras.*] An *projecisses.*

6. *Quo tibi manus nostras?*] Aut quo tibi manus nostras poscis?

1. *Aquileiam.*] De Aquileiensi expugnatione vide supra *pan. 6. n. 6. not. 2.*

2. *Graviter.*] An *gravius*? ut Acidalio placet.

Stupere milites qui producendos susceperant, & custodiæ curam abnuere, & prorsus nescire quid facerent; ipsi etiam qui tibi in consilio erant, ipse etiam præfectus hærere; cum tu divino monitus instinctu[1] de gladiis eorum[a] gemina manibus aptari claustra jussisti, ut servarent deditos gladii
5 sui, quos non defenderant repugnantes.

XII. O pulcherrimum, & qui omnium oculis subjici debuisset, triumphum virtutis & clementiæ tuæ! cujus enim potentiæ fuit hostibus arma deripere, ejus humanitatis deditos ad impunitatem suis armis alligare, atque ita vincire, ut eos ferri illius; quod contra te gesserant, quo-
10 tidie pœniteret? Gladius ille quem in te distrinxerat hostis infestus, ipse domini sui manus tenuit, & paratus ad cædem, custos factus est ad salutem. [1] Magnus poeta dum bellorum toto orbe surgentium discursum apparatumque describit. *Et curvæ*, inquit, *rigidum falces conflantur in ensem?* Triste nimirum tempus id, cum instrumenta cultui pecudum præparata,
15 in cædem hominum verterentur. At nunc rigidi illi mortiferique mucrones in salutaria vincla curvantur, & exarmatum hominem non interimunt, sed coercent; deditosque hostes gladii sui collisi obtusique tutantur, qui nihil illis prodesse integri acutique potuerunt.

XIII. Omnium ergo armorum ministeria ad diversos effectus arbi-
20 trio tuo serviunt, Imperator, tibi vincunt gladii, tibi servant; te pugnante feriunt, te ignoscente custodiunt. Ut deus ille mundi creator & dominus eodem fulmine suo[1] nunc tristes, nunc lætos nuncios mittit: ita eadem sub numine tuo tela inimicos, aut supplices tuos pernicie, aut conservatione discernunt. Eripuisti, Imperator, adversariis tuis gladios,
25 [2] ne quis incumberet dolori. Superasti, & eosdem manibus suis innoxios reddidisti. Ut & clementiæ & vindictæ tuæ satisfaceres; quorum sanguini peperceras, arma fregisti.[a] Vita enim hominum, diu parta, semper servanda est, si liceat: ferrum inventu facile, usu mutabile. Ideo quæ erant reparabilia conflasti, quod redivivum non erat reservasti. Quid si-

INTERPRETATIO.

a *Conflari retinacula apta geminis manibus vinciendis.*

a *Nam vita humana diutino* labore *procurata, retineri perpetuo debet quantum fas est*, contra vero *ferrum facile invenitur, & ad quoscunque usus adhibetur. Quamobrem* ferrum *quod revocari poterat in pristinam formam, conflando* mutasti: *conservasti vero quod revocari non poterat, nempe vitam.*

NOTÆ.

3. *De gladiis eorum.*] Militum enses in vinculorum formam conflari jussit.

1. *Magnus poeta.*] Virgilius, Georg. l. 1. 508.

1. *Nunc tristes, nunc lætos.*] Locus hic revocat in mentem illud *Senecæ l. 2. quæst. c. 41.* Jovi tres manubias dari, quarum prima moneat, secunda prosit, tertia ad hibitis consilio diis emittatur: quod quidem iisdem pene verbis confirmat *Festus.*

2. *Ne quis incumberet dolori.*] Clarior erit sententia si legatur ut est in codice Pithœano, *ne quis incumberet dolore superatus*, vel ut suspicatur Puteanus, *ne quis incumberet dolore super acie.*

mile fabulæ ferunt ? conversa esse humana corpora in fontes, aut pecudes, aut aves ? Fœda & degener talis conversio. Gladius mutatus in manicas : [b] hoc est [1] quod securitas post timorem, quod umbraculum post calorem. [c] Splendorem mutatio perdidit, sed aciem retudit.

XIV. Studium & humanitas tua hortata est, Imperator, hucusque [a] ut exultatio nostra verbis illud luderet. Sed jam ad potiora redeamus. Recuperata omni [1] cis Padum Italia, ipsa jam ad te supplices manus Roma tendebat, cui [2] portentum illud insederat, nihil conari ausum ad tot nuncios suarum cladium. Quippe ipsa se vilissimi hominis obsidebat ignavia, & [3] degeneres animos timor arguebat. [4] Stultum & nequam animal nusquam extra parietes egredi audebat. Ita enim aut prodigiis, [b] aut metus sui præsagiis [5] monebatur. Pro pudor ! intra parietum custodias, Imperator. Non ille aspirare in campum, non exerceri armis, non pulverem pati. Astutus quidem, [c] [6] ne virorum officia tentantem in illo palatio marmoratis parietibus incedere. Nam in [7] Salustianos hortos ire, peregrinatio & expeditio putabatur. Et hæ quidem deliciæ toto illo tempore, quo [8] orbem obsederat, semet incluserat, turpissimam hanc ejus formidinem protegebant. Non enim se imbellem, sed beatum, non inertem, sed securum videri volebat. Quoties milites in concionem vocabat, [d] se solum cum illis imperatorem, alios per limites pro se militare jactabat. Fruimini, aiebat, dissipate, prodigite. Hæc erat miserorum brevis & caduca felicitas.

XV. Ac ne tum quidem cum tot adversa suorum prælia comperisset,

INTERPRETATIO.

b *Id est ferrum prius timoris* causam, *nunc securitatis* causam *fuisse.*

c *Splendorem hac mutatione amisit.*

a *Ut Lætitiam nostram* hoc *lusu verborum* significaremus.

b *Eo metu, quem auspicia ei incutiebant.*

c *Ne quidem ut viri* saltem *officium esset, deambulare in eo palatio, cujus parietes sunt e marmore.*

d *Se unum pariter & illos imperatores esse, alios in finibus pro se arma ferre.*

NOTÆ.

3. *Quod securitas.*] *Quod* hoc loco est conjunctio.

1. *Cis Padum Italia.*] Loquitur Treveris homo Gallus.

2. *Portentum illud.*] Maxentius.

3. *Degeneres animos.*] Sumptum illud ex Æneid. l. 4. 13.

4. *Stultum & nequam animal.*] Durum verbum sed tamen Tullius haud multo honorificentius adhibet in virum consulem, quem præsentem in senatu compellabat: & *Seneca de benefic. l. 2. c. 16.* timidissimum animal appellat Alexandrum.

5 *Monebatur*] Lege *movebatur* ut suspicantur omnes interpretes: vel si hanc scripturam retinueris, sensus erit, ita facere eum admonebat metus, quem sua ei auspicia incutiebant.

6. *Ne virorum officia.*] Lubenter inseram *quidem* : ut sit, *ne virorum quidem officia tentantem.*

7. *Salustianos hortos.*] Quos C. Crispus Salustius, historicus insignis, vir opulentus, idemque magnificus, sub Quirinale extra Pomœrium ad Collatinam portam adornavit. Is Tullii temporibus vixit ; neque desunt qui scribant Terentiam Marci Ciceronis uxorem, ab eo repudiatam, Salustio nupsisse.

8. *Orbem obsederat.*] Forte legendū *Urbem.*

obviam ire conatus est ad resistendum, [a] cum [1] Padi limite, aut Apennini jugis uteretur; sed literas calamitatum suarum indices supprimebat. Interdum etiam palam, ut usque ad portas veniretur optabat; non intelligens majestatem illam Urbis qua pridem [2] admotos exercitus solicitaverat, jam flagitiis ipsius deformatam, & sedibus suis pulsam, ad tua auxilia transisse; nec ullis præmiis posse corrumpi [b] quos tibi, præter liberalitatem tuam, & sacramenti fidem, tot victoriarum gloriæ dicavissent. Quis enim miles, qui ductu atque auspiciis tuis toties felicissime dimicasset vulnera illi sua venderet? belli jam pene confecti summam concederet? At enim tu idipsum de ardore totius exercitus sentiens, sine ulla hæsitandi mora, qua brevissimum per eos iter est, rapto agmine advolasti; celeritatem illam in agendo [3] Scipionis, & [4] Cæsaris, tunc maxime cupienti Romæ repræsentans. Hæc est fiducia imperatoris invicti, & suorum mentibus freti, non dubitare, nec trahere bellum, sed proximum quodque pugnæ tempus putare victoriam, non enim res erat tibi, uti Quinto Maximo cum Annibale victore, ut post res asperas locum tempusque captares, sed urgere te successus tuos, & continuare victorias, sed quam primum subvenire Urbi decebat. Sapientis enim est imperatoris fractis rebus cunctando consulere, secundis non deesse fortunæ.

XVI. Itaque unum jam timebatur, [1] ne ille conterritus his viribus, graviter afflictus, & in arctum redactus, boni consuleret, & debitas reipublicæ pœnas obsidione differret. Quippe omni [2] Africa, quam delere statuerat, exhausta, [3] omnibus insulis exinanitis, infiniti temporis annonam congesserat. Sed divina mens, & ipsius Urbis æterna majestas nefario homini eripuere consilium, ut ex inveterato illo torpore ac fœdissimis latebris subito prorumperet, & [4] consumpto per desidias senio, ipsum diem

INTERPRETATIO.

a *Cum Padi liberum transitum, & Apenninorum montium haberet.*

b *Quos non tantum liberalitas tua & sacramenti religio tibi addixerat, sed etiam gloria ex tot victoriis* tecum relatis.

NOTÆ.

1. *Padi limite.*] Padus fluvius Italiæ maximus, ex Vesuro monte in Gallia subalpina oriens, non longe ab Augusta Taurinorum discurrit, ubi Placentiam, Ferrariamque alluit. In mare Adriaticum multis ostiis effunditur, *le Pau.*

2. *Admotos exercitus.*] Primum a Severo Cæsare, tum a Galerio ipso, demum a Maximiano Herculio; qui omnes a suis militibus proditi, fugere necesse habuerunt.

3. *Scipionis.*] De Scipione Africano supra, *in Plin. paneg. n.* 13. *not.* 9.

4. *Cæsaris.*] Quanta celeritate Romam Cæsar cum Pompeio pugnaturus venerit, vide ejus comment. de bello Gallico, & ceteros Romanæ historiæ scriptores.

1 *Ne ille conterritus.*] Lipsius ita emendat hunc locum l. 1. c. 22. *Ne ille conterritus, suis rebus graviter afflictis, & in arctum redactis mora consuleret.*

2. *Africa exhausta*] *Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendique jusserat.* Aurel. Victor.

3. *Omnibus insulis.*] In primis Sicilia & Sardinia.

4. *Consumpto senio.*] Malim *sexennio* ut vult Petavius l. 2. de doctrina temp. c. 37. sex enim annos tyrannidem occupavit donec ultima sexennii illius die, priusquam

natalis sui ultima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum inchoando violaret. At quomodo instruxit aciem tot annorum [5] vernula purpuratus? Ita prorsus ne quis evadere, ne quis, ut fit, loco motus referre gradum, & instaurare prælium posset; cum a fronte armis, a tergo Tiberi flumine premeretur. In quo ille non mehercule 5 cogitavit necessitatem resistendi, sed propinquitatem refugiendi. Nisi forte jam sentiens diem sibi venisse fatalem ad solatium suæ mortis voluit secum trahere quam plurimos, ut omnes essent exitus sui comites, qui scelerum participes extitissent. Quid enim aliud illum sperasse credendum est, qui jam ante biduum palatio emigraverat, & [6] cum uxore [7] ac filio in pri- 10 vatam domum sponte concesserat, ut res est, ominibus terribilibus agitatus, & nocturnis pulsus ultricibus; ut tu jam olim exspectatus habitator sacris illis ædibus [a] diu exhalatis expiatisque succederes? Et [b] adeo ipse verum sibi dixerat, & venturo tibi cesserat, quamvis in prælium ingrederetur armatus, cum excedendo palatio jam se abdicasset imperio. 15

XVII. Ad primum igitur aspectum majestatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus hostes territi, fugatique, & [a] angustiis [1] Milvii pontis exclusi; exceptis [2] latrocinii illius primis auctoribus, qui desperata venia [3] locum quem pugnæ sumpserant texere corporibus, ceteri omnes in fluvium abiere præcipites, ut [b] tandem aliquod cædis com- 20 pendium fessis tuorum dexteris eveniret, cum impios Tiberis hausisset. Ipsum etiam illum cum equo, & armis insignibus, frustra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tiberis correptum gurgite devoravit, [c] ne tam deforme prodigium vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicujus viri fortis gladio telove cecidisset. Et aliorum quidem ho- 25

INTERPRETATIO.

a *Multo ante tetro spiritu perpurgatis.*
b *Adeo ipse animo id præsagierat.*
a *Et cum transire non possent simul omnes propter arctius spatium Milvii pontis.*
b *Ut manus tuorum* cædendo, *fessæ tandem desisterent ab occidendo.*
c *Ne monstrum* illud *tam turpe hanc saltem obeundo laudem referret, quod &c.*

NOTÆ.

septenarium numerum inchoaret, victus in Tiberim delapsus est, ut dicit infra.

5. *Vernula purpuratus.*] Maxentius. Haud absimile illud Pacati in Theodos. de Maximo Tyranno. *Ille quondam domus tuæ negligentissimus vernula.*

6 *Cum uxore.*] Magnentia Urbica, prioris Galerii conjugis filia, cujus numos refert Tristanus in comment. historicis.

7. *Ac filio.*] Is fuit Marcus Aurelius Valerius Romulus, cujus extat numus *Divo Romulo n. v filio* (id est, nostræ urbis) *filio.* Extant item & alii, quos refert *Tristanus in comment. histor.*

1. *Milvii pontis.*] Pons in Tiberi prope Romam, nulla re notior quam Maxentii clade.

2. *Latrocinii illius.*] Bellum illud latrocinium vocat, tum quod Maxentii exercitus ex plebecula constabat, tum quod ipse ad rapiendum alienum imperium pugnabat.

3. *Locum quem pugnæ sumpserant.*] Respexit ad illud Salustii de Bello Catilin. *Quem quisque pugnando vivus locum ceperat, eum amissa anima vivus tegebat.*

ſtium corpora & arma præceps fluvius volvendo devexit, illum autem eodem quo extinxerat loco tenuit,[d] ne diu populi Romani lætitia dubitaret, ſi putaretur aliquo profugiſſe, cujus mortis probatio quæreretur.

XVIII. [1] Sancte Tybri, quondam hoſpitis[2] monitor Æneæ, mox
5 [3] Romuli conſervator expoſiti, tu nec[4] falſum Romulum diu vivere, nec parricidam Urbis paſſus es enatare. Tu Romæ tuæ[5] altor copiis ſubvehendis, tu munitor mœnibus ambiendis, merito Conſtantini victoriæ particeps eſſe voluiſti, ut ille hoſtem in te propelleret, tu necares. Neque enim ſemper es rapidus & torrens, ſed pro temporum ratione moderatus.
10 Tu quietus[6] armatum Coclitem revexiſti. Tibi ſe placido[7] Cloelia virgo commiſit. At nunc violentus & turbidus hoſtem reipublicæ ſorbuiſti, & ne tuum lateret obſequium, eructato cadavere prodidiſti. Reperto igitur, & trucidato corpore, univerſus in gaudia & vindictam populus Romanus exarſit: nec deſiit tota Urbe, qua ſuffixum haſta ferebatur caput illud
15 piaculare fœdari: [a] cum interim, [8] ut ſunt ioci triumphales, rideretur geſtantis injuria, cum alieni capitis merita pateretur.

Interpretatio.

d *Gaudium eſſet dubium.*

a *Et interea illudebatur, ut eſt mos iocandi in triumphis, cum contumelia illius a quo ferebatur, qui patiebatur* injurias *debitas alieno capiti.*

Notæ.

1. *Sancte Tybri.*] Æneid Tybri pater.

2. *Monitor Æneæ.*] Æneid. 8. *Huic deus ipſe loci fluvio Tiberinus amœno, Populeas inter ſenior ſe attollere frondes &c.*

3 *Romuli conſervator.*] Cum Amulii juſſu Romulus cum Remo fratre in profluentem projectus eſſet, Tiberinus amnis aquas repreſſit, ne forte utrumque involveret. Sed notius illud, quam ut in eo immoret. Videri poſſunt *Florus*, *Victor*, *& alii.*

4 *Falſum Romulum.*] Id eſt, Maxentii filium, cui Romulo nomen, ut ſupra dictum. Fortaſſe etiam Maxentium ipſum, quem falſum Romulum per jocum appellat, quomodo auctor orationis in Tullium quæ Saluſtio attribuitur, Tullium vocat *Romulum Arpinatem.* Et Lepidus apud Saluſt. hiſt. l. 1. de Sylla. *Quæ cuncta ſævus iſte Romulus, quaſi ab externis rapta tenet.*

5. *Altor copiis ſubvehendis.*] Altor propter commeatus quos ſubvehit: *ſupra, n. 7. not. 5.*

6 *Armatum Coclitem.*] Horatium, quod in prælio oculum alterum amiſiſſet, dictum *coclitem.* Is adverſus Porſennam Etruſcorum Regem Tarquinios in urbem reſtituere conantem, pro ponte ſublicio ſtetit, & aciem hoſtium ſolus ſuſtinuit, donec ponte interciſo ipſe in Tiberim decidit, & armatus ad ſuos tranſnatavit. *Livius l. 2. Florus l. 1. Aurel. Victor*

7. *Clœlia.*] Hæc in Porſennæ caſtris captiva cum eſſet, deceptis cuſtodibus, & equo quem fors dederat arrepto, Tiberim noctu trajecit. Cetera quæ de illa referuntur, vide apud *Dionyſ. Halyc. Livium. Plutarchum.*

8. *Ut ſunt ioci triumphales.*] Hunc militum Romanorum morem, acclamandi, iocandi, dicteria in triumphantem jaciendi notant Dionyſ. l. 7. Ἐφεῖται γὰρ &c. *Permittitur enim victores deducentibus iambos, & dicteria iacere in clariſſimos viros, & ipſos imperatores, quemadmodum Athenis ſolebant pompam in plauſtris ducentes ſcommatis obvios impetere.* Et Livius l. 5. de Camillo. *Dictator recuperata ex hoſtibus patria, triumphans in Urbem redit, interque iocos militares, quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur.* Et Martialis

XIX.

XIX. Sed quid ego hucuſque iocularia ?[1] Tecta ipſa, ut audio, commoveri, & altitudo culminum videbatur attolli, quacunque numen tuum tardo molimine currus inveheretur : tanta te populi denſitas, tanta ſenatus ſtipatio provehebat ſimul & attinebat. Felices qui te propius aſpicerent, longius poſiti nominabant : quos prætereras, loci quem occupaverant pœnitebat. Viciſſim omnes[2] inde diſcedere, hinc ſequi : certare innumerabilis multitudo, & impulſu vario fluctuare, &[a] tantum ſibi hominum[3] animi poſt illam[4] ſexennii cladem supereſſe memorabant. Auſi etiam quidam ut reſiſteres poſcere, & queri tam cito acceſſiſſe palatium, & eum ingreſſus eſſes non ſolum oculis ſequi , ſed pene etiam ſacrum limen irrumpere. Inde omnibus circunfuſis, ut inde excederes opperiri , proſpicere, optare, ſperare : ut viderentur eum, a quo obſidione liberati fuerant, obſidere. Gloriatus ſit licet, & vere , [5] ſummus orator humeris ſe Italiæ in patriam reportatum te , Conſtantine , ſenatus populuſque Romanus & illo die & aliis, quacunque progreſſus es, &[6] oculis ferre geſtivit. Nec quidquam aliud homines[7] diebus munerum ſacrorumque ludorum, quam te ipſum ſpectare potuerunt ; qui tuus eſſet fulgor oculorum, quæ totius corporis circunfuſa majeſtas, quæ oris dignitas.[b] Gaudere cuncti ſpectaculorum mora, & familiaribus ſibi artificibus ob hoc ſolum favere, quod te præſente certarent.

XX. Nam quid ego de tuis in curia ſententiis atque actis loquar, quibus ſenatui auctoritatem priſtinam reddidiſti,[a] ſalutem, quam per te receperant, non imputaſti, memoriam ejus in pectore tuo ſempiternam fore ſpopondiſti ? Dicerem plura de divinis orationibus tuis , de oblata potius quam impetrata benignitate : niſi mallem dicta reticere, dum propero facta laudare. Quamlibet verba tua in ſenatu habita nobis nota ſint,

INTERPRETATIO.

a *Homines mirabantur , quod tot cives adhuc ſupereſſent poſt illam ſex annorum ſtragem.*

b *Amare omnes moram* quæ eſſet *in ſpectaculis , & notos ſibi gladiatores adeo a*mare , *tantum quod pugnarent coram te.*

a *Noluiſti ut quam eis vitam ſervaras , beneficii loco a te acceptam referrent.*

NOTÆ.

l. 1. epig. 4. *Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi , Materiam dictis , nec pudet eſſe ducem &c.*

1. *Tecta ipſa.*] Mirifica ὑποτύπωσις Conſtantini poſt Maxentii cladem Romam ingredientis. Videri poteſt *Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8. & in vita Conſtantini.*

2. *Inde diſcedere.*] Gruterus ſuſpicatur legendum , *in edita aſcendere.*

3. *Animi.*] Aut lege cum Acidalio *admirabundi* pro *animi.* Aut mox cum Lipſio *admirabantur* , pro *memorabant.*

4. *Sexennii.*] Quo Maxentium Tyrannidem in Italia tenuiſſe dictum eſt ſupra.

5. *Summus orator.*] Tullius orat. poſt reditum in ſenat. n. 38. *Cum me populus Romanus revocarit , reſpublica implorarit , Italia cuncta pene ſuis humeris reportarit.*

6. *Oculis ferre geſtivit.*] Pan. 6. n. 8. *Te primo ingreſſu tuo tanta lætitia , tanta frequentia populus excepit , ut cum te ad capitolini Jovis gremium vel oculis ferre geſtiret.*

7. *Diebus.*] Solennes hujuſmodi ingreſſus largitionibus , ludis , ſpectaculis cele-

tamen qualia fuerint, clementiæ tuæ gloria nunciavit. O tandem[b] felix civili, Roma, victoria! Irrupit olim te[1] Cinna furiosus, &[2] Marius iratus, qui non solo se Octavii consulis capite satiarunt, sed luminibus civitatis extinctis exempla, quæ nunc toto sexennio passa es reliquerunt. Vicit tibi iterum[3] ante portam Collatinam[4] Sylla: felix, si se parcius vindicasset, sed enimvero multis capitibus Rostra complevit. Constantinus victoriæ licentiam, fine prælii terminavit: gladios ne in eorum quidem sanguinem distringi passus est quos ad supplicia poscebat.

XXI. Deditam sibi idem Sylla exarmatamque legionem in villa publica trucidavit, perculsumque morientium gemitu senatum, monuit ne timeret, quod ipse jussisset. At iste victor non modo hostium,[1] sed etiam victoriæ suæ, quidquid militum bello superfuit, tibi reservavit. Tibi enim jam militant, quos exutos armis imperator[2] adversus hostes barbaros rursus armavit. Jam[3] obliti deliciarum circi maximi, &[4] Pompeiani theatri,

INTERPRETATIO.

b *Beata Roma* propter *civilem victoriam.*

NOTÆ.

brari solitos nemini non notum.

1. *Cinna furiosus.*] L. Cornel. Cinna primo consulatu legem de exulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus & honore privatus, urbe profugit: vocatisque ad pileum servis, accersitisque C. Mario, Carbone, & Sertorio, Urbem quatuor exercitibus obsessam captamque ingressus an. V C. 667. Octavium interfecit, inimicos cecidit. Iterum & tertium consulem seipsum fecit. Quarto consulatu cum bellum contra Syllam pararet; Anconæ ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidatus est. *Appian. de bell. civil. Plutarchus in Mario. Aurel. Victor.*

2. *Marius iratus.*] Is post gestos sex consulatus, post Jugurtham victum & ante currum actum, post Teutonas in Galliis, Cimbros in Italia domitos, victus a Sylla & in carcerem conjectus periisset, nisi immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruisset, fugissetque protinus in Africam. Ex quo exilio cum Cinna & Sertorio Urbem reversus, cædibus replevit omnia. *Livius, Velleius, Victor, Plutarchus in Mario.*

3. *Ante portam Collatinam.*] Collatina porta Romæ, a Collatia oppido, ad quod per eam portam fiebat iter. *Festus.*

4. *Sylla.*] Cum rogatione Sulpicia imperium ejus transferretur ad Marium, in Italiam regressus, corruptis adversariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit, Urbe potitus Sulpitium interfecit, Marium fugavit, proscriptionis tabulas proposuit. Novem millia deditorum in villa publica cecidit, an. V. C. 672. Dictatura vero tertio post anno deposita, Puteolos concessit, & morbo, qui phthiriasis vocatur, interiit. *Appianus, Plutarchus, Aur. Victor.*

1. *Sed etiam victoriæ suæ.*] Sumptum illud e Tullio pro Marcello, n. 12. *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti.* Pacat. in Theod. n. 45. *Tu ipsius victoriæ victor, ita omnem cum armis iram deposuisti.*

2. *Adversus barbaros.*] Germanos, contra quos ordinatis in Urbe rebus profectus est anno sequenti.

3. *Obliti deliciarum,*] Quibus diffluebant sub duce Maxentio.

4. *Pompeiani Theatri.*] Cn. Pompeius omnium primus mansurum, (*ut ait Tacit. l. 14 c. 20.*) theatrum extruxit lapide quadrato ad exemplum illius, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico. Erat autem in modum hemicycli, cujus ab utroque cornu scenæ erant, cum singulis aris, quarum una Bacchi, altera ejus dei erat, in cu-

&[5] nobilium lavacrorum: Rheno Danubioque[6] prætenduntur, excubias agunt, latrocinia compescunt, certant denique[7] cum victoribus ut civili bello victi hostibus comparentur. Nec tamen id mirum videri potest, cum qualemcunque militem fortissimum facias tuo, Imperator, exemplo. Non enim fessus præliis, & expletus victoriis, ut natura fert, otio te & 5 quieti dedisti, sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad inferiorem Germaniæ limitem; magna scilicet intercapedine temporis, ac brevi locorum distantia post annuam expeditionem statim bello auspicatus, a Tiberi ad Rhenum, imo, ut omen & similitudo nominis sit, & tua, Imperator, magnitudo animi pollicetur,[8] a Tusco Albula ad 10 Germanicum Albim prolaturus imperium.

XXII. Quisnam iste est tam continuus ardor? quæ divinitas perpetuo vigens motu? Omnium rerum intervalla sunt.[a] Cessat terra novalibus, dicuntur interdum flumina resistere, & ipse dies [b] noctibus acquiescit; tu, Constantine, solus infatigabilis bellis bella continuas, victorias 15 victoriis cumulas. Quasi præterita sint obliterata si desinas, non putas te vicisse nisi vincas. Ruperat fidem [1] gens levis & lubrica barbarorum, & robore atque audacia [c] lectis eruptionis auctoribus, institisse Rheno nunciabantur. Illico obvius affuisti, & præsentia tua ne auderent transitum terruisti.[2] Etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhibita 20 eruptione non foret materia victoriæ; sed inopinato consilio usus, abeundo enim, [d] simulato nuncio, majoris in superiore limite tumultus occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi; relictis in occulto ducibus qui securos adorirentur. Quo cum venissent, consilium tuum sequitur fortuna. Toto Rheni alveo oppleto navibus devectus 25

INTERPRETATIO.

a *Quiescit humus novalium tempore.*
b *Per noctes quiescit.*
c *Afferebatur nationem mobilem & fallacem Rheno insedisse selectis*, sibi *ducibus*, ad *eruptionem faciendam.*
d *Dissimulans nuncium* tibi allatum *esse gravioris seditionis in superioribus finibus imperii concitatæ.*

NOTÆ.

jus honorem ludi fiebant.

5. *Nobilium lavacrorum.*] Thermæ Trajani, Titi, Agrippæ, Syriacæ, Commodianæ, Severianæ, Antonianæ, Alexandrinæ, Neronianæ, Diocletianæ, Romæ nobiles fuerunt.

6. *Prætenduntur.*] Forte *prætendunt*, ut Livineio placet. Pacati pan. n. 10. *Vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas*, id est, tendebas, ut Æneid. l. 2. 29. *Hic sævus tendebat Achilles.*

7. *Cum victoribus.*] Id est, addunt se tuis, una cum illis pugnaturi contra communes hostes, ut qui ante civili bello victi sunt, hostilibus bellis nullo modo se aliis inferiores promanr.

8. *A Tusco Albula.*] Qui & Tiberis, teste Plinio: sic ab aquarum albedine dictus est fluvius Hetruriæ celebrarissimus, Romam interluens. Is de seipso apud Ovidium l. 5 Fastor. 645. *Venit & Alcides turba comitatus Achiva. Albula, si memini, tunc mihi nomen erat, &c.* Virgil Æneid. l. 8. 332. *Amisit verum vetus Albula nomen &c.*

1. *Gens levis & lubrica.*] Ita Francos appellat ut Romano Imperatori blandiatur, quod supra observavi.

2. *Etiam.*] Lege. *Et iam.*

terras eorum ac domos mœstas lugentesque populatus es, tantamque cladem vastitatemque perjuræ genti intulisti, ut vix post illud nomen habitura sit.

XXIII. Ite nunc omnes, si placet, barbaræ nationes, & exitiales vobis movete conatus: habetis exemplum. Quamvis enim imperator no-
5 ster amicorum regum admittat obsequia; idque ipsum valeat ad laudem victoriæ, quod a nobilissimis regibus timetur & colitur; augeri tamen gloriam virtutis suæ gaudet, quoties provocatur. Nam quid hoc triumpho pulchrius, quod cædibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, & [a] pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exagge-
10 rat, tantam captivorum multitudinem [1] bestiis objici, ut ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quam ex ipsa morte patiantur? Inde est quod cum [2] exitum differre liceat, perire festinant, seseque letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo ipso apparet, quam magnum sit vicisse [3] tam prodigos sui.

15 XXIV. Facile est vincere timidos & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educunt, [1] vix leve pallium, & sericos sinus vitando sole tolerantes, & siquando in periculum venerint, libertatis immemores, ut servire liceat orantes. Romanum vero militem, [2] quem qualemque ordinat disciplina, & sacramenti religio confirmat, aut [3] trucem
20 Francum, ferina sola carne distentum, qui vitam [a] pro victus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere? Quod tu, Imperator, & nuper [4] in Italia, & [5] in ipso conspectu barbariæ paulo ante fecisti. Ita sine ullo discrimine omnia genera bellorum, armorum, hostium uni tibi cedunt, cedunt ex omni etiam memoria condita literis mo-
25 numenta virtutum. Nec vero tantummodo vetera illa Dictatorum, & consulum, ac deinceps magnorum principum, sed etiam rectissima & pulcherrima divi [6] patris tui facta superasti, sordet enim alios [7] ex proximo

INTERPRETATIO.

a *Magnificentiam largitionum ex barbarorum spoliis auget.*

a *Ita vilem in modum educati sunt.*

NOTÆ.

1. *Bestiis objici.*] Reipsa Constantinus Francorum reges Regaïsum & Ascaricum bello captos belluis dilaniandos jussit Treveris in theatrum induci, & pan. 7. n. 12. *Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine sua fatigarunt.*

2. *Exitum differre.*] Forte *exitium*, id est, mortem.

3. *Tam prodigos sui.*] Nulli enim æque in bello metuendi, quam qui de salute sua non sunt soliciti.

1. *Vix leve pallium.*] Sumpsit hunc locum Pacatus pan. n. 33. *Illos tenero perlucentes amictu, & vix leve carbasum vitando sole tolerantes*, id est, ad vitandum solem.

2. *Quem qualemque.*] Forte *quem qualemcunque*, ut suspicatur Livineius, id est, Quem, qualiscunque sit, disciplina militaris & fortem facit, & ordinat.

3. *Trucem Francum.*] A quo sæpe Romani male habiti erant.

4. *In Italia.*] Cæsis Maxentianis.

5. *In conspectu barbariæ.*] In Germaniæ finibus.

6. *Patris tui.*] Constantii.

7. *Ex proximo tempore.*] Ut Numerianum, Carinum, Carum, Probum, Florianum, Tacitos, & alios deinceps ejus

tempore comparare, ipsum inquam divum Constantium jam primis imperii tui lustris, rerum gestarum laude cumulasti.

XXV. [a]Invitus hoc forte accipis, Imperator, sed ille, dum dicimus, gaudet cœlo, & [1]jampridem vocatus ad sidera adhuc crescit in filio, & gloriarum tuarum gradibus ascendit. [2]Purgavit ille Bataviam, advena hoste depulso; tibi se [3]ex ultima barbaria indigenæ populi dedidere. Ille Oceanum classe transmisit, tu & Alpes gradu, & classibus portus Italicos occupasti. Recuperavit ille Britanniam, tu nobilissimas [4]Africi maris insulas, quæ populi Romani fuere provinciæ. Ignoscat, inquam, divus ipse Constantius. Quid habeo quod comparem Italiæ, [5]Africæ, Romæ? Merito igitur tibi, Constantine, & nuper senatus signum dei dedit, & paulo ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte relevarent. Debetur enim divinitati & simulacrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati.

XXVI. Quamobrem te, summe rerum sator, cujus tot nomina sunt, [1]quot gentium linguas esse voluisti, quem enim te ipse dici velis scire non possumus: sive in te quædam vis mensque divina est, qua toto infusus mundo omnibus [2]misceearis elementis, & sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu per te ipse movearis: sive aliqua supra omne cœlum potestas es, quæ hoc opus tuum ex altiore naturæ arce despicias: te, inquam, oramus & quæsumus, ut hunc in omnia secula principem serves: parum est enim optare tantæ virtuti tantæque pietati, quem longissimum habet vita progressum. Est certe summa in te bonitas, est & pietas, & ideo quæ justa sunt velle debes: nec abnuendi est causa, cum possis. Nam si est aliquid, quod a te benemeritis denegetur, aut potestas cessavit, aut bonitas. Fac igitur, ut quod optimum humano generi dedisti, permaneat æternum, omnesque Constantinus in terris degat ætates. Quamvis enim, Imperator invicte, jam divina [3]soboles tua ad reipublicæ vota successerit, & adhuc speretur futura numerosior: illa tamen erit vere beata posteritas, ut cum

INTERPRETATIO.

a *Fortasse illud audis non lubenter.*

NOTÆ.

ævi imperatores haud multo clariores.

1. *Jampridem.*] Ante 7. annos nempe anno Christi 306.

2. *Purgavit ille Bataviam.*] Supra pan. 5. n. 8. & pan. 6. n. 4.

3. *Ex ultima barbaria.*] Francos contra initum cum patre fœdus rebellantes domuit.

4. *Africi maris insulas.*] An Sardiniam & Siciliam, ubi Maxentium grassatum legimus? Mare autem Mediterraneum in quo sita sunt, Africum utcunque appellat propter viciniam Africæ.

5. *Africæ.*] Extat numus salvis Augg. & Cæs. *Fel. Karth.* Id est, Felix Carthago.

1. *Quot gentium linguas.*] Sua enim apud varias gentes varia esse non tantum Jovi, sed singulis diis nomina, notum est.

2. *Misceearis elementis.*] Alludit ad illud Æneid. l. 6. 726. *Totamque infusa per artus mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

3. *Soboles tua.*] Constantinus, quem ex Fausta Maximiani filia jam susceperat.

liberos tuos gubernaculis orbis admoveris, tu sis omnium maximus imperator.

AD PANEGYRICUM X.

DE AUCTORE,

ET QUO TEMPORE AC LOCO

HABITUS SIT.

PRonunciata est hæc oratio, ut ex ipso initio manifestum est, anno Christi 321. Kal. Martiis die natali Cæsarum Crispi & Constantini, cum ineunte quinto anno, vota quinquennalia solverent, ac decennalia susciperent. In quod tempus Constantini magni quindecennalia concurrebant, ac pro ejus vicennalibus vota nuncupabantur. Aberat Constantinus, ad quem tamen Nazarius conversa oratione; *Præsentem*, inquit, *mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes.* Hæc oratio Nazario sine controversia adscribitur; de quo Eusebius in Chron. ad annum Christi 325. *Nazarius*, inquit, *insignis rhetor habetur.* Et Hieronymus ad an. Chr. 337. *Nazarii rhetoris filia, in eloquentia patri coæquatur.* Hanc Eunomiam, virginem Christianam appellat Arnaldus Pontacus in suis Chronic. fretus, ut ipse ait, quatuor Vaticanorum codicum auctoritate. Nazarii quoque apud Ausonium mentio est, *in professor. Burdigal. epigrammate* 15. An vero Nazarius hic noster fuerit ille, quem clerus Massiliensis, in quo Lectoris munere fungebatur, cum Oresio Episcopo Arelatem ad synodum suffragiis delegavit, dubitat noster *Joa. Bap. Guesnayus in suis provinciæ Massiliensis annalibus.*

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Probat ejus diei Lætitiæ, qua Constantini itidem & Cæsarum quinquennalia celebrantur, parem ab oratore eloquentiam afferri non posse.*

DISTRIBUTIO *videtur esse* I. *De Cæsaribus Crispo & Constantino.* II. *De Constantino Augusto.*

I. PARS. *Iam Crispus Francos & Germanos exemplo patris obtriverat. Iam Constantinus secundum consulatum gerebat*, n. 3. *Quantus uterque sit existimari potest, tum quod patri Constantino, quantum ad speciem corporis virtutesque spectat, similes sint: tum quod sint illustribus ejus factis instituti*, n. 4. *Institutionem hanc utrique gratulatur.*

II. PARS. *Transiturus ad Constantinum, in summa ejus præclare gestorum varietate*, n. 5. *quod primum occurrit arripit. Constantinus domito Maxentio*, n. 6. *Mitis & clemens est in victoria*, n. 7. *Cum crudeli hoc tyranno confertur*, n. 8. *Quem mitigare clementia atque adeo oblatis fœderis legibus voluerat*, n. 9. *Ille rejectis pacis conditionibus*, n. 10. *Constantini imagines solo affligit*, n. 12. *Cujus injuriæ non tam memor Constantinus, quam ejus,*

quæ illata erat patriæ, arma capit, n. 13. *Adsunt ei quasi cœlo derepente lapsi milites*, n. 14. *Iampridem cœleste auxilium senserat cum ferocissimis regibus Ascarico & Regaiso captis imperium feliciter auspicatus erat*, n. 16. *Cum Francos*, n. 17. *Bructeros, Clamasos, Eruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes ad bellum coactos uno impetu fuderat, cum dissimulato habitu in mediam aciem progressus cum duobus barbaris manus conseruit*, n. 18. *Sic igitur ad liberandam Italiam Alpes transgressurus*, n. 19. *Segusiam*, n. 21. *Taurinos*, n. 22. *Brixiam, Veronam*, n. 25. *Aquileiam, Mutinam capit*, n. 27. *ac tandem profligato Maxentii exercitu, ipsoque Maxentio Milvii pontis ruina oppresso*, n. 28. *Romam victor ingreditur*, n. 30. *Hujus victoriæ fama ubique spargitur*, n. 32. *Liberalitate & sapientia suum Romæ splendorem restituit*, n. 35. *quid non expectare præterea Vrbs debeat a Cæsaribus? Utriusque fortitudo & bonitas mirifice laudatur*, n. 36.

IN FINE. *Post tam multa sapienter a Constantino ordinata, id optandum unum dicit, ut ea perpetua sint*, n. 38.

NAZARII PANEGYRICUS, CONSTANTINO AUGUSTO.

I. DIcturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum ultra omnium seculorum principes eminet,[1] quantum a privatis ceteri principes recesserunt, & dicturus in cætu gaudiorum exultantium, & lætitiæ gestientis, quam cumulatiorem solito beatissimorum [2] Cæsarum quinquennia prima fecerunt; sentio nullam eloquentiam nec optari nec concipi posse, quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut vestris studiis facultatem. Jactat quippe se nunc cum maxime alacris omnium ac beata devotio.[a] Nec[3] operta mentium rimari 5

INTERPRETATIO.

a *Neque opus est scrutari intimos animi recessus.*

NOTÆ.

1. QUantum a privatis.] Idipsum Gregorius Magnus de Galliæ regibus dixit l. 5. ep. 6. ad Childebertum Francorum regem. *Quanto*, inquit, *ceteros homines regia dignitas antecedit. tanto ceterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen excellit.*

2. *Cæsarum quinquennia.*] Crispi, Constantini, Constantii, & Constantis, quos Constantinus eorum pater ante quinque annos Cæsares designarat. Ex quo loco patet non imperatorum modo quinquennalia ut ad paneg. 3. not. 1. observavimus, celebrari solita, sed & Cæsarum.

3. *Operta mentium.*] Ut *amara curarum, abdita terrarum*; mox *optata veterum*, su-

necesse est; extat in vultu cujusque hilaritatis publicæ decus; & in serenis frontibus animorum judicia prælegguntur. Non enim se capit exundantis lætitiæ magnitudo, sed dedignata pectorum latebras, ita multa & candida foris prominet, ut intelligatur non ingentior esse quam verior. [b] Nec
5 vero mediocribus bonis gaudent, qui exultandi modum non habent.

II. [a] Fruimur quidem nos præsentium maxima voluptate, sed lenocinatur his jam futuri ratio; & quæ temporibus [1] disseparata sunt, animorum præsumptione junguntur. [2] Quintumdecimum annum maximus princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam vicenalia, & [b] venturi fi-
10 dem superiorum felicitate sancimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia & spes volucres constiterunt. Horum dehinc compotes, propagabimus optabilis boni seriem. Ita omnia, quæ ex principibus nostris prospere veniunt, continuatos fructus ferunt, nec magis recepta dele-
15 ctant, quam expectata juverunt. Verum quid agimus, vicenis, aut jam tricenis annis circunscribendo, quæ æterna sentimus? Ampliora sunt merita principum quam optata votorum. Eat quinimo in immensum felicis cursus imperii, nec humanorum terminos curent, qui semper divina meditantur. Certe cupitorum irriti non sumus, qui cum optemus maxima, [3] id
20 faciamus benignius quam securius; quod propter cœlestem in illo favorem tam certa adipiscendi spes est, quam optandi [c] soluta libertas. Has igitur gratulationes, quæ præsentibus excitantur, [d] quæque superiorum memoria vigent, aut quasi in posterum redundatura cogitatio avida depascitur; quis omnium queat flagrantissimis audientium studiis satisfacere
25 dicendo? Jam vero cum publicas tantum utilitates amplecti velim, &

INTERPRETATIO.

b *Et vero summis bonis lætantur, qui lætitiæ tuæ modum non ponunt.*

a *Jucundissime quidem fruimur bonis præsentibus, sed his jucunditatem addit futurorum spes occupata, & quæ temporum intervallo discreta sunt.*

b *Et judicamus ex felicitate priorum temporum, quid in futurum sperare debeamus.*

c *Expedita libertas.*

d *Et quæ præteritæ felicitatis recordatione animantur, aut quæ mens cupida præcipit olim abundanter percipienda.*

NOTÆ.

pra. Jam semel atque iterum observavi.

1. *Disseparata.*] An *disparata*? ut Viennensis habet editio.

2. *Quintumdecimum annum.*] Concurrebat 15. Constantini annus, cum Cæsarum quinquennalibus. Mos autem erat, ut in quinquennalibus vota publica pro decennalibus, decimoquinto anno vota pro vicenalibus obtinendis funderentur, ut Porphyrius poeta diserte testatur in eo panegyrico carmine, quod hoc ipso anno Christi 321. coram Constantino pronunciavit, cujus fragmenta opera Puhæi in lucem exiere. Itaque in eo Carmine, *Sancte Pater*, (inquit) *rector superum* VICENIA *læta Augusto*, & DECIES *crescant solennia natis.* Idipsum constat ex sexcentis numis, VOTIS X. MULT. & VOTIS XX. id est, votis decennalibus multis, votis vicennalibus.

3. *Id faciamus.*] Lege cum Acidalio: *Id facimus non benignius, quam securius*: Id est,

unusquisque

unuſquiſque privatim ſuas cogitet, [c]tremebunda proferatur oratio, quæ tacita reputatione vincenda eſt. In ipſis etiam publicis geſtorum ingentium[4] profeſſa laudatio, [5] cum augendi cupiditatem præ ſe ferat, non injuria minuendi metum faciunt, quæ ſpem amplificationis ex magnitudine ſuſtulerunt. 5

III. Quis, oro, Conſtantine maxime? præſentem enim mihi alloqui videor, qui [1] etſi conſpectu abes, [a] revelli tamen mentibus non potes: [b] quis, inquam, [2] aſpirare laudes tuas valeat æquiparandi magis ſpe, quam gratia non tacendi? Quis tam potens fandi, cujus copia tam larga, tam felix, quæ cum virtutes attrectaverit, non aut circumventa numero, deſperato exitu ſtupeat, [3] aut obterat magnitudinem, aut ſplendore obſoleſacta tantum nitoris habeat, quantum ex rerum luce collegerit? 10 Cujus cum divina virtus, & ejus miſericordia comes, appendixque victoria urbem Romam non præcipitantem exceperit, ſed [4] afflictam ac plane jacentem excitarit, recrearit, erexerit, [5] [c] cumque aliæ feliciſſimæ tuæ prius ac deinceps expeditiones non minus in ſe operis amplexæ ſint, quam ex ipſis faucibus fati Roma ſervata; quid dignum magnitudine tua excogitari ac dici poteſt, in cujus laudibus id maximum non eſt, quod in terrarum orbe primarium eſt? Nobiliſſimorum quoque Cæſarum laudes exequi velle ſtudium quidem dulce, ſed non & cura mediocris eſt, [d] quorum in annis pubeſcentibus non erupturæ virtutis tumens germen, non flos præcurſor indolis bonæ, lætior quam uberior apparet, ſed jam facta grandifera, & contra rationem ætatis maximorumque fructuum matura 15 20

INTERPRETATIO.

c *Timida prodeat oratio, quæ erit infra tacitam cogitationem ſingulorum: imo vero qui publicas rerum præclare geſtarum laudationes ex profeſſo ſuſcipiunt, cum videantur eas augere velle, merito timent ne ea minuant, quæ ita magna ſunt, ut amplificari non poſſint.*

a *Avocari tamen a cogitationibus* noſtris *non potes.*

b *Quis inquam* eſt *qui cum laudes tuas celebrat, non id agat potius, ne taceat, quam quod ſperet ſe eas æquare poſſe* dicendo?

c *Et cum ceteris feliciſſimis tuis antea & deinceps expeditionibus nihil minus aggreſſus fueris, quam Romam eripere ex impendenti exitio.*

d *Quorum in teneris annis prima ſemina virtutis olim extituræ apparent.*

NOTÆ.

vota noſtra non ſunt irrita: hæc vero deſideramus, non magis ex propenſa in principem voluntate, quam certa ſpe inducti id nos impetraturos.

4. *Profeſſa laudatio.*] Παθητικῶς ut apud Ovidium. *Solaque deformem culpa profeſſa facit &c.*

5. *Cum augendi.*] Ita poſt Acidalium reſtitui pro *quam augendi.*

1. *Etſi conſpectu abes.*] Itaque non dicta eſt hæc oratio coram Conſtantino.

2. *Aſpirare laudes.*] Modus loquendi valde inſolens.

3. *Aut obterat magnitudinem.*] Fortaſſe *aut obteratur magnitudine.*

4. *Afflictam.*] Maxentianorum latrociniis, & ferocia.

5. *Cumque aliæ.*] Adverſus Germanos & Francos, quorum Reges Regaïſum & Aſcaricum bello captos morte mulctavit.

perceptio. Quorum [6] alter jam obterendis hostibus gravis terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit; [7] alter jam consulatum, jam venerationem sui, jam patrem sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reservet, [e] declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem. Rapitur quippe ad similitudinem suorum excellens quæque natura, nec sensim ac lente indicium promit boni, [f] cum involucra infantiæ vividum rumpit ingenium. Unde enim principis maximi tam effusus in liberos animus, nisi quod in illis jam simulacrum sui conspicit?

IV. [a] Commendet inferioribus suos sola necessitudo naturæ, & qualescunque diligant, qui in illis, quod ex se desiderent, non habent: præstantissimum principem hoc maxime juvat, quod in annis primoribus jam sunt [1] ductæ lineæ, quibus virtutum suarum effigies possit includi: & pater optimus, sed melior imperator, non tam sibi quam reipublicæ gaudet, cum liberos sibi similes intuetur. Quibus ad perficienda, quæ ingenerata sunt bona non segnis virtutum opifex disciplina conjungitur: ut spes æquiparandi patris certa sit. [2] Quippe indole similes, [b] sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior. Ipsum a tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conversi, nihil ab ejus contemplatione deflectunt, incerti mirentur, an diligant: nisi quod necesse est utrumque permixte simul fieri. Nam & amor, factorum commendator est, unde nascitur admiratio; & facta cum mira sunt, amorem invicem creant. Ita spectantibus liberis quidquid ab eo pulcherrime geritur, cum propter ipsum magis placuit, tum studio imitationis inolescit. Jam tibi quidem in erudiendo, Imperator optime, non omnia proponebantur, quæ sequi velles. Nisi quod recte factorum contemplator acerrimus, si quid secus fieret, a spectandi cura pudentes oculos abstrahebas. Dabit enim veniam clementia tua, si audaciorem veritas facit.

INTERPRETATIO.

e *Cum jam fortis sit supra ætatem.*

f *Cum generosa* ejus *indoles promicat trans involucra infantiæ.*

a *Iis quorum conditio inferior est tua, charos reddat suos* liberos *una conjunctio naturæ, & ament* eos *qualescunque illi sint, quibus vident deesse nullam de suis vir*tutibus.

b *Sed hac in re* parente suo *beatior, quod patrem ipsum habeat discendi magistrum.*

NOTÆ.

6. *Alter jam obterendis.*] Crispus Francos & Alamannos per inaccessa itinera acerbissimo gelidissimæ hyemis tempore adortus, eos profligavit an. Christi 320. Id testatur Porphyrius poeta in panegyrico Constantini, *sed Crispi in fortia vires, non dubie ripas, Rhenum, Rhodanumque tueri ulteriora parant &c.*

7. *Alter jam consulatum.*] Nempe Constantinus Cæsar omnium, quos e Fausta Maximiani filia Constantinus Aug. susceperat, liberorum natu maximus, eodem an. Christi 320.

1. *Ductæ lineæ.*] Qui pingendam tabellam suscipit, is lineam primum circunducit, atque operi suo veluti limites præscribit, intra quos artem suam exerceat.

2. *Quippe indole similes.*] Alio modo le-

V. [1] Existimare quidem de principibus nemini fas est:[a] nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, & si qui mentem [2] propius adegerunt, [b] quod oculis in solem se contendentibus evenit, præstricta acie, videndi facultate caruerunt; Verum tu facis, principum maxime, ut patere videantur, quæ prius obstructa fuerant, qui tam optas totus videri quam ceteri recusabant. [c] Non terror obtentui est, nec occultandis quæ plerumque [3] intrinsecus latent, demorandoque aspectu ostentatio speciosa [4] prohibetur. Obtutus hominum [d] benignus receptas, nec intuentem iniquus fulgor retundit, sed serenum lumen invitat: nunc denique intelligimus, quæ desideranda in prioribus fuerant, postquam ea, quæ operta in ceteris veriti sumus, [5] in te reserata veneramur. Igitur, ut facitis, beatissimi Cæsares, per omnes paternarum laudum vias ite securi. Non simplici quidem itinere numerosæ ejus virtutes ingrediuntur, sed omnia ad [e] eundem gloriæ exitum ferunt. Nullæ cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus: [f] ut verenda progredientibus non sit dispendiosa revocatio. Itaque maturiorem cursum instituistis, qui moram considerandi itineris non habetis. [g] Sed mihi circumvento hac ipsa rerum copia, quæ potissimum capessenda sit via, qui aditus fiat incertum est: ita [h] specie se multa offerunt paria, magnitudine congruentia.

VI. Verum ut in magnis domibus [a] interiorem ornatum vestibula ipsa declarant, sic nobis venturis ad ingentium virtutum stupenda penetralia debet laudationis ingressum & [b] prædicationis januam Roma præbere. Quæ demersa quondam [1] tyrannidis impiæ malis, & quo major eo miserabilior, [c] majestatis pristinæ decus ad misericordiæ ambitum conferebat. Tibi tamen, Constantine maxime, etiam in illa sui sorte venerabilis, [d] quod

INTERPRETATIO.

a *Nam occurrens majestas in primo aditu rejicit curiosius perscrutantem.*

b *Quod contingit iis qui solem respiciunt fixis oculis.*

c *Non terror obstaculo est, nec apparet superba ostentatio in tegendis virtutibus, quæ ut plurimum occultæ sunt, aut in retinendo aspectu.*

d *Humaniter admittis.*

e *Ad eundem gloriæ finem tendunt.*

f *Ut procedentibus non metuendum sit, ne necesse habeant cum dispendio aliquo sese revocare.*

g *Sed mihi circumfuso ea ipsa rerum abundantia.*

h *Pulchritudine æqualia, amplitudine similia.*

a *Judicatur ex limine ipso, qualis sit interior* domus *ornatus.*

b *Exornationis aditum.*

c *Eo referebat splendorem dignitatis pristinæ, ut dignior misericordia* videretur.

d *Quia quos magnopere diligimus, non minus colimus, cum fortunam adversam experiuntur.*

NOTÆ.

git Acidalius. *Quibus indoles similis, sed &c.*

1. *Existimare quidem.*] An quia divinum quiddã habent principes, ut Pacati pan. n. 27. *Si fas piumque mortalibus existimare cælestia.*

2. *Propius adegerunt.*] Lege *adhibuerunt* vel *adjecerunt*.

3. *Intrinsecus latent.*] Ita restituit Livineius pro *extrinsecus*.

4. *Prohibetur.*] An potius *perhibetur*?

5. *In te reserata.*] In te explicata veneramur.

1. *Tyrannidis impiæ.*] Sub Maxentio.

quos impense amamus observantia illorum integra est, etiamsi fortuna dilapsa est. In abjectos officia gratiora sunt [e] quæ non ex misericordia, sed ex honore venerunt. Sed nimirum recte a sapientibus ponitur [2] connexio inter se apta virtutum. [f] Sic enim mutuo & opera [3] juvant, & fructum operæ partiuntur, ut facile appareat inseparabilis & indiscreta permixtio. Gessisti bellum, Imperator maxime, quod tibi non minus [4] onus Urbis imposuit, quam ejusdem ærumna persuasit. Itaque non plus ex eo laudis fortitudini tuæ datum quam pietati tributum est, quod dum sceleſtos persequeris, miseros liberasti. Constituta enim & in perpetuum Roma fundata est, omnibus qui statum ejus labefactare poterant [5] cum stirpe deletis.

VII. Non enim, qui bellorum eventus solent esse, per varios & volubiles casus Mars dubius erravit, nec [a] fortunæ vicissitudo, quæ plerumque prosperis rebus triste aliquid agglutinat, victorum lætitiam vulneravit, sed tanta hostium & tam ampla cædes, tam felix & incruenta victoria fuit, ut credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas impiorum pœnas expetitas. Tantum etiam inter arma bona conscientia sibi vindicat, [b] ut jam cœperit non virtutis magis quam integritatis esse victoria. Spectat enim nos ex alto rerum arbiter deus, & quamvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen sese totam [1] servatura divinitas; nec fieri potest ut cum spiritum quem ducimus, cum tot commoda quibus alimur divinum nobis numen impartiat, terrarum se curis abdicaverit, [c] nec inter eorum vitas dijudicet quorum utilitates gubernat. Illa igitur vis, illa majestas [d] fandi ac nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat: illa pietatem tuam texit, illa nefariam illius tyranni fregit amentiam, illa invictum

INTERPRETATIO.

e *Quæ conferuntur non* tam *habita ratione miseriæ, quam dignitatis eorum quibus impenduntur.*

f *Nam sic operam sibi mutuam tradunt.*

a *Adversum quidpiam admiscet fortuna quæ solet admiscere prosperis quidpiam adversum, corrupit gaudia victorum.*

b *Ut non tam fortitudini, quam probitati tribuenda.*

c *Nec discrimen ponat inter eorum animas, quorum utilitatibus studet.*

d *Quæ dijudicat, quod fas ac nefas est.*

NOTÆ.

2. *Connexio virtutum.*] Fuit hæc Stoicorum hominum opinio, ut variis in locis referunt *Tullius & Horatius.*

3. *Juvant*] Ita restitui ex veteri codice, pro *juvat*. Claud. Puteanus alio item modo legit, nempe *sic enim mutua se opera juvant.*

4 *Onus Urbis.*] Quod susceperas cum Augusti nomine. Alii legunt *bonos Urbis,* supra enim, *non ex misericordia, sed ex honore venerunt.*

5. *Cum stirpe.*] Intellige de Maxentio cum Romulo filio in ea clade cæso. De quo supra in pan. 9. n.

1. *Servatura.*] Observatura seu intuitura: Infra n. 26. *Quod pugnantem nemo servaret,* id est, intueretur. Alii tamen legunt *scrutatura.*

exercitum tuum, [e] tot victoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem, tantis insuper viribus juvit quantas præstare aut deus potuit, aut amor tuus debuit; [f] ut horrendas acies, ut incognita ferri & corporum robora fulmineus miles everteret, ut quidquid instruxerat diuturni sceleris longa molitio felici congressione consumeres. 5

VIII. O tuam, Imperator, non victoriam magis quam clementiam prædicandam! [a] Gravate etiam apud animum tuum male pereunt. Invitus pugnasti, qui tam facile vincebas. Jamdudum quippe prævideras hominem [1] non imperando habilem, non tantæ majestatis capacem; [b] quod magnitudo male crediti muneris extra animi angustias effluebat: quod 10 qui tueri nequeunt, [c] ubi sub tanto onere fortunæ infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate. Quid ego referam infelicium indignissimas cædes? quid inexpletos [d] libidinum pastus? quid miseras patrimoniorum direptiones? Sileantur hæc sane, non tantum ne sopitam malorum memoriam oratio mea suscitet, sed ne sanctissimas principis laudes dum 15 aliena vitia depromimus, [e] sermo talis incestet. Incrementum quidem [2] adeptæ felicitatis est malorum commemorata depulsio; verum ut in segetibus etiamsi multa quæ humum obsederant industria revellenda sunt; laborem tamen purgati soli nesciunt qui fructus editos intuentur; sic Constantini laudibus satis est dum efflorescentia bona cernimus ne mala excisa 20 reputemus.

IX. Ferebas tamen, Imperator, ferebas illum in tantis malis ludentem, & cum omnia tu scires, vota hominum connivendo, patiendo, fatigabas: qui ne sic quidem injuste arma caperes, etsi nondum ab homine lacessitus, jam tamen vitiorum ejus inimicus. Sed, quod erat consentaneum 25 clementiæ tuæ, experiebaris [1] remedia molliora, ut quod leniri

INTERPRETATIO.

e *Tot victoriarum recordatione, pleno animo inflammatum.*

f *Ut milites tui fulminis instar diruerent armorum, & corporum* hostilium *vim quam non norant, & feliciter everteres uno conflictu, quidquid virium collegerat diuturno crimine.*

a *Ægre est tibi quod improbi pereant; ægre adductus es ad pugnandum.*

b *Quod angustiorem haberet animum, quam ut magno muneri male ipsi commisso par esset.*

c *Postquam imbecillus* animus *oppressus tanto munere fortunæ: dant licentiam faciendi*, quod impedire non possunt.

d *Cupiditatum.*

e *Ejusmodi oratio corrumpat.*

NOTÆ.

1. *Non imperando habilem.*] Maxentium.

2. *Adeptæ felicitatis.*] *Adeptæ* παθητικῶς sumitur Ovid. l. 4. Trist. eleg. 8. 19. *ne cadat & multas palmas inhonestet adeptas*, & Tullius. *Senectutem ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adeptam.* Ubi aliqui legunt *adepti*, pro *adeptam*: sed male ut observat Henricus Stephanus in præfatione libri *de latinitate falso suspecta*. Multa ejus generis verborum exempla suppetunt apud auctores, quæ hic ego referre abstineo.

1. *Remedia molliora.*] Missis ad eum legatis si forte fœdus cum eo inire vellet:

quam resecari malles mitior medicina sanaret.[a] Quin extorques animo tuo & conveniendi studium, & concordiæ voluntatem ? si[2] concordiam quam veniam appellari fas est cum qui potest vincere optat ignoscere. Et non dubito quin hanc rationem cœlestis prudentia tua duxerit, quod conjun-
10 ctione sua flagrantissimas hominis cupiditates vel extingueret penitus, vel modice temperaret. Nulla quippe est libido tam vecors, [b] quam non capiat cum in consortium temperantia venerit. Dejicit oculos deformis ignavia, ubi ei pulchritudo virtutis objecta est. Tergiversari atque hærere petulantiam videas gravitate, modestia & decore confusam : ut appareat te,
15 Imperator optime, [c] concordia imperanda non illi impunitatem vexandæ Urbis daturum, sed leniorem petiisse victoriam ; cum malles vitia ejus quam arma superare.

X. Sed profecto nulla vi possunt coire, quæ naturali divortio diffident: nec [a] ulla tam fidelis est copula, quæ in diversum tendentia nexu suo
20 teneat. Perpendit scilicet secum excellens prudentia tua, eique semper pietas applicata, omnes concordiæ commoditates ; illam esse fundamentum ac radicem otii, bonorum civilium seminarium, quietis publicæ segetem, & almam pacis altricem. Sed [b] o quam æger est ad honestatem recursus his, qui jam gradum ex nequitia protulerunt ! Vocas ad societa-
25 tem ; [c] [1] appetitum tuum refugit, adversatur, horrescit ; nihil sibi putat tecum commune, quia nihil simile est ; jam certe quiescere virtuti integrum non est. Nam bellum animo gerere, armis abstinentem, non concordiæ ratio est, sed ignava dissensio.

XI. Licet non sit in his ratio desideranda qui semel de via præcipites
30 ire cœperunt ; [1] mirari tamen nequeo, [a] cum id delatum non amplexus sit, quod impudens esset si auderet optare. Utrum Urbis funestam illam lacerationem lente ac remisse te laturum putavit ? [2] Sed natura affert ut injuriæ

INTERPRETATIO.

a *Imo tibi imperas, ut ad congressum & concordiam cum eo venias, si* tamen *concordia potius, quam venia dicenda est.*

b *Quam non sibi subjiciat.*

c *Te ad colloquium venire voluisse, non ut dares illi facultatem impune vexandi Urbem.*

a *Nec vinculum ullum est tam arctum, quod nectendo retineat quæ in diversas partes tendunt.*

b O *quam ægre ad honestatem se revocant, qui jam nequitiæ semita processerunt.*

c *Desiderium tuum aversatur.*

a *Quod non acceperit illud quod ipsi offerebas.*

NOTÆ.

quod superbe ille recusavit ejectis atque eversis per summum ludibrium Constantini statuis.

2. *Concordiam quam veniam.*] Pro *magis quam veniam.* Ut in illo Plauti ex Rudente, *certum est moriri, quam pati &c.*

1. *Appetitum tuum.*] Id est, quod appetebas. Alii legunt *affectum tuum :* Alii, *amicum tuum.*

1. *Mirari tamen nequeo.*] Deest *non* vel *satis.*

2. *Sed natura affert.*] Fortasse *fert.*

[b] ejus quem diligas etiam si re ipsa graves sunt, fiant tamen amore graviores: an credidit conserenda manu non inferiorem? Hoc vero quam opinari non potuerit exitus docuit, cum signis tam sæpe collatis, nihil unquam fuerit, [c] quod aut spes aucuparetur, aut fortuna promitteret. [3] Dolis, credo, existimavit decipi posse. [d] Sed non virtus tua de congressione, quam prudentia est de fraude securior. Quis enim ad præsentiendum sagacior? quis vigilantior ad videndum? Quis contemplatur præsentia acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius? Non hinc tecum [4] Lynceus ille certaret, qui, ut poetæ ferunt, parietum septa, & arborum truncos visu facile trajiciebat; aut etiam ille quem eadem vetustas locuta est, cum in Siciliensi specula constitisset, conspicari solitum naves quæ Africæ portum subirent; cum prospectum hominis non aer offusus, quem crassiorem exhalatio maris faceret, [5] non tantum disjunctarum regionum longinquitas impediret.

XII. [a] Cum spes omnis frigere debuerit, & voluntas pacificandi alienata sit, quis dubitet divinitus armis tuis deditum, cum eo dementiæ processerit, ut ultro etiam lacesseret quem ambire deberet? O quam acres [1] habes dolorum aculeos contumelia [b] quam imponit inferior! ecce enim, proh dolor! verba vix suppetunt, [2] venerandarum imaginum acerba dejectio, & [c] divini vultus litura deformis. O manus impiæ! o truces oculi! Ita non caligastis? [3] In quo lumen mundi obscurabatis, meritas ipsi tenebras non imbibistis? [d] Commovere tandem, conscia virtus, [4] nec permittas hoc furori, cui de te aliud non licebat. Sed quid tandem assequeris cæca dementia? Aboleri hic vultus non potest. Universorum pectoribus infixus est; nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis retinet, sed desiderio efflorescit animorum: una demum Constantini oblivio est

INTERPRETATIO.

b *Illatæ ab eo quem ames.*

c *Quod aut spe præciperet, aut &c.*

d *Sed non magis metuendum prudentiæ, ne decipiatur in colloquio, quam virtuti ne parum* feliciter cum hoste *manus conferat.*

a *Postquam spes omnis infringi debuit, & depositus est animus sanciendæ pacis.*

b *Quæ infertur ab eo qui* altero dignitate *inferior est.*

c *Divinus vultus luto deformatus.*

d *Imperator virtutis* tuæ *conscie te tandem excita.*

NOTÆ.

3. *Dolis.*] Quibus adversus Severum, Galerium, ac Maximianum usus erat.

4. *Lynceus ille.*] Simile quid habent Plinius natur. hist. l. 7. c. 21. Strabo Geograph. 6. Ælian. variæ hist. 2 c. 13. Plutarchus, Tullius 4. Academ. Valer. Maxim. l. 4. cap. ultimo, quorum verba, ne nimius sim, non refero.

5. *Non tantum.*] Lege *non tanta* ut ex veteri codice emendat post Acidalium Gruterus.

1. *Habes.*] Forte *habet.*

2. *Venerandarum imaginum.*] Constantini imagines Romam de more perlatas, a Maxentio dejectas esse, supra dictum est in Constantini vita.

3. *In quo lumen mundi.*] Lege cum Acidalio; *cum lumen mundi &c.*

4. *Nec permittas furori.*] Ut furorem suum exerat in tuam imaginem is, cui non

humani generis occasus. Nunc vero commendabiliorem injuria tua faciet patientiam ejus, avidius expetent quem pictura non reddit. Flagrantiora sunt animorum desideria cum oculorum solatia perdiderunt.

XIII. Nihil profecto gravius, nihil miserius Roma doluisti. Quamvis recondita alte magis gemeres, &[a] ingestos quotidie luctus callo quodam obduratæ patientiæ sustineres, confessus est se [b] inconsultior dolor, nec timuit deprehendi, [1] & male clausi signa mœroris per vultus indices exierunt. Hoc enim, Roma, tot vulneribus saucia vindicari volebas, cum [b] tamen præstantissimus princeps injuriæ suæ negligens ulcisci tuas mallet. Ita [c] ambo, benigni ratiocinatores officiorum, paria fecistis, tu voto, quo solo valebas, ille amore pariter & facultate, ut tantum bonorum tibi tribueret quantum te sibi velle recognosceret. Pugnasti igitur, Imperator, coactus quidem, sed hoc maxime victoriam meruisti, quia non desiderabas. Optasti pacem, sed ignosce si plus omnium vota valuerunt.[3] Nec illa solita obsecundare cœptis tuis divinitas, in hoc refragata est; sed aliquid ex sententia tua non cedit, ut plus pro meritis iniret. Negata est concordia cui erat parata victoria.

XIV. [1] In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos qui se divinitus missos præ se ferebant. Et quamvis cœlestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam & caligantem aciem simplex & [a] inconcreta substantia naturæ tenuis eludat; illi tamen auxiliatores tui aspici [2] audirique patientes,[b] ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species? qui vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? [c] Flagrabant verendum

INTERPRETATIO.

a *Et nova quotidie luctus* argumenta quasi *callum quoddam patientia tua obduceres.*

b *Mœror se prodens.*

c *Boni æstimatores vestrorum officiorum, simile quidpiam fecistis, tu*, o Roma, *desiderio, quod unum* facere *poteras*, *ille & optando tibi* bonum, *& id tibi procurando.*

a *Corporis expers.*

b *Postquam virtutis tuæ testimonium dederunt, sese hominum aspectui subduxerunt.*

c *Emicabat* in iis *majestas nescio qua, clypeis effulgentibus.*

NOTÆ.

satis est animi, ut aliquid in te moveat.

1. *Et male clausi.*] Tuum de afflicta Roma dolorem dissimulare non potuisti: & quamvis illa injurias sibi illatas mallet, quam tibi; tu tamen ejus dolore potius ad bellum Maxentio indicendum inductus es.

2. *Ambo.*] Roma quam alloquitur, & Constantinus de quo sermo est.

3. *Nec illa divinitas.*] Nec divinitas illa quæ tibi rebus in omnibus obsecundat, tuis votis non obsecuta est, cum fecit ut Maxentius oblatum fœdus non acciperet, sicque ampliorem tibi laudis segetem daret.

1. *In ore denique.*] Utrum de Labaro intelligendum id? an quod olim Romanis mox ait contigisse, equites aut etiam legiones integræ Constantino e cœlo adfuerint? Ea quidem de re nihil habet Eusebius. At Nazarius id in Gallorum omnium ore fuisse, affirmat præsente Constantino ipso, & coram variis omnium nationum populis.

2. *Audirique patientes.*] Sic Horat. l. 1.

nescio

nescio quid umbone corusci, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat : tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Habent profecto & divina jactantiam, [d] & cœlestia quoque tangit ambitio. Illi cœlo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur quod tibi militabant. Ducebat hos, credo, Constantius pater, [e] qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat, divinas expeditiones jam divus agitabat. Magnus hic quoque pietatis tuæ fructus, quod quamvis particeps cœli [f] ampliorem se fieri gratia tua senserit, & cujus munera in alios influere jam possent, in eum ipsum tua munera redundarint. 10

XV. Cedat tibi non recentium seculorum modo, sed totius memoriæ vetustas, quamvis illa, recti appetens, & nullo unquam depravata in officio, glorietur penes se sanctitatis famam stetisse. Sed nec leguntur præconia hominum ubi quæruntur judicia divina. Illi igitur veteres, laudati vitæ moderatores, qui refrenandis cupiditatibus [1] restricte compteque vixerunt, quorum omnis ætas armis conterebatur; quando tantam in prælio divinam opem pro merito integritatis habuerunt? ut qui longe a virtutibus tuis distant, in proximo saltem justitiæ gradu reponantur. Romano quodam in bello ferunt [2] duos cum equis juvenes, spectatos forma pariter ac viribus, quia in dimicando præter ceteros insignes fuissent, jussu imperatoris ad [a] remunerandam industriam requisitos. Ubi nulli inveniebantur, fides habita est divinos fuisse, quod cum laborem sedulo communicavissent, laboris pretium respuissent. Equidem historiæ non invitus assentior. [b] Neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda, quæ se non vanam antiquitatis nunciam pollicetur. Sed tamen illi, qui hoc annalium monumentis illigaverunt, verebantur [c] ne apud posteros miraculi fides claudicaret. [d] Estote, o gravissimi auctores, de scriptorum religione securi; credimus facta qui majora nunc sensimus. Magnitudo Principis nostri gestis veterum fidem conciliat, sed miraculum detrahit. Pro auxilii copia negotiorum ratio metienda est. Duo quondam juvenes, sed nunc 30

INTERPRETATIO.

d *Sane vel in cælestes cadit ambitio*

e *Qui se agnoscebat terrenis triumphis a te superari.*

f *Expertus fuerit se clariorem fieri tuo beneficio, & qui aliis beneficia conferre posset, is* gloriam *a te beneficii loco acceperit.*

a *Que* corum *virtus præmio donaretur.*

b *Nec enim existimanda est ea in re veritatem corrupisse, nec temere se jactat vetustatis nunciam.*

c *Ne prodigium apud posteros fidem non obtineret.*

d *Haud metuite ne parum fideliter* res *descripsisse* videamini.

NOTÆ.

od. 2. *patiens vocari Cæsaris ultor*, & od. 19. *vultus lubricus aspici.* Idem de arte poet. 163. *Cereus in vitium flecti.*

1. *Restricte, compteque.*] *Contente*, ut Livineius putat, id est, parce. Plautus Asinaria. sc 1. act. 1. *Mater illam arcte, contenteque habet.*

2. *Duos juvenes.*] Castorem, & Pollucem. Horat. l. 1. od. 12. *Hunc equis, illum superare pugnis nobilem.* Ambos Jovis ex Leda filios apud poetas celebratissimos.

exercitus visi.[e] Hoc certe uberius, nec infirmius veritate. Stat argumento duplici fides nixa. Sic Constantinus juvari meruit, sic debuit Roma servari.

XVI. Magnum hoc, Imperator maxime, sed de tua pietate non
5 mirum. Adesse tibi in omnibus summam illam majestatem,[a] quæ te circumflexa tueatur, conjectura mentium tenebamus, etsi nondum ad fidem patebat oculorum. Etenim cum mens tua mortali contagione secreta, pura omnis, funditus sincera,[b] ubique se promerendo deo præstet, cum gloria tua humanum modum supergressa sit, quis est hominum quin
10 opitulari tibi deum credat, cum id & vita mercatur, & rerum magnitudo testetur? Parumper igitur ab instituto cursu[c] non ingrato diverticulo recedamus. Tenebo hunc orationis modum,[d] ut nec inhumane de ceteris muta sit, nec odiose de instantibus obloquatur. Tu, Imperator optime, inito principatu, adhuc[1] ævi immaturus, sed jam maturus imperio, osten-
15 disti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis. Tu exinde domi militiæque juxta bonus, nusquam gradum extulisti quin ubique te gloria quasi umbra comitata sit. Tu ferocissimis regibus, Ascarico[2] & comite suo captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus. Ut Herculem ferunt tenerum adhuc
20 atque lactentem[3] duos angues manu elisisse, ut jam[4] infantulo indoles futuri roboris immicaret, sic tu, Imperator, in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per sævissimorum regum famosa supplicia[5] ludebas.

XVII. Franci ipsi, præter ceteros truces, quorum vis cum ad bel-
25 la effervesceret,[1] ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecta, Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat: ii igitur sub armis tuis ita conciderunt,

INTERPRETATIO.

e *Hoc certe majus, nec minus verum.*

a *Quæ te circumcingens defendat, cogitatione divinando putabamus, quamvis nondum oculis contestatum illud esset.*

b *Nihil omittat, in quo deum sibi conciliare possit.*

c *Non insuavi digressione.*

d *Ut neque alias* actiones *parum humaniter sileam, nec in præsentibus* commemorandis *cum aliquorum invidia hæream.*

NOTÆ.

Ea demum atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem, nemo dubitarit. Itaque & imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit, & reddidit plane quasi stipendium commilitonibus deis. Florus l. 1. cap. 11.

1. *Ævi immaturus.*] Atqui si Eusebio, Sozomeno & Eutropio fides est, qui eum anno ætatis 65. obiisse dicunt, imperii vero 32. tum agebat annum tertium supra tricesimum, sed nimirum ævi immaturum eum vocat præ Maximiano & Diocletiano, quos senes imperatores viderat.

2. *Et comite.*] Id est, Regaïso, quem appellat supra non uno in loco.

3. *Duos angues.*] A Junone ejus noverca in ejus cunabula immissos. Virg. Æneid. l. 8. 288. *Ut prima noverca monstra manu geminosque premens eliserit angues.*

4. *Infantulo immicaret.*] Malim cum Acidalio *in infantulo emicaret.*

5. *Ludebas.*] Forte *præludebas* Acidal.

1. *Ultra ipsum Oceanum.*] Tangit Probi

ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, quo regis omnia, quos ipse afflixeras conficiendos filio reservasses. Quanquam ad gloriam vestram fœcunda malis suis natio [a] ita raptim adolevit, robusteque recreata est, ut [2] fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, [b] cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret. Differamus parumper Italicas expeditiones, quibus [3] Segusiensium civitatem, quæ superatis Alpibus Italiæ claustrum objicit, cum vi & virtute velut januam belli refregisses, inde per objectas acies, per exercitus obvios, usque ad Romana mœnia inoffensus victoriarum impetus percucurrit.

XVIII. Quid memorem [1] Bructeros? quid [2] Chamavos? quid [3] Cheruscos, [4] Vangionas, Alamannos, [5] Tubantes? Bellicum strepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes sigillatim, dein pariter armati, conspiratione fœderatæ societatis exarserant. Tu tamen, Imperator, cum tantam belli molem videres, nihil magis timuisti quam ne timereris. Adis barbaros, & dissimulato principis habitu, quam proxime poteras cum duobus accedis. Nunquam est excelsior principatus quam cum se [a] publico submittit officio. Facis verba, spem illorum agitas, & [6] versas credulitatem, negas te esse præsentem. O vere cæca barbaria, quæ in illo vultu signa principis non videris, quem nec sic quidem senseris, cum intra jactum teli securus sui staret, Constantinum esse! Qui hoc poterat non timere, dubitare quidquam potes per omnia subnixum deo vadere? [7] Invictos ducis, & solus timeris. Tot regna, tot populi, & tantarum nationum congregatio, indi-

INTERPRETATIO.

a *Adeo celeriter*

b *Cum decertaret acceptæ cladis recordatione potius exacerbata, quam perculsa.*

a *Vulgare munus fungitur. Venis ad colloquium, spem illorum moves.*

NOTÆ.

imperatoris tempora sub quo Francorum manus *qui a Ponte*, quo in loco captivi Franci tenebantur, *correptis navibus, Græciam, Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ litoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas. Et immenso itinere pervecti, Oceanum qua terras rumpit*, id est, fretum Gaditanum proindeque & Hispanias, *atque ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piraticæ desperationi, quo navigiis pateret accessus.* Id ipsum ait Vopiscus in Probo Eumenius *pan. 5. n.* 18.

2. *Fortissimo Cæsari.*] Crispo qui an. 320. Francos vicit delevitque.

3. *Segusiensium civitatem.*] Segusium urbs Galliæ Cisalpinæ propter Duriam fluvium, ad radices Alpium Cottiarum &c.

1. *Bructeros.*] Bructeri, Germaniæ populi, de quibus supra *pan. 7. n.* 11.

2. *Chamaves.*] De his Germaniæ populis supra in *pan.* 5. *n.* 9. *not.* 5.

3. *Cheruscos.*] Ultra Visurgim fluvium habitantes, ubi nunc Ducatus Brunsvicensis.

4. *Vangionas.*] Ad Rhenum, supra Moguntiam: ubi nunc Wormacia. *Worms.*

5. *Tubantes.*] Quos alii Transisilana apud Frisiæ & Westphaliæ confinia: alii in ea parte Germaniæ, quæ nunc Westphalia dicitur, habitasse volunt.

6. *Versas credulitatem.*] Melius quam *crudelitatem*, id est, nimium credulos fallis, dum negas te esse præsentem.

7. *Invictos ducis.*] Id est, tecum invictos milites ducis, tuque unus omnium maxime timeris. In Livineiensi editione est *invi-*

gnam se viribus tuis putat, [a] quem credit absentem. [b] Tibi tamen incrementum laudis ex multiplicatione terroris est, magnificentius congregata obteris, quæ scrupulosius dispersa sequereris. Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed uno impetu tuo fusæ, [c] dum collativam vim compa-
5 rant, compendiosam victoriam præstiterunt.

XIX. Uno hoc bello, si debitis laudibus immorari vacaret, [1] dies integer conderetur. Nunc ita omnia prætervolans [2] cecidit oratio, ut victoriarum tuarum [3] non summam evolveret, sed ornamenta monstraret. His rebus semper [a] e re publica gestis tanta vi tantoque successu, ut nunquam
10 virtus tua intremuerit, prudentia hæserit, [4] felicitas claudicarit, satis, ut opinor, probatum est perpetuam in te benignæ majestatis opem fluere: ut cœlestes exercitus tui non tunc primo missi, [b] sed tum demum intellecti esse videantur. Talis igitur ad liberandam Italiam & tam tutus accedis, ut cum res bellica cæcos habeat eventus, [c] in te tamen dimicandi vo-
15 luntatem pro victoriæ pignore teneres, etsi abessent auxilia divina. Aderat enim robustus, & florens, plenus virium, animi plenus exercitus, lætus armis, & militiæ munia exequens studio magis quam necessitate, [d] quippe cui stipendia sunt pauciora quam prælia. Cum dico prælia, significo victorias, præterea tam amans tui quam tibi carus. Ignosce enim superba
20 virtus, quantumvis fiduciæ & spiritus capias, amor principis facit militem fortiorem.

XX. Antiqua admodum res est quam proferam, sed non indigna memoratu. Illyrii quondam, despicientes [1] Eropi regis infantiam, Macedones bello lacesserunt. Et prima quidem congressio [a] secundum illos fuit;
25 verum Macedones cum bellum reficerent, regem suum in cunis ad aciem detulerunt. Cum illos ira, hos miseratio, illos signorum cantus, hos pueri vagitus accenderet, [b] mutata est ratio certaminis; vicerunt qui a-

INTERPRETATIO.

b *Inde tamen crescit laus tua, quod crescit numerus hostium, & majori cum laude collectos* hostes *frangis, quos* esset *difficilius dispersos persequi.*

c *Dum vires in unum conferunt.*

a *Ex utilitate publica*

b *Sed tum tandem manifesti esse videantur.*

c *Tua tamen certandi voluntas, tibi victoria pignus foret.*

d *Cum plures pugnas inierit, quam meruit stipendia.*

a *Feliciter illis cessit, sed Macedonibus ad pugnam redeuntibus.*

b *Mutatus est belli eventus.*

NOTÆ.

Nos duces non times, & solus timeris, quod non ita probatur.

8 *Quem credit absentem.*] Id est, dum se absentem putat.

1. *Dies integer conderetur.*] Vide Plinii pan. n. 80. *Cum tibi dies omnis, summa cum utilitate nostra, summa cum laude tua conderetur*: ubi plura vide ejus generis exempla.

2. *Cecidit oratio.*] Alii legunt *tetigit.*

3. *Non summam evolveret.*] Melius si transpositione facta legatur *non ornamenta evolveret, sed summam monstraret.*

4. *Felicitas claudicarit.* Id est, nutarit. Supra n. 15. *ne apud posteros miraculi fides claudicaret.*

1. *Eropi Regis.*] Nota historia ex *Ju-*

more pugnabant. Quanto igitur est [c] amor fidelior accepti beneficii memoria, quam præsumptione futuri, quod illic percepta res juvat, hic expectata blanditur, tanto tui animosius dimicaverunt, qui non puero spem gratiæ munerabatur, sed principi post natos homines benignissimo meriti debitum rependebant. 5

XXI. Primam igitur [1] Segusiensium civitatem, [a] quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est. [b] Quæ resistendi pertinacia ita in se imperatoris vim convertit, ut pietatem tamen non alienaverit. Nam cum introitus [2] vi manu quæreretur, & portarum inflammatio ignem late distulisset, [c] cujus facilis per adjuncta contagio [3] partu pestifero valescebat, 10 maxima benignissimi imperatoris fuit cura, [d] non modo ut incendium non adjutum senesceret, sed oppressum emori posset; & longe operosior clementia quam fortitudo ejus perspecta est: cum plus in conservanda urbe quam in capienda fuerat laboris oriretur. Itaque digrediens sic cupidam sui fecit, ut eam ad omne obsequium non victoriæ metus componeret, sed 15 admiratio lenitatis.

XXII. Optima aiunt esse remedia quæ ad usum corrigendi nostri ex [1] aliena calamitate nascuntur; verum animus pravitate, velut morbo impeditus, [2] dilectum boni non habet. Ecce jam apud [3] Taurinos venientem pugna gravior expectat, nec Segusiensium vastitas monet ut sibi caveant; 20 nec cogitant quod cum principe res futura sit, [a] quod neque vis ejus resistendi spem faciat, nec mansuetudo rationem. Campum late jacentem tantus miles oppleverat, ut non improbaret fiduciam qui instructos videret. Quæ enim illa fuisse dicitur species, quam atrox visu, quam formidolosa, [b] operimento ferri equi atque homines pariter obsepti? [4] Cli- 25 banariis in exercitu nomen est. Superne omnibus tectis equorum pectori-

INTERPRETATIO.

c *Accepti beneficii recordatio magis amorem firmat, quam spes futuri.*

a *Quæ prima occurrerat de via.*

b *Quæ obstinate resistendo.*

c *Cujus facilis diffusio ex contiguis locis ortu novi incendii crescebat.*

d *Non modo ut incendium minueretur sublatis fomentis, sed ut obrutum posset extingui.*

a *Quia ita fortis est* Constantinus *ut ei resisti non possit, & ita mansuetus, ut causam resistendi non habeat.*

b *Equi & homines ferro omni ex parte cooperti.*

NOTÆ.

stini l. 7. & Ammiani l. 26. ac Polybio.

1. *Segusiensium civitatem.*] Segusium *Suze*, supra *n.* 17. *not.* 3.

2. *Vi, manu quæreretur.*] Plerique interpretes inducunt voculam *vi*, quam ex glossemate in contextum putant receptam.

3 *Partu pestifero.*] Alii legunt *pastu*, sed non hic opus mihi videtur emendatione. Loquitur enim de incendio tanquam de homine, qui adolescit, senescit, moritur.

1. *Aliena calamitate.*] Notus ille versiculus: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

2. *Dilectum boni.*] Non aptus est ad judicium de bono ferendum.

3. *Taurinos.*] Augusta Taurinorum, *Turin.* De hac pugna vide pan. 9. n. 6.

4. *Clibanariis.*] Equitibus cataphractis:

bus demissa lorica, & crurum tenus pendens, sine impedimento gressus, a[c] noxa vulneris vindicabat.

XXIII. Te tamen, Imperator, non terruit, nec quod tanto numero duplicabat armatura terrorem, nec quod vim armis numerus addebat. 5 Certum est enim[a] pro negotii modo animosam esse virtutem, [1] quod ex se rerum captum suum temperat: in parvis prope ad securitatem remissa, in mediocribus modice intensior, ubi magna venerunt, juxta magnitudinem exantlandi operis erigitur. Illa armorum ostentatio, & operti ferro exercitus, qui imbelles oculos vulnerassent, invictas mentes incitaverunt: 10 [b] quod imbutus imperatoris exemplo totis animis ejus miles ardescit, cum invenit hostem quem vinci deceret. Cataphractos equites, in quibus maximum steterat pugnæ robur, [2] ipse tibi sumis. His disciplina pugnandi est, cum [3] aciem arietaverint, [4] servent impressionis tenorem, &, [c] immunes vulnerum, quidquid oppositum sine hæsitatione perrumpant.

15 XXIV. Sed tu, Imperator prudentissime, qui omnes bellandi vias nosses, opem ex ingenio reperisti, [a] quod tutissimum est, eludere, quod est difficillimum sustinere. Diducta acie, [1] in irrevocabilem impetum hostes [b] effundis, dein [c] quos [2] ludificandos receperas reductis agminibus includis. Nihil proderat contra tendere, cum ex industria tui cederent. Fle- 20 xum ad insequendum ferreus rigor non dabat. Ita nostri proditos sibi clavis adoriuntur: quæ gravibus ferratisque nodis hostem vulneri non patentem cædendo defatigabant, ac maxime capitibus afflictatæ, quos ictu perturbaverant, ruere cogebant. Tunc ire præcipites, labi reclines, semineces vacillare, aut moribundi sedilibus attineri, permixta equorum 25 clade impliciti jacere, qui reperto sauciandi loco passim equitem effreni

INTERPRETATIO.

c *Contra vulnera tutos præstabat.*

a *Fortitudinem exercere vim suam, prout res postulat.*

b *Quod inductus.*

c *Et securi contra vulnera, quidquid objectum est absque mora disjiciant.*

a Primum in *eludendo* hostium *impetu, in quo plurimum securitatis est: deinde* in eodem *sustinendo, in quo plurimum difficultatis.*

b *Irruere finis.*

c *Quos ad ludibrium admiseras.*

NOTÆ.

hoc est qui equis ferro undequaque septis, ipsi quoque ferrea lorica armati insiderent. De iis Claudianus. *Conjuncta per artem flexilis inductis hamatur lamina membris, horribilis visu. Credas simulacra moveri ferrea, cognatoque viros spirare metallo*, κλίβανοι vero Græce, est lorica ferrea.

1. *Quod ex se.*] Quod se rebus attemperet, & accommodet.

2. *Ipse tibi sumis.*] Supple *oppugnandos.*

3. *Aciem arietaverint.*] Perruperint. Ducta metaphora ab arietum similitudine, quibus urbium muri subvertebantur.

4. *Servent impressionis tenorem.*] Id est, In suscepta acriter oppugnatione constantes sint.

1. *In irrevocabilem impetum.*] Ita diducis aciem, ut hostes progrediendi cupidos ac nimium se effundere ausos reductis agminibus derepente includas, atque opprimas.

2. *Ludificandos.*] [illegible], vel fortasse legendum *Ludificando.*

dolore fundebant. Ad unum interfectis, omnibus tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ transtulerunt, quod qui invulnerabiles habebantur sine tuorum vulneribus interiissent.[3] Antoninus imperator in toga præstans, & non iners nec futilis bello, cum adversum Parthos armis experiretur, visis cataphractis, adeo totus in metum venit, ut ultro ad regem conciliatrices pacis literas daret. Quas cum rex immodicus animi respuisset, insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est in his armis tantam inesse violentiam, ut & vincendus sideret, & superaturus timeret. 5

XXV. Quid ego referam post tantam & tam gravem pugnam quod [1] apud Brixiam magnus quidem & acer equitatus esset, fuga [2] quam visu astutior, & primo impetu tuo pulsus, Veronam usque contendit ad præsidia majora? Neque id dedecori fuit, [a] quod excusati fugiunt qui tibi cedunt.[b] Contingat quin imo timiditati miseræ res ostentanda, fuga quæ habuerit dignitatem. Ipsa autem [3] Verona, freta immanibus copiis, quas in unum adventus tui formido conduxerat, cum multorum jam clades accepisset, facta est parumper metu cautior, non ratione felicior. Muris se ab impetu vindicat. Aderat quidem Ruricius, experientissimus belli, & tyrannicorum ducum columen. Per tota admodum mœnia magna vis hominum, & apud Brixiam plerique jam fracti: ut in corpore cum aliqua pars ægra est, veletudo omnis contaminari solet; sic illius multitudinis portio malo affecta, totum exercitum timoris contagio dissipat.[c] Quam faciles lapsus infirmitas haberet, cum eam intempestiva movit audacia, cum sæpe alias, tum maxime in illa obsidione perspectum est. Clausi impetum faciunt, & qui se aliquamdiu latendo a morte defenderant, facta pugnandi copia pœnas eruptionis temerariæ pependerunt. Idemque Ruricius magna suorum clade rejectus in mœnia, spe jam lassa, sed adhuc mente vesana, cum se Veronam proripuisset, novos eodem egit exercitus, & [4] præcipitante jam die bellum non detrectavit, pugnæ avidior quam salutis.[5] Sed cum exitus 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Quia excusationem habent fugæ suæ, qui fugiunt ut tibi cedant.*

b *Imo potius sinamus accidere timori rem prædicatione dignam nempe fugam quæ sit cum dignitate.*

c *Quam facile concideret imbecillitas, cum alieno tempore sese audacius extulit.*

NOTÆ.

3. *Antoninus imperator.*] Antoninus pius adoptatus ab Hadriano Romanæ rei præfuit anno Christi 138. obiit anno ætatis 70. imperii 23. cui successit M. Antoninus Verus ipsius gener.

1. *Apud Brixiam.*] Brixia urbs Italiæ, in Cenomanis olim sub ducibus Mediolanensibus, nunc ditionis Venetæ *Bresse.* Ad Orientem habet Veronam, ad meridiem Bergomum; ad occasum Cremonam & Mantuam.

2. *Quam visu astutior.*] Lege cum Livineio, *quam vi sua tutior.*

3. *Verona.*] De Verona supra *pan.* 9. *not.* 1. *Verona.*

4. *Præcipitante iam die.*] Inclinante. Æneid. l. 2. 8. *Et iam nox humida cælo præcipitat.*

5. *Sed cum exitus.*] Sciebat Ruricius quid sua audacia mereretur, at bonum ta-

magis quam merita fefellerunt. Nam furorem mors domuit, quem non potuerat, nec [6] confiderati ratio, nec victi formido fanare.

XXVI. O nox illa æternis feculis monumentifque mandanda! cum [1] fpiffis tenebris congreffus fortunæ totum liceret, tu tamen, Imperator, non intutior tempore quam deo tectior, fæviffimo hofti multus [2] inftares, & libertate cædis exultans [a] donum noctis duceres quod pugnantem nemo fervaret, per infeftas acies interritus vadis, denfiffima quæque perrumpis, dejicis, proteris. Mortis decus perdunt [3] quos ignoratus affligis: nifi quod te ipfa vis tua cogit agnofci. Nihil enim te permovent tubarum fractæ voces, horrendus militum clamor, permiffa cafibus vulnera, illifi cominus gladii, cadentium graves gemitus, arma late ftrepentia, & in unum quendam fonitum diverfi fragoris acta confufio, quod hæc omnia [b] aut virtus negligit, aut ira non fentit. Nox ipfa, juftiffima bellantibus caufa terroris, vehementiorem te agendis ftragibus fecerat. Quod folum enim virtutis tuæ impedimentum eft, [4] miferationem tenebræ non habent: ut intelligi liceat quantum illo in bello vis tua perfecerit, [c] pietate non retenta, & majeftate fecura. Prælio vix multa nocte confecto, feffus cædibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, fed hoftili, [5] ad obfidionis vigilias recurrebas. O fortuna! O præpotens Roma! Quam tu unquam gratiam pro tantis his laboribus referes? Nifi quod indulgentiffimus princeps, tanquam hoc ipfum tibi debeat, eo cariorem habet quo majore labore fervavit.

XXVII. Et quoniam me ad Urbis commemorationem fors quædam intulit, non rerum ordo deduxit, neque revocare inde orationem fas eft [a] quo jamdudum contenta veniebat, prætereo te [1] Aquileia, te

Interpretatio.

a *Putares te a nocte beneficii loco accipere, quod nemo te obfervaret dimicantem.*

b *Aut virtus fpernit, aut* militaris *aftus, at* fervor *ne fentit* quidem.

c Cum *pietas tua nulla re moveretur, & majeftas effet in tuto.*

a *Quo jampridem contento* curfu *properabat.*

Notæ.

men prælii exitum fperabat, in quo deceptus eft, ficque eum exitus magis, quam merita fefellerunt.

6. *Confiderati ratio.*] Nec circumfpecti, aut prudentis ratio, nec formido quæ in viros cadere interdum folet.

1. *Spiffis tenebris congreffus.*] Id eft, certaminis mox *fortunæ totum liceret*, id eft, eventus omnis penes fortunam effet. Ita autem locum interpretum omnium judicio depravatiffimum emendandum puta pro *fpiris, tenebrifque*, ut extat in vulgaribus editionibus.

2. *Inftares.*] Lege *inftare*, & mox *ducere.*

3. *Quos ignoratus affligis.*] Nefciunt enim fe invicta manu tua perire.

4. *Miferationem tenebræ non habent.*] Quia enim noctis tempore non videtur ftrages, non eft miferationi locus.

5. *Ad obfidionis vigilias.*] Vox *vigiliæ* videtur hic fumpta pro iis ipfis, qui erant in excubiis.

1. *Aquileia.*] Carnorum metropolis ad oram maris Adriatici. Emporium olim celebertimum, *Aquilée.*

Mutina,

[a] Mutina, ceterasque regiones, quibus [b] propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria. Senserunt enim translatis ad fortissimum principem fortunarum suarum gubernaculis quam facile omnia [c] ad salubrem cursum redirent, quæ ita deferebantur, ut mox aut malorum omnium scopulis illiderentur, aut miseriarum vadis adhærescerent. Prætereo inquam & hæc, & alia complura, [d] quorum est & sigillatim onerosa moles, & omnium simul acervus onerosior. Nam quæ diducta ferre nequeas, his congregatis subire, spei importunioris est quam fiduciæ promptioris. Recuperata igitur Italia, hic primus fuit liberandæ Urbis gradus, & ad victoriam facilis adscensus, quod illum semper exedendæ Urbis visceribus inhærenrem ex assuetis latebris vis divinitatis excussit. In quo quidem tantum momenti fuit ad perficiendæ rei facilitatem, ut non tam gloriandum sit virtuti tuæ, præstantissime Imperator, quod eum viceris, quam gratulandum felicitati, quod ad pugnam potueris evocare.

XXVIII. Non enim casu, non fiducia factum putemus, ut ultro etiam exercitum educeret adversum eum, cujus adventus stridorem ipsum perhorresceret, nisi [a] animum jam metu devium infestior deus, & pereundi maturitas perpulisset: quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit illum mente perdita, implicatoque consilio, cum eum pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga moriendi necessitatem imponeret, cum spem victoriæ non haberet. Quod quidem imperatori nostro [b] optandum largiter fuit, qui hoc uno maxime offenditur, [c] si certamen lubricum faciat spes prompta fugiendi. [1] Relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat. Non amas, Imperator, bella, nisi ferventem hostem [d] in gradu suo præcisa fuga teneat, ut aut ferro concidat, aut miseratione servetur. Apud Tiberim igitur suos instruxit, sic ripæ locatos, ut ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis unda fatalis allueret: [e] ita vero multitudine suppeditante, ut ultra quam visus agi posset, extenta acies pertineret; [2] non quo frons imbecilla tractu invalido

INTERPRETATIO.

b *Ob ea quæ consecuta commoda sunt.*
c *In florentem statum restituerentur.*
d *Quæ & singulatim persequi, difficile opus est & difficilius cuncta simul coacervare. Nam quæ divisa portare non possis, eadem collecta humeris tollere, spei audacioris est, quam paratioris fiduciæ.*
a *Mentem iam pavore emotam.*
b *Cupiendum magnopere fuit.*
c *Si prælii dubium* eventum *faciat spes fugæ facilis.*
d *Adempta fugiendi ratio efficiat immobilem.*
e *Totam vero multitudinem efficiebant, ut ultra conjectum oculorum acies illa extenderetur.*

NOTÆ.

2. *Mutina.*] Urbs olim Galliæ togatæ, nunc Italiæ, inter forum Lepidum ad occasum 15. & Bononiam ad ortum 20. mill. pass. distans. *Modene.*

1. *Relaxaverit acies.*] Si forte acies de pugnandi alacritate nonnihil remiserit, aut frons exercitus &c.

2. *Non quo frons.*] Non quo frons exer-

duceretur, ſed tanta ſubſidiorum atque ordinum confirmatione, ut acies non porrectior quam robuſtior murum utrinque præberet; quod eam nec conſtipatio contraxiſſet, nec longitudo tenuaret.

XXIX. Prætermittam hoc loco, Conſtantine maxime, diſponendi 5 militis tui miram incredibilemque rationem: [1] hoc enim perſequi vellem, quem tenuiſſet locum [2] cœleſtis exercitus dicam. Quanquam non illos arbitror ſtetiſſe niſi tecum; difficillimam enim pugnæ partem tibi diligis, & tanquam pro fortunæ gradu modus virtutum debeatur, ita inter tuos non vis principatu magis excellere quam labore. Cumulatiſſimum quidem 10 principis munus eſt, ſi manu ceſſet, non ceſſaſſe conſilio; [a] ſed tu non ſegnior gerere quam jubere, ſimul exercitus tuos monitu regis, opere juvas, incendis exemplo. Quod hic etiam facis promptius quam in ceteris præliis; quod in præſenti erat tam ampla pugnæ merces, quam pugnator illuſtris; & ſtatim Roma victoris. Cujus rei cum imaginem cepi, dictu- 15 rus horreſco. Invadis primus aciem, ſolus irrumpis. [3] Obumbrant euntem telorum irriti jactus, ſonat ictibus umbo ſecurus. [b] Hos quos trabalis haſta dejicit, inſultans ferus proterit. Fulget nobilis galea, & coruſca luce gemmarum divinum verticem monſtrat. Auro clypeus, auro arma collucent. O quantam vim poſſides virtus, quæ in hoc habitu plus 20 terroris præferas quam decoris! Secuti hunc ardorem fortiſſimi milites, & dignos ſe ductu ejus imperioque teſtati, ſic viritim laboraverunt, quaſi ſumma res ſingulorum manu niteretur.

XXX. Non commemorabo hic tectas continuis ſtragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim, & inter congeſtas altæ cadaverum 25 moles ægro nixu ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem, quodque illum ipſum tyrannum non mors virilis, ſed fuga turpis prodidit, & [1] dignum ignaviæ & ſævitiæ exitu fluctus ſanguinei necaverunt. Perſtringi hæc ſatis eſt, [2] quod & pridie prolixius mihi dicta ſunt, neque pro dignitate exequi copia eſt, & ne pugna raptim geſta diutius narrata quam confecta vi-

INTERPRETATIO.

a *Non tardior ad dimicandum, quam ad jubendum.*

b *Qui haſta valida dejecti ſunt, ex equis eorum pedibus proteruntur.*

NOTÆ.

citus latior eſſet, proindeque imbecillior, ſed ita numeroſus erat exercitus, ut latus eſſet, quamvis bene conſtipatus, & fortis robuſtuſque, quamvis in longam lineam extenſus.

1. *Hoc enim perſequi.*] Forte *hic enim &c.* ut Grutero placet.

2. *Cæleſtis exercitus.*] De quo ſupra n. 14. not. 1.

3. *Obumbrant.*] ὑποπίπτοντος Conſtantini acriter in acie confligentis.

1. *Dignum ignaviæ*] Ita reſtitui ex veteri codice poſt Acidalium & Livineium pro *dignum ignavia.*

2. *Quod & pridie.*] Lege cum Acidalio & Livineio *pridem* pro *pridie.* Ex hoc vero loco, itidem & ex ſtyli affinitate Claud. Puteanus inducitur ad credendum, hunc & ſuperiorem panegyricum eſſe Nazarii. In quo ei admodum aſſentior: recte enim quod hoc in loco ait Nazarius, ad nonum panegyricum videtur pertinere, ubi Maxentii clades fuſe deſcribitur.

deatur. O si nunc mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi! Adhiberem omnes flosculos, & abuterer exquisito quodam lepore ac venustate dicendi. Jam strepitus Martii, jam tubarum sonores festivis vocibus resultanti favore mutantur. Dicendus in Urbem ingressus est imperatoris; & in exprimendo senatus populique Romani maximo 5 gaudio, ingrata nisi & ipsa[a] lasciviat oratio. Nullus post Urbem conditam dies Romano illuxit imperio, cujus tam effusa tamque insignis gratulatio aut fuerit, aut esse debuerit; nulli tam læti triumphi quos annalium vetustas consecratos in literis habet.

XXXI. Non agebantur quidem ante currum vincti duces; sed incede- 10 debat tandem soluta nobilitas. Non conjecti in carcerem barbari; sed [1]educti e carcere consulares. Non captivi alienigenæ introitum illum honestaverunt; sed Roma jam libera. Nihil ex hostico accepit, sed seipsam recuperavit, nec præda auctior facta est, sed esse præda desivit, &, quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem majus potest, imperium recepit, quæ 15 servitium sustinebat. Duci[2] sane omnibus videbantur subacta vitiorum agmina, quæ Urbem graviter obsederant. Scelus domitum, victa perfidia, diffidens sibi audacia & importunitas catenata; furor vinctus, & cruenta crudelitas inani terrore frendebant: superbia atque arrogantia debellatæ, luxuries coercita, & libido constricta nexu ferreo tenebantur. Sequeba- 20 tur hunc comitatum suum [3]tyranni ipsius teterrimum caput; ac, si qua referentibus fides est, suberat adhuc sævitia, & horrendæ frontis minas mors ipsa non vicerat. Injiciebantur vulgo contumeliosissimæ voces. Nam & ludibriis oppressoris sui auspicari libertatem juvabat, & mira cum voluptate [a]conceptus e vita terror, insultatione interitus obterebatur. 25

XXXII. Quis triumphus illustrior? quæ species pulchrior? quæ pompa felicior? Dicam itaque, Imperator, quo uno satis mihi videor divinam gloriam tuam significaturus. Quot in illo turpitudinum notas extinxeras, tot in te laudum insulæ refulserunt. Fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem voluit, quominus [1]omnia quo odium ejus pervase- 30 rat, spectaculum tyrannici funeris expiaret. Ubique jam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat fama velox, & ad celeritatem nuncii pennata victoria; insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod ad ani-

INTERPRETATIO.

a *Libertas exultet.*

a *Et insultando* cæsum Maxentium, *obterebant metum, quem conceperant eo vivo.*

NOTÆ.

1. *Educti e carcere consulares.*] Huc pertinet illud Prudentii adversus Symmachum l. 1. 552. ad Romam. *Cum te pestifera premeret Maxentius aula, lugebas longo damnatos carcere centum, ut scis ipsa, patres.*

2. *Sane omnibus videbantur.*] Triumphalis Constantini post cæsum Maxentium in Urbem ingressus.

3. *Tyranni.*] Maxentii.

1. *Omnia quo.*] Malim *qua*, ut Bongarsio placet; vel *omnes quos*, ut vult Acidalius.

mum [2] languidius accedunt quæ aurium via manant, quam quæ oculis hauriuntur. Itaque tanti per Italiam concursus hominum excitabantur, tantæ ex oppidis effusiones, ut facile anteacti terroris testificatio in præsenti exultatione [3] luceret. Pari studio missum ejusdem tyranni ad permul-
5 cendam Africam caput, ut quam maxime [4] vivus afflixerat, laceratus expleret. Et [5] nondum satis tempestivo mari, affuerunt tamen navigantibus felices auræ, & fluctus secundi, beatissimamque victoriam ipsa etiam elementa juverunt. Caput, in quo titulus tantæ laudis circumferebatur, reddidit Tiberis, prosecuti sunt venti, maria servarunt. Quonam modo
10 te potens Africa, quanto lætitiæ fremitu, quam insolenti voluptate jactasti? nihil quippe est immoderatius quam post longam tristitiam repens gaudium. Impetu suo fervet; [a] nec ut primum liberum, continuo defæcatum, statim purum est. Nam ut fistulæ cum diu interceptæ sunt, exitu dato, quo largiores, eo crassiores aquas evomunt; sic vota hominum
15 metu interclusa turbide aliquid egerunt cum cumulata eruperunt.

XXXIII. Hæ victoriarum gratulationes. Nec minus uberes fructus reliquarum virtutum fuerunt. Implicatam quidem atque obsitam Urbem gravissimis malis evolverunt indefessa vis, atque eximia fortitudo: [1] sed quantum boni prudentia excogitavit, benignitas & clementia contu-
20 lerunt? Quorum quid magis juverit difficilis æstimatio est. Nam & calamitate obsessis, finis est voti miseria liberari, & mox vacuitas miseriarum parum grata est, nisi lætitia consequatur. Ita [2] pro se quæque officiis suis functæ fortitudo & liberalitas imperatoris, cumulatissimum Urbis beatitudinem [3] exhaurienda, & congerendis commodis reddiderunt. Facilior
25 quidem & multo proclivior lædendi quam commodandi semper est via,

INTERPRETATIO.

a *Nec statim atque lætitum est* gaudere, *continuo purum atque expurgatum est. Nam ut tubi, cum longum clausi fuere, aperto meatu, quo crassiores, eo magis turbidas aquas evomunt; sic vota hominum timore suspensa aliquid tumultuosum præ se ferunt, ubi pleno cumulo eruperunt.*

NOTÆ.

2 *Languidius accedunt.*] Horat. *Segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.*

3. *Luceret.*] Forte *eluceret.* Acidal.

4. *Vivus afflixerat.*] Pan 9. n 16. *Quippe omnis Africa, quam delere statuerat, exhausta.* Cur autem Maxentius in Africanos tantopere exarserit causam affert Zosimus l. 2. *quod perlatam in Africam ejus imaginem Africani milites prohibuissent circumferri, & quod insuper Alexandro favissent, qui ex Præfecto prætorio imperatoriam purpuram induerat, quo per Volusianum interfecto, quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant veluti Alexandri partium sectatores, aut necabantur, aut bonis spoliabantur.*

5. *Nondum satis tempestivo mari.*] Maxentii enim clades in 8. Kal. Octobris incidit.

1. *Sed quantum.*] Sed quantum ad splendorem Urbis contulit Imperatoris prudentia, dum ejus liberandæ rationes comminiscitur; tantum &c.

2. *Pro se quæque.*] Simile est illud Æneid. l. 12 552. *Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.* Piget plura ejusmodi exempla proferre.

3. *Exhaurienda.*] Adde *calamitate.* Nam sine hac voce, quæ nescio quomodo exci-

vulnerare integrum quam ſauciato mederi, [4] diſſipare rapta quam divulſa componere, ceſſit tamen rerum hæc conditio Principi noſtro. Nam quidquid mali ſexennio toto dominatio feralis inflixerat, [5] bimeſtris fere cura ſanavit. [b] Sanavit dico: redintegratio ſtatus priſtini, permulcendo dolori ſatis eſt, [6] non & arceſſendæ gratulationi, nec amplius poſtules quam ut 5 eum ſui non pœniteat, qui [7] ſolitario modo id egit ut recuperatis quæ amiſerat non doleret, non etiam ut novorum adoptione gauderet. Prætereo privatim reddita omnibus patrimonia, quos illa monſtroſa labes extorres domo fecerat, prætereo inquam, [c] quia vix ſufficit oratio facta publicitus explicare: quanquam cum ex ſingulis ſit coagmentata reſpublica, 10 & quidquid in eam confertur, ad omnes proportione permanat; & viciſſim neceſſe eſt quod ſigillatim omnes adipiſcuntur in commune reipublicæ redundare.

XXXIV. Jam illa vix audeo de tanto principe commemorare, quod nullam matronarum cui [1] forma emendatior fuerit [2] boni ſui piguit, cum 15 ſub abſtinentiſſimo imperatore ſpecies luculenta non incitatrix licentiæ eſſet, ſed pudoris ornatrix. Quæ ſine dubio magna, ſeu potius divina laudatio, ſæpe & in ipſis etiam philoſophis, non tam re exhibita, quam diſputatione jactata. Sed remittamus hoc Principi noſtro, qui ita temperantiam ingenerare omnibus cupit, ut eam non ad virtutum ſuarum decus ad- 20 ſcribendam, ſed ad naturæ ipſius honeſtatem referendam [3] arbitretur. Quid? faciles aditus, quid? aures patientiſſimas, quid? benigna reſponſa, quid? vultum ipſum auguſti decoris gravitate, hilaritate permixta, venerandum quiddam & amabile [4] renidentem quis digne exequi poſſit? Quarum

INTERPRETATIO.

b *Quid dico ſanavit? reſtitutio in priſtinum ſtatum ſufficit ad leniendum dolorem, non ad invitandam lætitiam, nec potes plus exigere, quam ut ſui ipſius non tædeat illum, qui recuperatis iis rebus, quas perdiderat ſolummodo id obtinuit; ut non doleret, non etiam ut lætaretur, acquiſitione novarum rerum.*

c *Quia par non eſt oratio commemorandis quæ populo attribuit, beneficiis. Quanquam cum ex ſingulis conſtet &c.*

NOTÆ.

dit, mutilus eſt ſenſus.

4 *Diſſipare rapta.*] Alii legunt *diſſipare parta.*

5. *Bimeſtris fere cura.*] Videtur Conſtantinus Romæ duos menſes ad componenda omnia commoratus, indeque Mediolanum, ac poſt in Germaniam conceſſiſſe.

6. *Non & arceſſendæ.*] Nonne ſatis erit ad gratulationem imperatori noſtro merendam?

7. *Solitario modo*] Pro eo quod eſt *ſolummodo*, vox poſterioris ævi.

1. *Forma emendatior.*] Id eſt, egregia, eximia. Cicero de amicitia: *mores emendati &c.* & Horat. l. 1 ep. 16. ad Quintium: *Cum pateris ſapiens emendatuſque vocari.*

2 *Boni ſui piguit.*] Suæ illam pulchritudinis piguit.

3. *Arbitretur.*] Ita reſtitui pro *arbitremur*, ſine qua emendatione, ut Acidalius notat, *βαρβαρίζει τὸ ſuarum.*

4. *Renidentem.*] An *renitentem*? Apud

rerum miraculo sic omnes devinciebantur, ut non tam omnes dolerent quod illum tyrannum ita diu tulerant, quam quod tali principe tam sero fruerentur.

XXXV. Longum est ex illo percensere beneficia principis, quæ[a] in
5 orbem sine modo redeuntia, contexta ejus benignitate fulserunt, ita infinita numero, commodis magna, ut nunquam [b]oblivione gratiam obducatura sit vel multitudo omnium, vel utilitas singulorum. Sensisti, Roma, tandem arcem te omnium gentium, & terrarum esse reginam, cum ex omnibus provinciis optimates viros [c]curiæ tuæ pigneraveris: ut senatus
10 dignitas non nomine quam re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret. Populi vero Romani vis illa, & magnitudo venerabilis, [d]ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrænis exultat, non abjecta languide jacet, sed sic assiduis divini principis moniiis temperata est, ut, cum ad nutum ejus flexibilis & tenera ducatur, [e]morigeram se non terro-
15 ri ejus præbeat, sed benignitati. Placidam quippe rerum quietem, & profundum Urbi otium gentes perdomitæ condiderunt.[f] Vacat remissioribus animis delectamenta pacis adhibere. Celeberrima quæque Urbis novis operibus enitescunt: nec obsoleta modo per vetustatem redivivo cultu insigniuntur; sed illa ipsa quæ ante hac magnificentissima putabantur nunc
20 auri luce fulgentia [g]indecoram majorum parsimoniam prodiderunt. Circo ipsi maximo sublimes [1]porticus, & rutilantes auro columnæ, tantum inusitati ornatus dederunt,[h] ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia quam spectaculi voluptate.

XXXVI. Tantorum Roma compos bonorum, quæ quidem ei sunt
25 cum toto orbe communia, haurit insuper ingentis spei fructum, quem propositum sibi ex [1]Cæsaribus nobilissimis habet, [2]eorumque fratribus, quorum jam nomina ipsa veneramur, etsi vota nostra interim proferuntur.

INTERPRETATIO.

a *Per circuitum sine fine revertentia, connexa vero per ejus bonitatem &c.*

b *Oblivionem allatura gratia.*

c *Tibi obstrinxeris.*

d *Ad speciem vetustatis restituta, non ex licentia effrænata lascivit.*

e *Non gubernatur ejus terrore, sed ejus benignitate.*

f *Fas est liberiore animo oblectamenta pacis usurpare.*

g *Arguant inhonestam majorum nostrorum parsimoniam.*

h *Ut illuc fiat concursus non minus ad visendum locum, quam spectaculi causa.*

NOTÆ.

Horat. l. 3. od. 6. *adjecisse prædam renidet.* Similiter apud Virgilium.

1. *Porticus.*] Nemini non notum Romæ insignes fuisse porticus bene multas: quarum aliæ duplices, ut ait Suetonius in Claudio, triplicesque, aut græco vocabulo tetrasticæ & pentastiæ a totidem ordinibus columnarum dicerentur. Pompeiana imprimis porticus commendatur.

1. *Cæsaribus nobilissimis.*] Crispo & Constantino.

2. *Eorumque fratribus.*] Constantem puta & Constantium, quorum nomina jam veneramur, etsi vota nostra differuntur, id est, etsi nondum asciti sunt in Cæsares.

[3] Nec Lacedæmoniis magis licuerit hoc instituto rempublicam tueri suam, cum regem nisi ex stirpe Herculis non haberent. Tuos, Constantine maxime, tuos liberos, ac deinceps nepotes tecum optat ut [4] tanto a pluribus petantur, quanto ad majora nascuntur. Declarant ecce rationem cupiditatemque votorum facta Crispi Cæsarum maximi, in quo velox virtus 5 ætatis mora non retardata pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit: cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plenæ possent videri, [5] nisi cœpisse & patrem cogitaremus. Qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorumque omnium fruitur aspectu, seque fruendum omnibus præbet. Cruda adhuc hieme iter gelu intractabile, immensum spa- 10 tio, nivibus infestum, incredibili celeritate confecit: ut intelligamus [a] [6] alacritatibus nihil asperum, qui ipsam quam a suis petebat tam laboriosam instituerit voluntatem.

XXXVII. Quæ tuum, Constantine maxime, mite pectus [a] inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, & [1] videre victo- 15 rem? Narravit utique exhausta bella, & hoc [2] ad suam gratiam, non ad sui ostentationem; qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplicanti. Audivit hæc [3] frater intentus, & puerilem animum spes læta & blanda gaudia titillarunt; cumque miraretur fratrem, [b] etiam sibi favit, quod ex annis ejus quam proximus tantæ gloriæ esset 20 agnovit. Nunc te, Constantine maxime, omnes rogamus, cum præsentem laudaveris, cum jam reipublicæ flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas revertentem, neque enim persuaderi facile potest, ut si quando armis vestris contusa barbaria aliquid tamen moverit, sit ille animo, sit consilio tui similis. [4] Temperet modo dextræ, 25 manui parcat, & sit aliquid, quæsumus, in quo te iterum nolit imitari. Te vero, Constantine Cæsar, incrementum maximum boni publici,

INTERPRETATIO.

a *Nihil vivido* ejus *animo* esse *difficile, qui prior habuerit illam voluntatem adeo strenuam, quam a suis militibus reposcebant.*

a *Perfudit.*

b *Etiam aliquid inde lætitiæ in se derivavit, quod ex annis Crispi cui* proximus erat ætate, *sensit quam propinquus esset tantæ laudi.*

NOTÆ.

3. *Nec Lacedæmoniis.*] Apud Lacedæmonios regum erant familiæ duæ, altera Eurysthenidarum ab Eurysthene ejus auctore, altera Proclidarum, a Procle: ambæ ab Hercule: quare Heraclidæ dicebantur. Sed de his supra *pan.* 2 *n* 9 *not.* 9.

4 *Tanto a pluribus.*] Supple *populis.*

5. *Nisi cœpisse, & patrem.*] Nisi subiret in mentem hæc fuisse sui patris initia. Vel si pro *patrem* legamus *partem*; sensus erit nisi veniret illud in mentem, partem esse tantum, cum quis ita incipit.

6. *Alacritatibus.*] In veteri codice est *alacritati.* Ego lubenter legerim *alacritati ejus.*

1. *Videre victorem.*] Non *victoriam* ut est in editione Puteana. Crispus autem de quo hic agitur anno Christi 320. vicit Alemannos.

2. *Ad suam gratiam.*] Alii legunt *sui*; alii *tui*, alii *tuam*, id est, ut tibi gratificetur.

3. *Frater.*] Constantinus.

4. *Temperet modo dextræ*] Sit omnia tui similis, modo instar militis manum cum

quibus votis amplectitur Romana felicitas ? quæ de te tantum expectat [5] quantum nomine polliceris : & licet ætas adhuc revocet ab imitatione virtutis paternæ, jam tamen ad pietatem ejus natura deducit ; jam maturato studio literis habilis, [c] jam felix dextera fructuosa subscriptione lætatur. Delegat multa indulgentissimus parens, & quæ [6] per te concedit, [d] referri ad gratiam tuam mavult.

XXXVIII. Quid igitur his temporibus fortunatius, cum beneficio Constantini maximi, qui [1] tam mature nobis Cæsares dedit, utamur [2] maximis eorum commodis, & integra ætas supersit ? Nihil imminuitur, & plurimum sumitur : ut, cum res largiter suppetat, spes tamen illibata permaneat. Quinquenniis igitur feliciter inchoatis, decennia Cæsarum nobilissimorum, ultra posteros nostros extendenda, quam impense rogare & orare nos conveniat, ipsis bonis temporum, & reipublicæ utilitatibus admonemur. Jacet [3] in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa barbaria : [4] Persæ ipsi, potens natio, & post Romanam magnitudinem in terris secunda, amicitiam tuam, Constantine maxime, non minus trepide, quam amabiliter petiverunt. Nulla in terris tam ferox natio est, quæ te non metuat, aut diligat. Omnia foris placita, domi prospera, annonæ ubertate, fructuum copia. Exornatæ mirandum in modum, ac prope de integro conditæ civitates. Novæ leges regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ. Veterum [5] calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudor tutus ; munita conjugia. Securæ facultates ambitione sui gaudent, [a] nec aliquis habendi quam plurimum metus ; sed in tanta bonorum affluentia magna verecundia non habendi. Hic denique status rerum est, [b] ut obtinendæ potius felicitatis votum geramus, quam augendæ cupiditatis. Unum modo est, quo fieri posset Roma felicior,

INTERPRETATIO.

c *Jam beata manus tua ad utiles subscriptiones adhibetur.*

d *Tibi acceptum referri mavult.*

a *Nec timet qui opibus abundat, sed potius in tanta bonorum copia pudor est iis carere.*

b *Ut optandum nobis potius sit, felicitatem perpetuam tenere, quam eamdem ampliorem habere.*

NOTÆ.

hoste non conferat, qua in re optamus ut deinceps iterum te nolit imitari.

5. *Quantum nomine polliceris.*] Alludit ad Constantini nomen, quod ductum videtur a *Constantia.*

6. *Per te concedit.*] Gruterus legit *per se concedit* : utrumvis elige.

1. *Tam mature.*] Cum Constantinus quintum, Crispus vero 15. annum ageret.

2. *Maximis eorum commodis.*] Quæ nunc veluti præcoces fructus in antecessum percipimus, & cum maturam ætatem attigerint, supersint nobis commoda, quæ ab illa ætate solent percipi omnino integra, quasi si nihil ante acceperimus.

3. *In latere Galliarum.*] Id est, ad Rhenum : mox in *sinu tuo*, id est, in media Germania. Alii legunt *sinu suo.*

4. *Persæ ipsi.*] Persæ legatos ad Constantinum miserunt de petenda ejus amicitia.

5. *Calumniosæ ambages recisæ.*] Hoc de

maximum

maximum quidem, sed tamen solum, ut Constantinum, conservatorem suum, ut beatissimos Cæsares videat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, ut vos alacris excipiat; & [c] cum reipublicæ ratio digredi fecerit, receptura dimittat.

INTERPRETATIO.

c *Cum republica utilitas vos compulerit inde discedere.*

NOTÆ.

Constantino referunt, Aurel. Victor & Euseb.

AD PANEGYRICUM XI.

VITA

FL. CLAUDII JULIANI.



Anno V. C. 1084. *Christi* 331. *Constantini Magni imp.* 26.

FLAVIUS CLAUDIUS JULIANUS, cognomento Apostata, quod a Christiana religione, quam adolescens professus erat, rerum potitus fœdissime defecisset; patre Constantio Constantini Magni fratre, matre Basilina nobilissima fœmina Christiana, secunda Constantii uxore 8. Idus Novemb. nascitur Constantinopoli. Mater paucis post mensibus excessit e vita *Julianus in Misopogone.*

An. V. C. 1090. *Christi* 337. *Constantini, Constantii, & Constantis Augg. imp.* 1.

Constantius, ejusque frater Annibalianus, ac Dalmatii eorum fratris filius Dalmatius Cæsar, quos Constantinus Magnus purpurea aureaque veste & nobilissimatus titulo donaverat, in seditione militari opprimuntur, vel instigante, vel dissimulante certe Constantio Augusto: sive ut tutius imperaret: sive ut Constantino patri porre-

ctum, uti suspicabatur, ab iis venenum vindicaret. Vix Julianus & Gallus ejus unicus frater tum duodennis, parem sortem effugere. Hic quidem quod propter incertam ac pene affectam valetudinem haud diu victurus crederetur : ille vero quod adhuc puer : nam ut ex tempore ejus obitus apparet, quinquennium haud multum excesserat.

An. V. C. 1092. *Christi* 339. *Constantini, Constantii, & Constantis Augg. imp.* 3.

Altero post anno cum nonnulli ad excitandas seditiones Juliani & Galli nomine abuterentur, uterque abductus in Cappadociam, in Macello (locus erat ad Argeum montem non longe a Cæsarea plane regius) ad liberales artes & sacrarum literarum cognitionem instituitur : quo in secessu totos sex annos arctissime custoditi quomodo refert : (*Jul. ep. ad S. P. Q. ATH.* neque enim ad eos cuiquam erat aditus) tantum profecere, ut facti clerici libros ecclesiasticos populo prælegerent. Hic vero cum ambo S. Mammæ Martyris Basilicam suis sumptibus extruarent, Gallus quidem ut suam pietatem ostentaret; Julianus vero ut impietatem, id est, ut ejuratam jam animo Christianam religionem dissimularet apud Constantium; factum est ut Galli opere procedente, Juliani opus terræ motu disjiceretur. Quod ubi ad Constantium allatum est, sinistrum illorum pietatis omen ratus, vehementer utrique succensuit. *Gregor. Nazianz. in orati. Sozomen. Zonar. Cedrenus, &c.*

An. V. C. 1098 *Christi* 345. *Constantii & Constantis Augg imp.* 9.

Postquam Constantii, qui in expeditione Pontica parum feliciter erat occupatus, ira tantisper deferbuisset, Gallus Ephesum mittitur, qua in urbe permagnæ res ipsi erant a majoribus relictæ. Julianus ad publicas scholas Constantinopolim evocatur. In hac totius terrarum orbis luce Nicoclis, Lacedæmonii Grammatici, & Ecebolii Sophistæ opera trium circiter annorum spatio adeo profecit, ut idoneus regendo imperio palam diceretur. Qua re conturbatus Constantius, ne quid turbarum ejus occasione in urbe imperii primaria excitaretur, Julianum ocyus commigrare jubet.

An. V. C. 1101. *Christi* 348. *Constantii & Constantis Augg. imp.* 12.

Constantio Aug. adversus Persas occupato, Julianus Nicomediæ Eusebio hujus civitatis episcopo Ariano affini suo instituendus traditur. Prohibitus vero ne ad Libanium Sophistam Gentilitiæ superstitionis defensorem acerrimum se applicaret, primum in ejus lectitandis libris clam totus est : tum factus hac lectione audacior & superstitionis cupidior ad eum se confert palam. Veniunt illico ad eum Jamblicus & Maximus insignes magi, qui jam eo plus æquo propensum Juliani animum ita suis præstigiis deliniunt, ut ab eorum latere non discederet. In primis Maximo delectatus, quod spem ei injecisset imperii. Id relatum est ad Constantium : quod ubi sensit Julianus, inter metum & spem positus capite tonso, ut alienum ab imperio animum significaret, vitam monasticam simulavit, & in ecclesia Nicomediensi lector designatus est.

An. V. C. 1104. *Christi* 351. *Constantii Aug.* 15.

Gallus Juliani frater Cæsar fit idibus Martiis, & Constantius Gallus appellatur. Huic, cum tota Orientis præfectura, Constantia Constantii soror in conjugem datur. Interim cum Julianus evocandis dæmonibus & spectris, ac belluarum visceribus perscrutandis, aliisque hariolorum mysteriis in dies magis ac magis duceretur: relicta Nicomedia Asiæ reliquas partes lustravit, magicæ professionis homines, quos ibi rumor erat esse plurimos, quæsiturus Ac primum Ioniam, tum bis intra menses duos Phrygiam, quamvis ex morbo ob itinerum laborem contracto plane imbecillus, ac demum Græciam circumcursat, ut ipse ait *in ep. ad Themist.*

An V. C. 1106. *Christi* 353. *Constantii Aug* 17.

Hoc anno Gallus seu propter suspicionem ambiti imperii, seu propter parratas Antiochiæ cædes, a Constantio in Italiam per Domitianum quemdam evocatus, ipsoque Domitiano, quod Gallum superbius compellasset, ab ejus militibus occiso, Gallus in Italiam venit. At Constantius Julianum quoque imperii cupiditate

adhuc flagrare suspicatus; seu quod Gallus in Orientem proficiscens Juliani clam visendi gratia (ut ait *Socrates*) Nicomediam diverterat, seu quod Julianus in Asiam demigrans Constantinopoli transierat quo fratrem Gallum ibi videret, ut inquit *Ammianus*. Ut ut est, custodiri ibi illum jubet. At ille cum posse se e custodum manibus aufugere videret, locum subinde commutans evasit. ita refert *Socrates*.

An. V. C. 1107. *Christi* 354 *Constantii Aug.* 18.

Post Constantiam Galli uxorem in Bithynia febri extinctam, ac Gallum in Illyrico in insula Flanona peremptum, *ut ait Ammianus*; Julianus parem sortem veritus, Mediolanum, ubi Constantius, inito cum Alamannis fœdere e Germania reversus, versabatur, contendit. Hic in suburbio, vel ut alii volunt Novocomi dum lateret, impetrata sibi per Eusebiam Augustam apud imperatorem dicendi licentia, plane se purgat. Quare domum redibat victor, & quidem ab Eusebia deductus honorifice, cum itinere illo nescio quo casu impedito rursum in Græciam mittitur, quam quidem relegationem omnes interpretabantur, *Julian. ep. ad Themist. & ep. ad S. P. Q. ATH.* Ipse vero beneficii loco idipsum Eusebiæ referebat acceptum: sive, ut ipse aiebat, studiorum causa, seu potius quod averet cum regionis illius sacrificulis & impostoribus de rebus suis communicare *Nazianz. orat.* 1. *in Jul. Sozom.* Gregorius Nazianzenus Julianum Athenis intuitus. *Quale*, inquit, *malum Romanorum terra nutrit*? nec vanus conjector fuit.

An. V. C. 1108. *Christi* 355. *Constantii Aug.* 19. *Juliani ætat.* 24.

Cum barbari aduersus Magnentium & Britannionem a Constantio evocati (ut refert Sozomenus) popularentur Gallias atque adeo plus 45. oppida Ammiano teste occupassent, Constantius haud satis tutum ratus, ex Italia secedere, Julianum Athenis, ubi philosophum agebat, revocatum Cæsarem facit 8. id. Novemb. simul ad firmandam fidem, sua ei sorore Helena paucis post diebus in conjugem data, ipsum transalpinis præfectum, in Gallias vel imperatoris imaginem laturum, ut ait Julianus ipse, vel potius adversus barbaros dimicaturum mittit. Igitur cum 360. tantum militibus, ut ipse ait *ep. ad S. P. Q. ATH.* quibus ita præerat, ut nihil sine ducum consilio agere posset, Kal. Decemb. *egressus deductusque ab Augusto ad usque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum itineribus rectis Taurinos pervenit*, ubi audito nuncio *Coloniam Agrippinam pertinaci barbarorum obsidione reseratam & magnis viribus deletam*, agnovit quantum accepta hac provincia sese in discrimen conjecisset. Ipseque dictitabat *nihil se amplius assecutum, quam ut occupatior interiret*, & illud Homericum, de die quo purpuram sumpserat, Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή, *cepit purpurea mors & parca violenta*. Viennam inde ad Rhodanum progressus magno omnium populorum concursu & acclamatione exceptus est. *Tunc anus quædam orbata luminibus, cum percunctando quinam esset ingressus, Julianum Cæsarem comperisset, exclamavit hunc deorum templa reparaturum*. Ammianus. Cujus præsagii fidem rei eventus non multo post confirmavit, cum factus imperator non jam de nocte & clanculum, sed palam ejurata Christiana religione gentilitatem professus est.

An. V. C. 1109. *Christi* 356. *Constantii Aug.* 20. *Juliani ætat.* 25.

Constantius in urbem triumphanti similis regreditur; Julianus vero hoc anno consul, hyeme Viennæ exacta in barbaros movet: ac primum 8. *Kal. Julias Augustodunum pervenit cum cataphractariis solis & Balistariis Autosiodorum & Tricassas derepente occupat.* Inde per Remos ubi ab Ursicini successore Marcello atque adeo Ursicino ipso cum toto exercitu expectabatur, ad Decempagos Rhenumque properat, *ubi Brotomagum* (*Alsatiæ* urbem hodie *Brumt*) *Tabernas*, *Alisonem*, *Nemetas sive Spiram*, *Vangionas hodie Vormatiam*, & *Moguntiam recipit*. Nullo itaque post hac repugnante occupatam *ut aiunt Ammianus & Jul. ep. ad S. P. Q. ATH.* ante menses 10. a barbaris Agrippinam circa Septembris finem recuperat, territos Francos ad pacem petendam adigit. *Quibus vincendi principiis latus Julianus, per Treviros transit hyematurus apud Senonas, oppidum tunc opportunum.* Ammianus. Hic potentissimum

ut ipse ait *ep. ad S. P. Q. ATH.* exercitum ipse cum paucis militibus, cum nihil auxilii sibi a Marcello magistro eqnitum mitteretur, post menstruam obsidionem dissipat. At Marcellus Mediolanum; ubi Constantius versabatur, ut facti sui redderet rationem evocatus, abdicatur imperio & Sardicam quæ patria ejus erat ablegatur, *eadem epist. ad S. Q. P. ATH.*

An. V. C. 1110. *Christi* 357. *Constantii Aug* 21. *Juliani ætat.* 26.

Dum Julianus 11. consul sese contra Germanos accingit. Lugdunum ab iis invaditur, unde tamen haud multo post expelluntur. Idem tres Tabernas munimentum Argentorato proximum ad Vogesi radices non ita ptidem subversum instaurat; septem totius Germaniæ potentissimos reges, Chonodomarium, Vestralpum, Urium, Ursicinum, Serapionem, Suomarium & Hortarium una ingenti difficillimoque prælio profligat in campis Argentoratensibus. *Ammian.* Julianus captivos bene multos ad Constantium mittit, qui eorum specie & magnitudine perculsus est. *Ex Alamannis sex*, non 60. ut male ait Zosimus, *millia corporum numerata sunt in campo prostrata, & inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.* Ex parte Juliani 247. desiderati sunt. Francorum rex Chodonomarius in pugna, ut ait Victor; vel ut Ammianus, in convivio per dolum captus, *Juliano oblatus, hinc ique fusus, veniam rogans, diebus postea paucis ad comitatum imperatoris,* Constantii, *cum ille e Quadis, Sarmatisque Istri accolis commode rediret, statim submissus est Romam,* & (ut addit *Julianus ep. ad Athen.*) *in castris montis Cœlii Peregrinis morbo veterni consumptus est.* Victor Julianus iterum ad Tabernas ac Moguntiam venit, Transrhenanos vastat, æquinoctio Autumnali eos ad pacem petendam adigit, Francos a Mosa tepellit, ac tandem Parisiis hyemat.

An. V.C. 1111. *Christi* 358. *Constantii Aug.* 22 *Juliani ætat.* 27.

Julianus sub mensem Julium Salios, Frisios, Hattuarios, Chamavos, & Bructeros, qui sedem sibi in Romano solo fixerant, ibique grassabantur, terret, & in deditionem accipit: iis agros assignat: castella ad Mosam eversa restituit. *Ammianus.*

An. V. C. 1112. *Christi* 359. *Constantii Aug.* 23 *Juliani ætat.* 28.

Julianus iterum in Alamannos proficiscitur trajecto ad Moguntiam Rheno, hosti bus nequicquam transitum custodientibus; & Macrianum, Hariobaudum & Vadomarium reges ad pacis conditiones petendas compellit. Hic varia custodibus Rheni militibus alendis horrea constituta.

An. V. C. 1113. *Christi* 360. *Constantii Aug.* 24. *Juliani ætat.* 29.

Julianus tertium consulatum gerebat cum Constantius ejus gloriæ invidens per Decentium tribunum & Notarium Herulos, Batavos, Celtas, aliasque auxiliares copias ad se revocavit, quibus adversus Persas uteretur. At illæ: seu Constantii odio, aut Juliani amore, aut arte: seu quod transmarinam militiam detrectarent. Julianum invitum, ut ipse ait, Augustum acclamant Parisiis. Is statim legatos Constantinopolim ad Constantium cum literis mittit, quibus facti sui rationem redderet. Hi apud Cæsaream Cappadociæ superbe accipiuntur a Constantio. Quare Julianus Trajectum ad Mosam abit, deinde Hattuarios Galliarum extrema vastantes & securos, quod se locorum aditu difficilium præsidio munitos crederent, opprimit, & ad pacem petendam adigit. Tum Viennæ hyemat, & quinquennalia celebrat. Ibi ejus uxor Helena obit, ejusque corpus Romam mittitur. Interim Julianus diffidens futurum unquam ut Constantius placaretur, statuit aperto Marte imperium totum occupare. Itaque scriptis ad diversas civitates literis, quibus ut sibi fideles essent commoneret, in Pannoniam venit contra Constantium dimicaturus.

An. V. C 1114. *Christi* 361. *Constantii Aug.* 25 *Juliani ætat.* 30.

Constantio Augusto in expeditione Persica prope Tarsum 3. nonas Oct. mortuo, Julianus Constantinopolim Alamannis iterum victis, ordinatisque Galliis recta contendit: ex imperii primariis, amicisve Constantii alios nece, alios mulctat exilio. Episcopos exules revocat, atque ut

mutuis dissidiis sese affligerent, quam quisque vellet sectam sequi permittit. Christianam religionem palam ejurat; nec minus crudeliter quam callide insectatur; gentilium templa reserat reficitque, & ipse in Pontificem maximum profanis ritibus consecratur.

An. V. C. 1115. *Christi* 362. *Juliani imp.* 1. *ætat.* 31.

Ad Julianum variæ undique legationes adveniunt. Ipse contra Persas proficiscens Nicomediam & transgressus Antiochiæ hyemat. Hic irrisus ab Antiochensibus in primisque jactis in ejus barbam quæ plus æquo prolixior erat dicteriis iratus primum est; tum satyrico & jocorum pleno libello quem *Misopogonem*, id est osorem barbæ inscripsit, eos perstrinxit; in quo perpetua ironia videtur non eorum luxum & mollitiem, sed se ipsum accusare quod eos imitari non posset. Mamertinus consul gratiarum actionem agit imperatori pro consulatu quem hoc anno gessit cum Nevita. Julianus Athanasium in exilium mittit Arianis ita deprecantibus. Christianos liberalium artium doctores ita insectatur, ut Prohæresius, quamvis in edicto nominatim exceptus, Musonius, & Marius Victorinus Scholam deseruerint. Themistium vero philosophum, Libanium Sophistam, Oribasium, Pergamenum quendam medicum, Maximum Cynicum, Ecebolium Sophistam, aliosque impiæ gentilitatis professores summis honoribus insignit.

An. V. C. 1116. *Christi* 363. *Iuliani imp.* 2. *ætat.* 32.

Julianus IV. consul adscito in collegam Salustio idolorum cultu sibi conjunctissimo post hyemem Antiochiæ transactam, pridie nonas Martias inde digressus, Euphratem trajicit 7. idus Aprilis & urbibus aliquot in itinere expugnatis, Ctesiphontem pervenit: ubi cum pugna commissa esset ipse in promiscua turba sagitta transfoditur 6 Kal. Jul. A quo vero vulneratus fuerit in dubio est. Utrum a Persa transfuga, ut est in epitome Victoris, an ab uno e suis, ut ait Ammianus, an a Christiano, ut habet Libanius, an a Dæmone ipso, ut tradit Callistus Juliani satelles, qui ejus res gestas carmine heroico conscripsit, an ab Angelis, ut refert Gregorius Nazianzenus, an demum a Mercurio Martyre, ut Damascenus asserit ex Helladio, cui socium Artemium martyrem addit Nicephorus. Certe, inquit Gregorius Nazianzenus, vulnus universo orbi salutare Julianus accepit; hacque morte iis omnibus, quos per summam crudelitatem interfecerat, litavit. Simul ac mortifero vulnere sauciatum se sensit, exceptum plena manu sanguinem in cœlum projiciens: *Vicisti*, inquit, *Galilæe*: sic Christum per ludibrium appellabat. *Ita Theodoretus.* Et, *Saturare Nazarene.* Ita *Nicephorus.* Statim *relatus in castra hiante latus suffossi lateris vulnere & spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua quam petiit, medio noctis defecit anno ætatis* 32. cum annum unum & menses circiter septem ab extincto Constantio imperasset. Hæc *Ammianus.* Ceterum hujus corpus Tarsum Ciliciæ delatum magna populorum mortuo illudentium cavillatione, ibique conditum est, si Ammiano credimus: si vero Gregorio Nazianzeno fides est, a terra ipsa, quam Julianus sceleribus suis inquinarat excussum, in mare projectum est.

Fuit excellenti & amœno, sed levi, vafro, vana deorum superstitione & magicis artibus depravato ingenio, philosophicam quandam gravitatem affectans, ac sophistarum grege semper stipatus. Homo loquax & scurrili dicacitate, ac populari auræ præter modum serviens. Ita superstitiosus, ut etiam Jamblico philosopho, quem Mercurium appellabat, tanquam Nicomediæ tutelari deo faceret. Ceterum omni literarum genere excultissimus, ac linguæ in primis Græcæ peritissimus, liberalis, opum, luxus, & voluptatum contemptor, belli & pacis artibus præstans, laboris & inediæ patiens, felix, justus, præterquam in Christianos, quos omni genere crudelitatis vexabat, literarum literatorumque amantissimus, nisi si Christiani forent.

DE AUCTORE,
PANEGYRICI
ET QUO TEMPORE AC LOCO HABITUS SIT.

MAmertinus a Juliano Augusto consul factus hac oratione principi gratias agit. Pronunciata est anno Christi 362. cum, ut ex fastis apparet, consulatum gereret Nevita collega. Quis porro Mamertinus ille fuerit, ex qua patria oriundus, nullibi, quod sciam, proditum est. Ego facile putem hunc Messana oriundum fuisse, sic enim Messanenses propter Mamertinos hospitio exceptos dicti sunt Mamertini. Ejus mentio fit in variis locis apud Ammianum l. 6. l. 21. l. 23. Atque etiam ipse de se non semel loquitur hoc in Panegyrico; ex quibus locis omnibus constat Mamertinum præfectum ærario fuisse, tum præfectum prætorio per Illyricum, in cujus provinciæ administratione peculatus reus, absolutus est, ac tandem a Juliano consul factus. An vero Mamertinus hic, idem fuerit, atque ille cui panegyrici 2. & 3. Maximiano dicti attribuūtur, neque velim affirmare, ut ad hos panegyricos observavi, propter spatium septuaginta annorum inter illorum & hujus panegyrici tempora: neque ausim prorsus negare, nam tum cum hanc orationem dixit admodum senex fuisse videtur, ut constat ex paneg. n. 17. *Sed a teneris annis ab ætate puerili, ad hanc usque canitiem consulatus amore flagravi.*

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. *Reddit rationem cur pro præfectura ærarii & Prætura cum Juliano imperatori gratias huc usque non egerit, id agere consul aggrediatur. Quod nempe in prioribus dignitatibus imperator aut sua aut publicæ utilitatis rationem habere videri potuerit; In consulatu vero dando ejus tantum, cui datus est.*

DISTRIBUTIO. *Prima hujus orationis parte imperatoris virtutes recenset, altera pro accepto consulatu gratias agit.*

I. PARS. *Perstringit ejus victorias, receptas ejus virtute Gallias, subactam pene omnem barbariam*, n. 3. *Iterum de Gallis tum a barbarorum vastitate, tum a judicum quibus subessent tyrannide & avaritia ereptis, deletos Germanos, jus restitutum, emendatos ejus virtutum exemplo mores*, n. 4. *Quæ omnia mirum quantum a Iuliano Constantium alienarint*, n. 5. *Iulianus in medio Illyrici sinu derepente adest, hic & ubique victor*, n. 6. *Istrum navibus transcurrit barbarorum terrore tanto, ut supplices veniam petant*, n. 7. *Ad Adriam, Tyrrhenum, Mæotidem pugnat & vincit, Nicopolim instaurat, Eleusinam & alias Macedoniæ, Illyrici & Peloponnesi civitates restituit*, n. 9. *Patiens laboris bellici, castrensi cibo contentus*, n. 12. *Sibi asper, in alios facilis, sibi parcus, in alios liberalis*, n. 11. *Castus, in castris perpetuus*, n. 13. *Sic peragrata victoriis Thracia de sublevanda Urbis annonæ penuria cogitat*, n. 14.

II. PARS. *Imperatoris in se beneficium amplificat, quod consulatum*

acceperit non meritus, quod in summa virorum bonorum copia, quod minorem magistratum petens, quod sine largitionibus & ambiendi labore, quod in tenui re & ambiendi ignarus, voti compos fieri nunquam potuisset, n. 15. *Quod uno eodemque anno ærarii publici cura, præfectura, & consulatu insignitus sit*, n. 22. *Redit ad commemorationem virtutum Imperatoris, cujus in fovendis literis, revocandisque artibus studium commendat*, n. 23. *in omnium animis sibi conciliandis industriam*, n. 25. *in eligendis amicis prudentiam, in eosdem fidem*, n. 26. *in summo honorum apice modestiam, in condonandis injuriis clementiam*, n. 27. *ac præcipue singularem in se & collegam humanitatem.*

IN FINE. *Denique accepti a tanto Imperatore beneficii nunquam futurum se immemorem pollicetur*, n. 31.

MAMERTINI
PRO CONSULATU
GRATIARUM ACTIO
JULIANO AUGUSTO.

I. ETsi scio te, Imperator, & cunctos [a] qui consilium tuum participant posse mirari, quod nunc demum gratias agere exorsus sum, quasi beneficia in me tua [1] cœperint a consulatu: fatebor tamen [b] quod ingenii (cujus me pœnitet) conscius, etiam nunc tacere voluissem, & prorumpens licet hujus muneris gaudium intra arcanæ lætitiæ conscientiam coercere. Sed sive errorem nostrum, sive consilium congesta & coacervata in unum beneficia vicerunt; atque in id redegerunt [c] necessitatis ambiguum, ut mihi aut indiserti, aut ingrati esset fama subeunda: malui eloquentiam potius quam pietatem erga te officiumque meum desiderari. Et sane in his honoribus quibus me prius honestaras, minor esse causa ad agendas gratias videbatur. Nam cum me [2] ærarium publicum curare voluisti,

INTERPRETATIO.

a *Qui tibi sunt a consiliis.*
b *Quod conscius* tenuitatis *ingenii mei cujus me piget.*
c *Necessitatis angustias.*

NOTÆ.

1. *Cœperint a consulatu.*] Jam Mamertinus ærarii præfecturam a Juliano Augusto acceperat, jam Prætorio per Illyricum præfectus fuerat; cum consulatus veluti tot honorum cumulus accessit. Quare infra n. 21 *Cum me propter tantillum innocentiæ meritum uno in anno ter videat honoratum.*

2. *Ærarium publicum.*] Id est, publicam pecuniam, quam non sine causa in Satur-

cum quæreres virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me, [3] qui tibi viderer ejusmodi, delegisti: idque eo tempore quo exhaustæ provinciæ partim deprædatione barbarica, partim non minus exitiabilibus quam pudendis præsidentium
5 rapinis ultro opem imperatoris exposcerent, milites sæpe anteactis temporibus ludo habiti cum præsens stipendium flagitarent, quoquo modo videbar honorem onere pensare. At cum me [4] prætoriis præfecisti, & provincias de te egregie meritas meæ fidei tutelæque mandasti, ingens judicii tui fuit munus; [d] sed in eo non mihi solum, quem tanta potestate succinxe-
10 ras, verum etiam negotiis tuis commodasse aliquatenus videbare.

II. Porro in decernendo consulatu remotis utilitatibus tuis rationem meæ solum dignitatis habuisti. Nam in administrationibus labor honori adjungitur: in consulatu honos sine labore suscipitur. In illis si læteris, cupidæ ambitionis esse videaris; in hoc nisi aperte & propalam læteris, in-
15 gratus sis. Huc accedit quod ipsa [1] hæc urbs, atque hoc augustissimum consilii publici templum officium hujus orationis efflagitant. Hæc tibi, nominis novi, sed antiquissimæ nobilitatis, civitas est patria: [2] hic primum editus: hic quasi quoddam salutare humano generi sidus exortus. Hi cives & populares tui silere me non sinunt, nec patiuntur ut quisquam
20 alius [3] auspicatissimo die apud te, ac de te loquendi munus usurpet, quam is qui amplissimo sit præditus magistratu. Putant aliquid adjicere ad splendorem laudum tuarum consulis nomen, & recte putant. Adjicitur enim laudum dignitati honore laudantis. Ac licet, maxime Imperator, publico judicio & nomine agere tibi gratias debeam, tamen illa quæ pro summa

INTERPRETATIO.

d *Sed ea in re non mihi tantum, quem tanta præfectura cohonestaras, sed etiam rebus tuis servisse aliquo modo videbaris.*

NOTÆ.

ni templo repositam esse observavimus in Plinii panegyrico n. 36. not. 1. Ærarii præfectos ab Augusto primum institutos addunt, *Suetonius in Augusto c. 49.* & *Dio. l. 55.*

3. *Qui tibi viderer ejusmodi.*] Vere, an injuria? haud scio Mamertinum peculatus reum ab Avitiano delatum tradit Ammianus l. 27.

4. *Prætoriis præfecisti.*] Ante Constantini tempora præfectus prætorio dicebatur, qui militibus iis præerat, quos imperator in sui custodiam allegerat. Postquam vero prætoriæ cohortes pro Maxentio turbas excitassent, post cæsum tyrannum, hæc dignitas penitus a Constantino sublata est, & orbe Romano in quatuor partes seu diœceses diviso, quatuor præfecti prætorio creati, qui singulis præessent: quorum unus prætorio Galliarum, alter prætorio Italiæ, tertius prætorio Illyrici, quartus prætorio Orientis præfectus dicebatur. Mamertinum præfectum prætorio per Illyricum fuisse ait Ammianus l. 22.

1. *Hæc urbs.*] Constantinopolis novo nomine appellata, quæ olim *Byzantium* dicebatur.

2. *Hic primum editus.*] Julianus Augustus Constantinopoli natus est anno Christi 331. octavo Idus Novembres.

3. *Auspicatissimo die.*] Kal. Januarii, quibus Mamertinus una cum Nevita collega consulatum auspicabatur.

re domi

re domi forisque gessisti, nunc ex parte maxima prætermittam: ut[4] quantocyus ad ea quæ propria sunt, perveniat oratio.

III. An ego nunc[1] receptas virtute tua Gallias,[2] barbariam omnem subactam pergam quasi nova & inaudita memorare, quæ in hac Romani imperii parte gloriosissima sint famæ laude celebrata, in tantum ut[3] fratris imperatoris mererentur invidiam? quid enim a te aliud[4] consortis imperatoris alienavit animum, nisi gloriæ tuæ splendor? Testor immortalem deum, testor [a] ad vicem numinis mihi sanctam conscientiam meam, me multa constanter in hac urbe fuisse dicturum de his quæ adversus optimum imperatorem inclementer & impie cogitata atque suscepta sunt, [5] si etiam nunc hominum cœtus Divus Constantius frequentaret. Nunquam profecto liberi civis, & boni senatoris officio defuissem, quominus redarguerem, & convincerem eas illi in te odii fuisse causas[b], quæ amoris inflammatrices & fidei obsides esse debuerunt.

IV. Florentissimas quondam antiquissimasque[1] urbes barbari possidebant, Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat. Porro aliæ quas a vastitate barbarica terrarum intervalla distulerant judicum nomine a nefariis latronibus obtinebantur; ingenua [2] indignis cruciatibus corpora; nemo ab injuria liber, nemo intactus a contumelia, nisi qui crudelitatem prædonis [a] pretio mitigasset: ut jam barbari desiderarentur, ut præoptaretur a miseris fortuna captorum. In hoc statu Imperator noster Gallias nactus minimum habuit adversus hostem laboris atque discriminis, una acie Germania universa deleta est,[3] uno prælio debellatum, sed emendatio morum, judicio-

INTERPRETATIO.

a *Et dei loco.*
b *Quæ ad amorem & fidem obstringere te debuissent.*

a *Data pecunia lenisset, ita ut optarent se in barbarorum* servitute *esse, & miseriæ* suæ *præponerent captivorum sortem.*

NOTÆ.

4 *Quantocyus.*] Citissime.

1. *Receptas.*] Ereptas ex barbaris, qui a Constantio Augusto contra Magnentium evocati, cum nulli usui ad eam rem esse se viderent, Gallias populabantur. *Sozomen. l. 5. c. 2.* Jamque oppida ferme 45. ceperant, inquit Julianus.

2. *Barbariam omnem.*] Francos in primis ac Germanos omnes.

3. *Fratris imperatoris.*] Constantii Augusti, quem Juliani fratrem vocat, seu quod patrueles essent, id est, eundem haberent avum Constantium, seu quod Julianus Helenam Constantii sororem duxisset.

4. *Consortis imperii.*] Constantii.

5. *Si etiam nunc.*] Si viveret adhuc Constantius. Is autem ante annum obierat tertio nonas Octob. prope Tarsum, cum adversus Persas proficisceretur.

1. *Urbes.*] 45. Si Juliano credimus, *atque adeo Burgis, & castellis minoribus omissis. Reliqua vero Gallia barbarorum populationibus & excursionibus vastata erat & inculta.*

2. *Indignis cruciatibus.*] Adde *suberant*, vel *lacerabantur*: quam ultimam vocem excidisse suspicatur Livineius. Aut lege cum Acidalio. *Ingenui indignis oneribus correpti.*

3. *Uno prælio.*] In campis Argentora-

rumque correctio & [b] difficile luctamen, & periculi plenum negotium fuit. Nam ut quisque improbissimus erat, ita maxime Cæsaris rebus inimicus, vitandis legum pœnis de novo scelere remedia quærebat, & quia defendere admissa flagitia non poterat, in [c] ultorem juris invidiam con-
5 gerebat. Et cum sancti Principis mores atque instituta falsarum opinionum, vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem [d] [4] laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illa jactantes, Julianus Alamanniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis & cineribus excitavit. Illæ provinciæ ob-
10 sessæ, expugnatæ, ferro igníque vastatæ beatiores sunt his oppidis quæ habet sine hoste Constantius. [5] Æstates omnes in castris, hyemes in tribunalibus degit. Ita illi anni spatia divisa sunt, ut aut barbaros domitet, aut civibus jura restituat, perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen.
15 V. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis & gloriæ refutarentur. Invenerunt accusandi genus quod nullus refelleret. Sed quid, oro vos, Principem nostrum facere debuisse censetis? Romanas urbes hostibus dederet, ne animum fratris offenderet? Pro-
20 vincias firmissimas, utilissimasque reipublicæ sub obtutibus suis vexari ac diripi fineret, ne quid Augustus quod nollet audiret? Flagitiis administrantium non modo frena laxaret, sed etiam stimulator accenderet, ne inter principes faceret morum dissimilitudo discordiam? Nobilem [1] Etruriæ adolescentem ferunt, cum propter eximiam formæ dignitatem multa-
25 rum in se fœminarum amores excitaret, faciem suam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus sauciasse. Sed facile fuit juveni dignitati corporis decorem animi præponenti & candorem decolorare, & oris nitorem alte impressis cicatricibus [2] devenustare. Num aliquid hujusmodi adversus amo-

INTERPRETATIO.

b *Arduum opus.*
c *Invidiam conflabat* huic *æquitatis vindici.*
d *Laudandi specie obtegebant.*

NOTÆ.

tensibus dato, ubi Julianus cum paucis militibus septem totius Germaniæ potentissimos reges cum numerosissimo eorum exercitu plane profligavit. Ex barbaris cæsa sunt 6. ut vulgo aiunt, aut ut asserit Zosimus 60. millia; captus Francorum rex Chodonomarius, & cum innumera captivorum manu ad Constantium abductus est.

4. *Laudum titulis peragebant.*] Quasi amoris specie laudabant Julianum, sed revera ut bilem moverent Constantio, quo obtrectatorum genere nullum est malevolentius.

5. *Æstates omnes.*] Id de Juliano asserit Ammianus.

1. *Etruriæ adolescentem.*] Is Spurina fuit, ut margini adscriptum reperio in Viennensi editione. Quam historiam fuse refert Valer. Maximus l. 4. c. 5.

2. *Devenustare.*] Vox A. Gellio usurpata pro eo quod est *deturpare*.

rem civium facere debuit Julianus ? Ac ne potuit quidem ; nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum. Scilicet & candorem æquitatis potuit obumbrare , & a temperantia [a] purpuram sancti ruboris abolere , [3] vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus , eruere oculos providentiæ ! Deinde nisi ille adolescens severam manum propriis vul- 5 tibus intulisset , [4] dies & mora , non longa ætatis successio omnem illum florem corporis peremisset. [5] At in virtutibus Principis nostri quanto ætas prolixior , tanto pulchritudo præstantior.

VI. Mitto cunctam barbariam adversus [1] vindicem Romanæ libertatis in arma commotam , gentesque [2] recens victas & adversus jugum nu- 10 per impositum cervice dubia contumaces , [a] in redivivum furorem nefandis stimulis excitatas. Quæ omnia obstinatam & immobilem Principis maximi tandem vicere patientiam. Itaque cum [3] in ipso molimine oppressisset Alamanniam rebellantem , qui paulo ante [b] inaudita regionum , fluviorum , montium nomina exercitu victore peragraverat , per ultima fera- 15 rum gentium regna , calcata regum capita supervolans , in medio Illyrici sinu improvisus apparuit. Vidimus felices illius comites viæ stupentes , urbium populos dubitasse credere quæ videbant. Non aliter consternatas arbitror gentes quæ prolapsum cœlo excepere [4] Palladium. Virgines, pueri , fœminæ , tremulæ anus , titubantes senes [5] non sine magno attoniti 20 horrore cernebant imperatorem longam viam sub gravium armorum onere currentem , properantis anhelitum [c] sine sensu lassitudinis , crebriores sudorum rivos per fortia colla manantes , & [d] inter illum pulveris qui

INTERPRETATIO.

a *Ruborem castæ verecundiæ.*

a *Actas in novum furorem.*

b *Victorem exercitum traduxerat trans regiones, fluvios, montes ne notos quidem de nomine.*

c Ita *ut defatigationem sentire non videretur.*

d *Cum barba & capillus squaleret pulvere , & oculi cælesti flamma fulgerent.*

NOTÆ.

3. *Vicem fortitudinis.*] Lege cum Lipsio *cervicem fortitudinis* : nam ut ait ille l. 3. Epistol. quæst. 24. *in cervice vis ferendi & nervorum conventus.* Mamertinus supra n. 5. *nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum.*

4. *Dies & mora , non longa.*] Quid si legamus cum Acidalio. *Dies & mora non longa , ætatis successione.*

5. *At in virtutibus.*] *Atenim in virtutibus.* Acidal.

1. *Vindicem Rom. lib.*] Julianum.

2. *Recens victas.*] A Constantio & Constantino magno ejus filio domitas , & a Francorum incursionibus liberatas.

3. *In ipso molimine.*] Id est , tum , cum prope abesse crederet , ut Gallias invaderet.

4. *Palladium.*] Palladis simulacrum fuit, quod eo tempore quo ara & templum Minervæ struebatur , de cœlo lapsum sibi in templo legit. Quia autem erat in fatis tandiu Trojam incolumem fore , quandiu intra ejus mœnia simulacrum illud servaretur , Diomedes & Ulysses fatale illud signum sustulerunt. Nec multo post Græci Trojam post decem annorum obsidionem tutelari hoc numine spoliatam subverterunt. Æneid. 2. 163.

5. *Non sine magno attoniti, &c.*] Forte inda-

barbam & capillum onerarat horrorem micantia sidereis ignibus lumina. Voces gaudentium oppresserat miraculi magnitudo. Cessabant officia laudandi plus quam laudanda cernentibus.

VII. Sufficeret quidem ad expeditionem præsentium negotiorum sola properatio, sed non sufficit Principi nostro reipublicæ una ratione consulere. Multa pariter aggreditur pectus[1] nullis unquam laboribus fatigatum. Ut uno eodemque tempore & componeret fidissimarum provinciarum statum, & barbariam omnem admoto propius terrore percelleret, longissimo cursu Istrum placuit navigari.[a] Proh sancta divinitas! Quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem incliti fluminis ripam utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret, despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa barbaria? Omnes urbes quæ Danubium incolunt aditæ, omnium audita decreta, levati status,[a] instaurataque fortunæ,[3] innumerabilibus barbaris data venia, & munus pacis indultum. Qui properationem illam contemplabitur, nihil legisse præter viam imperatorem putabit; qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.

VIII. O facundia potens Græcia, omnium tuorum principum gesta in maius extollere sola potuisti,[a] sola factorum glorias ad verborum copiam tetendisti. Tu[1] navem unam propter aurati velleris furtum, &[2] virginis raptum in cœlum usque sublatam sideribus consecrasti. Tu puerum[3] inventorem serendi, draconum alitum curru volantem semina in terras sparsisse jactasti. Quid tu si ad scribendas celebrandasque res Principis nostri animum adjeceris, de Juliani[4] lembis liburnisque factura es? quæ non modo nihil cuiquam adimunt, neque urbes hospitas populant,

INTERPRETATIO.

a *Aucta opes.*

a *Sola rerum gestarum gloriam exaggerasti*, quantum satis est *ad orationem amplificandam.*

NOTÆ.

cenda hæc postrema vox *attoniti.*

1. *Nullis unquam.*] Julianum laboris bellici patientissimum fuisse testantur ejus vitæ scriptores, imprimisque Ammianus.

2. *Proh sancta divinitas!*] Infra n. 28. *Hic proh sancta divinitas! gaudentibus cunctis; quo ore? qua voce? inquit, ave consul amplissime.*

3. *Innumerabilibus barbaris.*] Forte Quadis, & Saxonibus quos Julianus Charietonis cujusdam transfugæ opera delevit, & ea conditione ad pacem admisit, ut nunquam contra Romanos arma ferrent.

1. *Navem.*] Cui *Argo* nomen: unde Argonautæ dicti sunt, qui in ea ad vellus aureum asportandum Colchida navigarunt. Virg. Eclog. 4. 34. *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo delectos heroas.* Piget referre quæcunque de ea apud poetas referuntur: ut fatidicam illam fuisse, cœlo consecratam: &c.

2. *Virginis.*] Medeæ.

3. *Inventorem serendi.*] Triptolemum Ovid. Trist. l. 3. Eleg. 8. *Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus, misit in ignotam qui rude semen humum.* Nota ex poetis omnibus fabula.

4. *Lembis, liburnisque.*] Naviculæ exiguæ genus, miræ velocitatis: Supra *paneg. 2. n. 12, not. 5.*

ſed ultro omnibus populis immunitates, privilegia, pecunias largiuntur. Qua dignitate deſcribes claſſem, per maximi fluminis tractum remis ventiſque volitantem, tum Principem noſtrum alta puppe ſublimem: non per cujuſcemodi agros frumenta ſpargentem, ſed Romanis oppidis bonas ſpes, libertatem, divitias dividentem, tum ex parte altera in barbaricum 5 ſolum terrorem bellicum, trepidationes, fugas, formidines obſerentem?

IX. Jam quale illud fuit, quod [1] Iſtrum adhuc navigans beneficia tua uſque [2] ad Adriam, Tyrrhenum, Mæotidem porrigebas? ipſo enim tempore levati equorum pretiis enormibus [3] Dalmatæ, Epirotæ [a] [4] ad incitas intolerandi tributi mole depreſſi, providentia, Imperator, tua, non modo 10 miſerias exuerunt, ſed amplam etiam atque opulentam [b] revexerunt fortunam. Urbs [5] Nicopolis, quam Divus Auguſtus in monumentum Actiacæ victoriæ tropæi inſtar extruxerat, in ruinas lacrymabiles prope tota conciderat, laceræ nobilium domus, ſine tectis fora, jamdudum aquarum ductibus peſſumdatis plena cuncta ſqualoris & pulveris. Certamen ludi- 15 crum, luſtris omnibus ſolitum frequentari, intermiſerat temporis mœſti deforme [6] juſtitium. Ipſæ illæ bonarum artium magiſtræ & inventrices [7] Athenæ, omnem cultum publice privatimque perdiderant. In miſerandam ruinam conciderat [8] Eleuſina. Sed univerſas urbes ope Imperatoris [c] refotas enumerare perlongum eſt: ſcire ſatis eſt cunctas [9] Macedoniæ, 20

INTERPRETATIO.

a *Ad extremas anguſtias redacti.*
b *Receperunt.*
c *Reformatas.*

NOTÆ.

1. *Iſtrum.*] De Iſtro, ſeu Danubio fluvio ſupra in *Plinii paneg. n.* 12. *not.* 9.

2. *Ad Adriam.*] Id eſt, ad mare Adriaticum. *Tyrrhenum*, id eſt, mare Tyrrhenum, quod & Tuſcum, & Etruſcum dicitur, *la mer de Toſcane. Mæotidem.* Vide ſupra *paneg* 3. *n.* 16. *not.* 3.

3. *Dalmatæ.*] Populi Illyrici ad oram maris Adriatici. *Epirotæ.* Græciæ populi, ad mare Ionium: quorum regio nunc Albania dicitur.

4. *Ad incitas.*] Metaphora ducta a ludo calculorum, in quo unus certus calculus, quem Regillin vocant, in ſua linea immotus aſſervatur, neque inde movetur niſi in extremo diſcrimine. Cum ergo ſignificatur aliquis adductus in ſummas anguſtias tunc dicitur *redactus ad incitas.* Nam incitæ, lineæ ſunt, unde cieri calculi non poterant. Ita *Eraſmus.* Atque hoc proverbio ſæpe utitur Plautus.

5. *Nicopolis.*] Apud Actium condita eſt ab Auguſto, in Actiacæ victoriæ memoriam

6. *Juſtitium.*] Quaſi juris ſtatio, ſeu juris dicundi in publico aliquo luctu intermiſſio. Livius. *Dictator juſtitium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quemquam privatæ quicquam rei agere.* Juſtitium etiam interdum ſumitur pro ceſſatione exigendi æris 30. dies.

7. *Athenæ.*] Urbs ad fluvium Iliſſum ſita in ea Achaiæ parte, quæ Attica dicitur, totius Græciæ caput & diſciplinarum omnium parens. Hodie *Setines*, ſupra *pan.* 9. *n.* 9. *not.* 4.

8. *Eleuſina.*] Oppidum Atticæ maritimum inter Megaram & Pyræum portum Athenienſium.

9. *Macedoniæ.*] Græciæ celeberrima regio inter Ægæum & Adriaticum, nunc anguſtioribus quam olim terminis definita

[10]Illyrici,[11] Peloponnesi civitates unis aut binis epistolis maximi Imperatoris [d] repentinam induisse novatis mœnibus juventutem, aquas omnibus locis scatere: quæ paulo ante arida & siti anhelantia visebantur, ea nunc perlui, mundari, madere; fora, deambulacra, gymnasia lætis & gaudentibus
5 populis frequentari, dies festos & celebrari veteres, & novos in honorem principis consecrari.

X. Si quis mortalium in aliquam cœlestem speculam nube sublatus, paulo ante vidisset mœsta omnia, semiruta oppida, desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exulum turbam; is si nunc in illud idem editum re-
10 ponatur, ac despiciat cuncta lætantia, agros consitos, urbes frequentes, aquas oppidis influentes, magnifico cultu [1] non privatas ædes, sed publica tecta surgentia, dites pro terrarum ingeniis messibus segetes, vincentes agricolarum vota vindemias, arduos colles, profundasque valles, & [2] læta camporum balatu, hinnitu, mugitibus persona, profecto mirabitur
15 tam brevi cuncta mutata, desiliet e nubibus, & viciniam cœli cupide derelinquet, ut tuis, Imperator, terris fruatur. Illud vero cujus miraculi est, [a] neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium, in omnia pecuniam ab Imperatore depromi, & quoddam versa vice provinciis pendi tributum, [3] illinc ad universos fluere divitias quo prius undique conflue-
20 bant? Ut in maxima quæstione sit a quo accipias, Imperator, qui sic omnibus largiaris. Sed qui vitæ tuæ instituta rationemque cognoverit, facile fontem copiæ hujus inveniet. Maximum tibi præbet parsimonia tua, Auguste, vectigal: quidquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur.

25 XI. Hucusque solus hic fructus imperii putabatur, ut imperator a ceteris civibus non fortibus factis, nec splendore gloriæ, sed magnitudine sumptuum [a] separaretur. Inde nihil necessariæ [1] substructionum in ædibus moles, ingentes aulicorum catervæ legionum sumptum facile vincebant. Quinetiam prandiorum & cœnarum laboratas magnitudines Romanus
30 populus sentiebat; cum [2] quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus

INTERPRETATIO.

d *Repente instauratis muris firmas constitisse.*
a *Cum tot opes undecunque colligerentur, neminem damnum sensisse.*
a *Differret.*

NOTÆ.

10. *Illyrici.*] Supra *paneg.* 8. *n.* 5. *not.* 3.

11. *Peloponnesi.*] Græciæ peninsula, quæ hodie Morea dicitur, Lacedæmone famosa.

1. *Non privatas ædes.*] Pro *non privatas modo ædes, sed etiam &c.* Sic infra n. 19. *Nec viros quidem, sed mulierculas*, id est, non viros modo. Sic Plinii *pan. n.* 8. *not.* 1. alia ejusmodi exempla observavi.

2. *Læta camporum.*] Pro *latos campos*, ut apud Virgilium *angusta viarum &c.* Vide *pan. Plinii n.* 58. *not.* 7.

3. *Illinc.*] Id est, ab ærario principis ad populos unde affluxerat confluere.

1. *Substructionum.*] Ingentium ædificiorum. Tullius pro Mil. n. 53. *Quo in fundo propter insanas illas substructiones facile mille hominum versabatur.* Et n. 85. *Ara quas substructionum insanis molibus oppresserat.*

2. *Quæsitissimæ dapes.*] Similem locum habet *Pacatus n.* 13. *&* 14. ubi plura videri

æstimarentur, miracula avium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma,[1] æstivæ nives, hybernæ rosæ. Hæc cuncta animus voluptatum omnium victor abjecit. Neque enim comparandæ sunt picturatæ marmorum crustæ, & solido auro tecta laquearia, qui majorem anni partem in nuda humo cubet, & cœlo tantum tegatur; neque turbæ institutorum ad delicias ministrorum, cui tam pauca sint ministranda; neque tempus epulatum ei qui sæpius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat, gaudens castrensi cibo, ministro obvio, & poculo[4] fortuito. 5

XII. Sed inter hæc mirari satis nequeo quod tam severe parcus in semet, in cives suos tam liberalis est ac remissus; laborum asperrima sibi sumens, ut nos quietis rebus agitemus, cum id usu venire animadvertamus, ut qui remotam a voluptatibus vitam sequantur difficiles & morosi sint, sibi parum læti, sed aliis tristiores, mœstas atque solicitas etiam privatas domos faciant. At sanctissimus Imperator impense studet ut nos pro dignitate habitemus, ut commodis affluamus, ut castam quidem, sed hilarem ducamus ætatem; cum alios principes labor truces, remissos desidia reddiderit, semperque[a] seriis imperatoribus gratia,[b] [1] communibus defuerit industria. Neque quisquam sibi molestus ita se facilem ceteris præbuit, ut non ad suum exemplum alios coerceret. Noster Imperator nihil sibi veniæ, nihil ceteris molestiæ ac laboris impartiens, suo negotio omnibus otium præstat,[c] divitiarum largitor, curarum avarus, laboriosissima negotiorum præoptans ipse agere quam aliis imperare. 10 15 20

XIII. Multi post exactos reges[a] imperium universæ reipublicæ solitarium cupierunt. Nota sunt recordantibus nomina eorum videlicet qui in propria furentes,[1] affectati regni supplicia pependerunt. Mitto veteres qui saxo præcipites dati, quorum bona publicata,[2] domus erutæ, interdicta posteris[3] nomina; non paucos hujusmodi furore vecordes & 25

INTERPRETATIO.

a *Qui ægre sui copiam faciunt.*
b *Popularibus.*
c *Opes* dat *larga manu, solicitudinem* vero *parce, quod difficillimum est mavult ipse exequi, quam aliis præcipere exequendum.*
a *Totam rempublicam soli regere peroptarunt.*

NOTÆ.

possunt de Romanorum luxu in conviviis.

3. *Æstivæ nives.*] Ut in L. Veri imperatoris convivio contigisse ait Capitolinus.

4. *Fortuito cibo.*] *Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant*, id est obvium. Juliani abstinentiam & temperantiam mirifice laudant etiam qui cetera ejus vitia acerrime carpunt.

1. *Communibus.*] Acidalius legit *comibus*. Utrumvis elige.

1. *Affectati regni.*] Alludit ad id quod de Manlio Capitolino refert *Livius l. 6. c.* 20. qui affectati imperii damnatus de saxo Tarpeio in præceps dejectus est. Insuper eversa ejus domus, addita lege, ut ne quis patritius deinceps in arce, aut in Capitolio habitaret. Item gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.

2. *Domus erutæ.*] Lege *dirutæ* ut Juretus suspicatur.

3. *Nomina*] Potius prænomina. Nam ab eo tempore extitere qui Manlii dicerentur, nemo plane qui Marcus Manlius.

nostra ætas tulit, qui propter cæcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt. Si hos deus paulisper vitæ redditos alloquatur; Heus, verbi gratia, [4] Nepotiane atque [5] Sylvane, per infestos gladios, præsentesque mortes imperium petivistis. At nunc ultro vobis potestas regnandi datur, ut ea, 5 qua Julianus, conditione regnetis, ut pro omnium otio die noctuque vigiletis, & cum domini vocemini, libertati civium serviatis, sæpius prœlium quam prandium capessatis, nihil cuiquam auferatis, & ultro omnibus largiamini, nulli gratificemini, in neminem sæviatis; toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, sit lectulus etiam sine concessis, 10 [6] sed legitimis voluptatibus: [7] Vestalium toris purior; æstate Alamannicum pulverem, hyeme pruinam Thraciæ intectis verticibus perferatis. Profecto verborum ipsorum molestiam delicatæ aures non poterunt sustinere, tantis negotiis territi, non modo imperium, sed etiam vitam perosi, ad inferiores aliquos inferos redire properabunt. Videbunt enim justum principatum laboribus, curis, vigiliis inquietum: cujus illi faciem amœ- 15 nam & amabilem contemplantes laborum aspera non videbant.

XIV. Cum igitur inter egregia negotia itinere confecto usque ad [1] Thraciæ fines perventum foret, cursim disposito exercitus commeatu, ad Romanam urbem, annonæ vacuam, mentem reflexit. Quemlibet alium 20 a subveniendi conatibus gravissima fames, & tristissimum reipublicæ periculum deterruisset. Sed stipendiis provinciarum, & patrimonii sui fructibus, tum undique frumentis coemptis usque ad opulentiam abundantiamque esurientem jam Urbem refersit. Dicet aliquis, quomodo tam multa tam brevi tempore? Et recte. Sed Imperator noster addit ad tem- 25 pus, quod otio suo detrahit. Nihil somno, nihil epulis, nihil otio tribuit, [a] ipsa se naturalium necessariarumque rerum usurpatione defraudat, totus commodis publicis vacat. Itaque grandævum jam imperium videbi-

INTERPRETATIO.

a Eorum, quæ necessaria sunt ad vitam, usum sibi decidit.

NOTÆ.

4. *Nepotiane.*] Is ex Tristani numismate Flavius Nepotianus Constantinus. Ex Goltzio vero & Occone Flavius Popilius Nepotianus. Ex Eutropia Constantini magni sorore, & Popilio Nepotiano viro consulari natus; qui cum cæso Magnentii exercitu Urbem simul & imperium invasisset, ipse vicissim a Maxentio deletus, cæsusque est.

5. *Sylvane.*] Sylvanus in Galliis ortus, Boniti cujusdam natione Franci, hominis bello clarissimi filius; qui cum a rebelli Magnentio transfugisset ad Constantium, ideoque pedestri magisterio donatus fuisset, tandem purpuram sumpsit Coloniæ Agrippinæ. Quod fecit ex necessitate potius, quam ex tyrannidis cupiditate: affectati enim imperii suspectus morti a Constantio destinabatur; quam tamen non effugit, nam in eadem urbe a Constantianis oppressus est. *Ammian. l. 5. A. Victor.*

6. *Sed legitimis*] Alii legunt, *& legitimis.*

7. *Vestalium.*] Vestales virgines Vestæ sacris, perpetuique ignis custodiæ dicatæ, a Numa Pompilio primum institutæ. Ovid. Tristium l. 4. El. 2. Quæ.... *castos perpetua servant virginitate focos.*

1. *Thraciæ.*] Supra *pan.* 5. *n.* 21. *not.* 1.

tur

tur his, qui non ratione dierum, [2] aut mensium, sed operum multitudine, & effectarum rerum modo Juliani tempora metientur. Cum Romani populi victus, & exercitus commeatus esset in manibus, in media expediendæ annonæ trepidatione, nuncius venit plurimas naves Africano tritico graves [3] litus Achaicum prætervectas [4] Constantinopolim pervolasse. Permoti omnes, & adversus eos qui oram maritimam tuebantur irati, venimus ad principem, desidia judicum tantum perisse frumenti certatim pro se quisque conquerimur. At maximus Imperator serenum renidens, nihil esse peccatum, non sibi perisse, quæ ad hanc urbem frumenta venissent. Nos vocem illam noti amoris in patriam putabamus, cum proditionem futuri verborum ambago celaret: jam tum enim venturæ felicitatis eventum conscius divini animus prævidebat.

XV. Cis pauculos dies in novum ac florentem statum republica restituta, sacra mens ad honorum & magistratuum ornamenta respexit. Versari cœpit [1] in sacri pectoris comitio consulatus. Quid secutus sit ipse scit, & quæcunque consilia ejus gaudet formare divinitas. De omnibus Romani imperii viris primus electus sum, cum honorem meum adoreis militaribus gloriosus [2] collega cumularet. Gratias tibi, gratias, Imperator, si mereri me credidisti, & plures gratias, Imperator, si tantum amasti, ut me consulem faceres etiam non merentem. Nec ignoro maximos honores ad parum dignos penuria meliorum solere deferri, sed non vereor ne quis malevolorum in consulatu meo id autumet accidisse. Si quis hoc lividus jactitat, ipso tempore refutatur: adversus quem dixisse satis est, jam tum principi nostro Roma parebat. Quid quod nihil speranti mihi de honoris augmento, neque enim ultra præfecturam se votorum meorum modestia porrigebat, præfertur nuncius consulem me creatum sine impendio, quod jam diu paucis: sine labore, quod nunquam: sine petitione, quod nemini?

XVI. Quis ignorat tum quoque cum honores populi Romani suffragiis mandabantur multos fuisse candidatorum labores? Ediscenda omnium nomina tribuum, [1] homines, atque etiam singuli salutandi, prehen-

Notæ.

2. *Aut mensium.*] Habita est enim hæc oratio altero postquam imperator acclamatus esset anno.

3. *Litus Achaicum.*] Achaia, quæ & Græcia dicitur, ex una parte mari circunflua, ex altera Thessaliæ & Epiro terminata. Achaia tamen proprie dicta, regio Peloponnesi inter Corinthum & Patras.

4. *Constantinopolim.*] Urbs ad Bosphorum Thracium sita ac Thraciæ, caput olim, Byzantium.

1. *In sacri pectoris comitio.*] Sic enim qui secum ipse de aliqua re deliberat, & rationum in utramque partem momenta expendit, quasi comitia habet apud se & in animo suo. Sic Plautus Epidic. sc. 2. Act. 1. *Jam senatum convocabo in corde consiliorum.* Idem in Mostel. *Dum mihi senatum consilii in corde convoco &c.*

2. *Collega.*] Flavius Nevita, *qui*, ut ait Ammianus l. 22. ut *primum augendæ barbaricæ vilitatis auctorem, immoderate notaverat Constantinum.*

1. *Homines, atque etiam singuli.*] Id est, ipsi adeo singuli homines salutandi. Acidalius legit *omnes, atque etiam singuli &c.*

ſandæ obviorum manus, omnibus arridendum; non ſolum cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multaque alia propter honorem agenda, quæ alias virum honore dignum facere non deceret. Unde illud Craſſi celebre dictum, cum peteret conſulatum, & forte cum
5 Scævola ſocero per vias Urbis incederet, nec præſente graviſſimo & ſeveriſſimo viro blandiri populo, palpare obvios, & artes petitorias auderet exercere. Quæſo, inquit, Muci, pauliſper abſcedas, nec comitatu tuo honeſtari putes: impedis honorem meum; te ſpectante ineptus [2] eſſe non poſſum. At vero ego nullius favorem turpi aſſentatione promerui,
10 nihil feci ineptum, nihil egi quod ſpectare Mucium nollem. Non modo nullum populariiim deprecatus ſum, ſed ne te quidem ipſum, Imperator, quem orare præclarum, cui preces adhibere pleniſſimum dignitatis eſt, verbo ſaltem adii. Sponte in familiam divinum iſtud a te munus infuſum eſt.

XVII. Fatebor autem tibi, maxime Imperator, & tuto apud te om-
15 nia [a] animi operta reſerabo. Nunquam [1] in capita civium poteſtatem, nunquam provincias concupivi, ſed quia juvanda etiam a me videbatur [2] pro virili portione reſpublica, cum ad magiſtratum vocarer, propter opinionem deſidiæ non refugi. Negotium publicum neque ambitu appetii, neque per timiditatem, aut ignaviam recuſavi, ſed a teneris annis ab ætate pueri-li
20 [3] ad hanc uſque canitiem conſulatus amore flagravi. [b] Secundum etiam tibi confeſſionis gradum debeo. Cum in aliorum principum eſſet poteſtate reſpublica, diu inanem cupiditatem ſine ſpei ſolatiis fovi. Unde enim mihi aſpirandi ad hoc nomen eſſet amentia, [c] opum vacuo, & ignaro ambiendi? Nam primum cum Cæſar eſſes, marcentem jam cupiditatis meæ flam-
25 mam ſpei bonæ flatibus excitaſti. Cum vero te, Auguſte, mirificum innocentiæ ac virtutum ſpectatorem viderem, tunc mecum, Claudi Mamertine, huc uſque non fruſtra vixiſti. Habes idoneum fidei, ac induſtriæ judicem. Memento in magno res tuas eſſe diſcrimine. Scietur non meruiſſe te conſulatum, ſi tibi non detulerit hic Imperator.

INTERPRETATIO.

a *Pectoris arcana.*
b *Hoc quoque alterum tibi fateri debeo.*
c *Cum neque ſuppeterent opes, neque ambiendi artem tenerem.*

NOTÆ.

In veteri vero codice eſt, *ediſcenda omnium nomina: tributim omnes, atque etiam ſinguli ſalutandi.*

2. *Eſſe non poſſum.*] Sumptum illud e Tullii l. 1. de orat. n. 112. *Equidem cum peterem magiſtratus &c.*

1. *In capita civium.*] Id eſt, nunquam Præturam, nunquam conſulatum appetivi, utrique enim pro ſuo magiſtratu jus habent in civium vitam.

2. *Pro virili portione.*] Id eſt, pro viribus. Tacitus in Julii Agricolæ vita. *Tanquam pro virili portione innocentiam principi* (nempe Domitiano) *donares.* Quod etſi apud Tullium quod quidem ſciam, non legitur, non alienum tamen eſt illud Tull. pro Sextio. *Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates ſunt.*

3. *Ad hanc uſque canitiem.*] Mamertinus igitur ſenex fuit, cum hanc orationem habuit.

XVIII. [a] Habes, Auguste, proditionem silentii mei, & rem a me non brevis ævi taciturnitate celatam. Nondum tamen cuncta prodidimus. Nullum hinc jam mecum volo referre secretum, omnia pectoris arcana vacuabo.[1] Suspendisses benevolentiam tuam, & tuæ isti in me liberalitati contra mores tuos artificii aliquid addidisses, forsitan rogassem. Parvi autem, Imperator, putas esse beneficii quod rogandi mihi periculum remisisti? periculum inquam, sanctissime Imperator, si præstare dubitasses, si in posterum distulisses, quid me fieret post repulsam? In levissimis quoque beneficiis petitis, nec impetratis, amicitia dissolvitur. Namque [b] is quo amicitia continetur amor, apud utrumque polluitur. Alter amari se quia non præstitit non putat, alter odio se esse quia non obtinuit arbitratur. Nec sane mihi consul gratuito factus viderer, si honorem precibus emissem. Miserum enim & laboriosum subiissem meliore ævi parte transacta tirocinium rogandi. Neque enim existimo molestius esse pecuniam, quam preces fundere. Denique omnes in emendo videmus [c] repensandi fiducia magno erectoque animo aurum argentumque depromere; eos vero qui preces allegant humiles atque demissos vix cunctabunda atque titubantia verba proferre, neque orationem solum inclinare, sed totis corporibus in genua submitti. Prorsus, ut ex animi sententia loquar, maximo vendit beneficium qui preces accipit.

XIX. An vero si centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer? Minime: siquidem etiam illis priscis temporibus, multorum ambitu fuit campus infamis. Notа [1] divisorum flagitia, notæ [2] loculorum præstigiæ, tum operarum ad vim & seditionem manus emptæ. Nec sane potest in confusa imperitorum multitudine [a] quidquam esse perpensum. Nam cum boni rari sint, improborum vulgus immensum, in campo autem numerus & turba præpolleat, sine dubio intelligitur eum suffragiis populi magistratum capere, quem plures, id est, quem pejores probarunt. Unde factum est ut majores nostri viderent [3] Gabinios designatos, & repulsos Catones. Sed hæc vetusta [b] dent recordari quemadmodum paulo ante honor petitus sit.

INTERPRETATIO.

a *Habes explicationem silentii mei & rem, quam dudum silentio presseram.*

b *Is affectus, quo amicitia sustentatur.*

c *Compensandi.*

a *Aliquid esse consideratum.*

b *Revocent in memoriam.*

NOTÆ.

1. *Suspendisses benevolentiam.*] Hoc est, *si suspendisses benevolentiam*, quo loquendi modo nihil apud bonos scriptores frequentius.

1. *Divisorum.*] Mos erat apud Romanos, ut magistratus qui peterent, pecunia largitioneque suffragatorum studia sibi conciliarent: qui autem pecuniis tribuum distribuendis præerant, *divisores* dicebantur.

2. *Loculorum præstigiæ.*] Haud absimile illud Ausonii paneg. ad Gratianum: *Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos.*

3. *Gabinios.*] An potius *Vatinios*: ut observat Lipsius ep. 24. l. 3. Cato enim in

Vix pauci extiterunt quorum virtutibus deferretur; cum quidem ipsis illis tarda industriæ ac probitatis merces veniret. Ceteri vero perditissimum quemque ex aulicis frequentabant, uti quispiam per artes turpissimas imperatori acceptissimus videbatur, eum assiduis obsequiis emerebantur, 5 donisque captabant. Nec viros quidem sed mulierculas exambibant, nec fœminas tantum, sed spadones quoque, quos quasi a consortio humani generis extorres ab utroque sexu aut naturæ origo, aut clades corporis separavit. Ita præclara illa veterum nomina sordissimum quemque ex cohorte imperatoria & probrosissimum [4] adulabant. Hi cum in provincias 10 immissi erant, qua sacra, qua profana rapiebant, iter sibi ad consulatum pecunia munientes. Itaque nullum jam erat bonarum artium studium.

XX. Militiæ labor a nobilissimo quoque pro sordido, & illiberali rejiciebatur. Juris civilis scientia, quæ [1] Manlios, [2] Scævolas, [3] Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerit, libertorum artificium dicebatur. 15 Oratoriam dicendi facultatem, multi laboris, & minimi usus negotium, nostri proceres respuebant, dum homines noluisse videri volunt, quod assequi nequiverunt. Et vere tantum laboris vigiliarumque suscipere ad adipiscendum cujus usus agendæ vitæ ornamenta non adjuvaret, dementia ducebatur. Itaque omne studium pecuniæ coacervandæ. [4] Tanto enim vir 20 quisque melior, quanto pecuniosior habebatur. Jam serviendi miseranda patientia, assentandi mira calliditas. Ministrorum aulæ quotidie limina

NOTÆ.

petitione consulatus posthabitus est Vatinio, non Gabinio. Idipsum refert *Seneca libello, quod in sapientem non cadit injuria.* Idem *de divina providentia* & *Valer. Maxim. l. 7. c. 5.* De Catone autem supra *paneg. 2. n. 14. not. 5.*

4. *Adulabant.*] Hac voce usus Lucretius l. 5. *Gannitu vocis adulant*: & Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum. *Centurias non adulavi.*

1. *Manlios.*] T. Manlium intelligit quem Valer. Maximus l. 5. c. 8. *juris civilis & sacrorum Pontificalium peritissimum* fuisse tradit. Acidalius pro *Manlios*, legit *Manilios*. Manilius quidem cum se a re militari ad forensem vitam contulisset, tres libros de jure civili scripsit.

2. *Scævolas.*] P. Mutius Scævola anno V. C. 617. consul cum L. Calphurnio Pisone fuit, & Pontifex Maximus. Hunc de jure civili decem libros scripsisse tradit *Plutarchus in Sylla.* Hujus filius Q. Mutius Scævola, primus jus civile generatim in libros 18. digessit: plurimos habuit auditores clarissimos; ab eo multa didicisse se ait Tullius. Eundem Crassus jurisperitorum eloquentissimum, & eloquentium jurisperitissimum apud Tullium appellabat. Fuit præterea alter Q. Mutius Scævola Augur, quem Cicero differentem in libro de amicitia introducit, a quo jus civile didicisse se profitetur. Erat is Lælii gener, Crassi socer.

3. *Servios.*] P. Servium Sulpitium puta qui an. V. C. 703. consul fuit. Is magnus Q. Mutii Scævolæ imitator fuit, a quo ad juris civilis scientiam excitatur his verbis, *Turpe est Patricio causas oranti, jus in quo versatur ignorare.* Omnium primus dialecticam juri adhibuit, & ordine quodam tractare cœpit. Ciceroni fuit familiarissimus, qui & ipsi ad Mutinam, quo ad placandum eloquentia sua Antonium a senatu missus erat, mortuo statuam æream pedestrem in rostris posuit. De hoc sæpe apud Tullium mentio est.

4. *Tanto enim.*] Juvenalis Sat. 3. 143. *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, tantum habet & fidei.*

terebantur. Ad fores eorum qui regiis cupiditatibus serviebant [5] ternos patriciæ gentis viros cerneres ab hujusmodi dedecore non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius injuriæ deterreri. Demissi, jacentesque vix capita supra eorum quos precabantur genua tollebant. Ad postremum, honores non judicio, aut benevolentia superborum, sed misericordia merebantur. 5

XXI. At nunc quisquis provincias, tribnnatus, præfecturas, consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas & nefas quærat, ac libertatem suam salutator vilis imminuat. Quanto fuerit paratior servituti, tanto honore indignior [1] vocabitur. Tum aliud quoddam hominum genus est 10 in amicitia principis nostri, rude, ut urbanis istis videtur, parum come, subrusticum; blandimentis adulantium repugnat, pecuniæ vero alienæ tanquam rei noxiæ tactum reformidat, maximas opes in reipublicæ salute, & gloriosa Imperatoris sui laude constituit. Jam ipse [2] ingenti divinaque providentia adversus omnes assentatorum illecebras captionesque munitus est. 15 [a] Quippe ei a fucatis adulantium venenis quod periculum est, qui aures etiam veris laudibus gravatus impertiat? Sed multo multoque nunc facilior est ratio honorum petendorum. Quisquis, inquam, capere magistratum voles, auri atque argenti negligens esto; nullas ostiatim potentium ædes obito, nullius pedes, nullius genua complectitor. Adhibeto tantum tibi gra- 20 tuitas, & paratu facillimas comites, justitiam, fortitudinem, temperantiam, atque prudentiam; ultro ad te maximus imperator accedet, & ut capessas rempublicam flagitabit. Otioso tibi, atque alia curanti provinciæ, præfecturæ, [3] fasces, [4] sella curulis, atque insignia omnia magistratuum perferentur. Quid enim sibi veræ vir perfectæque virtutis non con- 25 stanter de honore promittat, cum me propter tantillum innocentiæ meritum uno in anno [5] ter videat honoratum?

XXII. Ecquis deus uno in anno multiplices fructus agro uni dedit? Num quisquam [1] in eadem novali æstate una amplius quam semel messuit?

INTERPRETATIO.

a *Neque enim metuendum est, ne falsis assentatorum sermonibus capi se sinat is, qui etiam ægre aures præbeat veris laudationibus.*

NOTÆ.

5. *Ternos patriciæ gentis viros.*] Lege *cernuos*, ut observat *Lipsius epistol. quæstione 3. ep. 24.*

1. *Vocabitur.*] Bongarsius & Gruterus legunt *indicabitur*: itaque est in editione Viennensi.

2. *Ingenti divinaque providentia.*] Acidalius legit, *ingenti diutinaque* providentia.

3. *Fasces.*] Duodeni a lictoribus ante consulem præferebantur.

4. *Sella curulis.*] De hac supra in Plinii *paneg. n. 56. not. 15.*

5. *Ter videat honoratum.*] De tribus Mamertini magistratibus initio hujus orationis dictum est.

1. *In novali.*] *Novalis* vel *novale* terra est, quæ alternis annis quiescit, ac seritur, quo sensu Virgil. Georg. l. 1. 7. *Alternis idem tonsas cessare novales.* Hoc loco pro terra simpliciter sumitur.

Num cui uno autumno, unoque vineto vindemia triplex fluxit? Una certe unius est hiemis [1] olivitas. Sed in nostri principis beneficiis miraculo caret multiplicata fœcunditas. Ut de aliis optimis viris taceam, qui a priore in proximum autumnum fructus honorum multipliciter messuerunt; 5 mihi certe tertia unius anni ubertas est consulatus. Primum thesaurorum omnium mandata custodia, & dispensatio largiendi. Secundum locum tenet in honorum meorum fructibus præfectura. Additus his, quo vel solo cujuslibet aviditas vinceretur, proventuum tuorum tertius, consulatus. Dein cum ager assiduitate fructuum [a] in maciem decoquatur: Imperato-10 ris nostri posterior liberalitas vincit priorem, nec fit effœta gignendo, sed per vices fructuum fœcundatur. Nova prorsus fuit honorum deferendorum & insperata congestio. Nondum statum suum siderum curricula mutaverant, [b] jam princeps cursum dignitatis alterius commovebat; & jam tum sol ab eorundem astrorum regione radiabat, jam Augustus tertia ma-15 gistratus mei signa transcenderat. Quæso, non vobis inanis gloriæ cupidissimus, non flagrans ambitione notabili videretur, si quis in se tanta pariter optasset, quanta in me uno tempore Augustus ingessit?

XXIII. Habitari ab justis viris terras in Oceano ferunt, quas [2] Fortunatorum insulas vocant, quod per eas non arato solo frumenta nascun-20 tur, fortuitis vitibus juga collium vestiuntur, sponte pomis arbor gravatur, ad herbarum vicem olus vulgo est. Quantula ista sunt, si deum auctorem consideres, munera? Nempe nobis quoque, cum agrum non nostris manibus excolamus, hæc illaborata nascuntur. Quanto felicior nostra conditio, quanto beatitudo præstantior? Non [2] spica triticea, non 25 viles uvarum racemi; sed opes atque divitiæ nihil laborantibus ingeruntur; provinciæ, præfecturæ, fasces sponte proveniunt. Tu tu, inquam, maxime Imperator, exulantes relegatasque virtutes ad rempublicam quodam [3] postliminio reduxisti: tu extincta jam literarum studia [4] flammasti: [5] tu philosophiam paulo ante suspectam, ac [6] nedum spoliatam honori-

INTERPRETATIO.

a *Macilentus reddatur.*
b *Jam imperator novam dignitatem mihi destinabat.*

NOTÆ.

1. *Olivitas.*] Vox a Catone, Varrone, & Columella usurpata pro tempore colligendarum olivarum.

2. *Fortunatorum insulas.*] De his passim apud poetas. Horat. epod. 16. *Beata petamus arva, divites & insulas, reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, & imputata floret usque vinea &c.*

2. *Spica triticea.*] A nominativo *spicum*, quo usus est Tullius in Arato *spicum illustre ferens.*

3. *Postliminio.*] Postliminio redeunt, quicunque eodem, seu ad idem limen revertuntur, unde exierant.

4. *Flammasti.*] Vox non semel Tacito usurpata, pro *inflammasti*

5. *Tu Philosophiam.*] Melior fortasse fuisset Julianus, si naturæ arcanis perscrutandis minus se dedisset.

6. *Nedum spoliatam.*] Id est, *non modo spoliatam.*

bus, ſed accuſatam ac ream non modo judicio liberaſti, ſed amictam purpura, auro gemmiſque redimitam [7] in regali ſolio collocaſti. Suſpicere jam in cœlum licet, & ſecuris contemplari aſtra luminibus, qui paulo ante pecorum atque quadrupedum animantium ritu in humum viſus trepidos figebamus. Quis enim ſpectare auderet ortum ſideris, quis occaſum? Ne agricolæ quidem, quorum opera ad motum ſignorum cœleſtium temperanda ſunt, tempeſtatum præſagia rimabantur. Ipſi nautæ, qui nocturnos curſus ad aſtra moderantur, ſtellarum nominibus abſtinebant. Prorſus terra marique non ratione cœleſti, ſed caſu ac temere vivebatur.

XXIV. Nihil igitur mirum eſt, Imperator, ſi tantus amor, & tam verus in te civium fervet. Neque enim ullum puto poſt homines natos tanto generis humani ardore dilectum. Ceterorum regum atque imperatorum charitates admodum raræ, nec unquam diuturnæ fuerunt. [1] In ſummis enim hominum habitavere pectoribus, ſubita & fortunata benevolentia provocatæ, non virtutum admiratione devinctæ. At vero noſter affectus veri certique judicii eſt, imis mentis ſedibus alligatus animus, & vitæ immixtus & unitus, reſolutis etiam morte corporibus cum immortali mente victurus. Arma igitur, & juvenes cum gladiis atque pilis non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed quidam imperatoriæ majeſtatis ſolennis ornatus. Quid enim iſtis opus eſt, cum firmiſſimo ſis muro civici amoris obſeptus? An metuenda tibi [2] curia eſt, cum ſenatui non ſolum veterem reddideris dignitatem, ſed plurimum etiam novi honoris adjeceris? An populus eſt timendus [3] procuratori alimentorum ſuorum, vitæ vindici, libertatis auctori? Nam quid de militibus loquar? [4] Duo, aut tria ferme ex vetere memoria amicorum paria proferuntur. Nego quempiam ab uno amico plus dilectum quam tu, Imperator, non modo a [5] comitibus, tribunis tuis, ſed a legionibus cunctis, equitibus ac peditibus, [6] gregariis etiam militibus diligaris. Itaque, quod ad te attinet, cuncta jam a cuſtodia tui arma removeres, ſed quando hoc potes perſuadere militibus? Anxia eſt fide-

Notæ.

7. *In regali ſolio collocaſti.*] Sic Pacatus in Theodoſ. pan. n. 16. *Tu amicitiam non ſolum intra aulam vocaſti, ſed indutam purpura, auro gemmiſque redimitam ſolio recepiſti.*

1. *In ſummis pectoribus.*] Id eſt, in extima parte pectoris, ut ſit oppoſitio cum iis quæ mox ſequuntur. *At vero noſter affectus imis mentis ſedibus alligatus.* Expungenda videtur Acidalio vox quæ ſequitur, nempe *animus.*

2. *Curia.*] Locus ubi de rebus publicis agebatur.

3. *Procuratori alimentorum.*] Julianus enim Romam propter diuturna bella fame afflictam ſuppeditatis alimentis ſuſtentarat.

4. *Duo aut tria.*] Nota eſt Theſei & Pirithoi: Damonis, & Pythiæ: C. Lælii & Africani Scipionis amicitia. Plura ejus generis exempla paſſim vide apud auctores.

5. *Comitibus.*] De tribus Comitum ordinibus a Conſtantino introductis: quid ſingulis pro ratione ſui ordinis conveniret: de *Comitibus provinciarum, de Comite divinæ domus, largitionum &c.* vide Gutherium *de officiis domus Auguſtæ.*

6. *Gregariis militibus.*] Gregarius miles, dicitur unus e grege, & tumultuarie undecunque collectus.

lium diligentia. [a] Maximo amori maximus timor junctus est. Non nobis sufficit quod obtinuisti ut nemo te velit lædere, nisi nos curamus ut nemo possit.

XXV. Habuerunt nonnulli alii principes devotam & amantem sui cohortem, sed alio quodam modo; primum quod [1] imperiti ac rudes indoctissimum quemque in consilium deligebant, scilicet ut ipsorum prudentia vulgo suo aliquatenus eminerent. Ita cum vilissimus quisque honorum & divitiarum potitus foret, sua commoda, & vitia principum diligebant. Ab his optimus quisque abigebatur procul, cum suspecta esset probitas & invisa; & quanto quisque honestior, [a] tanto importunior turpium arbiter vitaretur. At tu, Auguste, omnibus nugis remotis, optimum & doctissimum quemque perquiris. Si quis præstat virtutibus bellicis & laude militiæ, in amicis habetur; qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultro ad familiaritatem vocatur. Quicunque in administratione reipublicæ innocentem se unquam & strenuum præbuit, in consortium munerum receptatur. Regendis provinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis. Omnes a te augentur pecunia, locupletantur divitiis, honoribus honestantur.

XXVI. Prorsus amicitias tueris privati fide, imperatoris opulentia, quæ perpetuæ & constantis benevolentiæ prima fiducia est, certissima virtutum, & princeps veritas. [1] Num quem in animo esse suspicatum audivi? Nemo simulatis blanditiis, nemo falsa pollicitatione deceptus est. Quis nescit aliorum imperatorum hilarem diritatem, [2] cachinnantemque sævitiam; a quibus ingenita crudelitas figmento lætitiæ tegebatur? Mira est in principe nostro mentis linguæque concordia. Non modo humilis & parvi animi, sed [3] servile vitium scit esse mendacium. Et vere, cum mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ suæ imperator qui mentitur ignorat. Quis, oro vos, plura præbuit fidei constantiæque documenta? Omnes quos privatus in familiaritatem recepit, eodem habet imperator affectu. Nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatii fores clausæ sunt. [4] Omnes bonos habet. In recipiendis

INTERPRETATIO.

a Ejus causa, quem *multum diligis, plurimum times.*

a *Tanto molestior testis fugeretur eorum quæ agerentur turpiter.*

NOTÆ.

1. *Imperiti ac rudes.*] Ita restituendum fuit ex Cuspiniani codice, cum in plerisque libris legatur *imperitia rudes.* Similiter pro *primum*, aliqui legunt *plerique.*

1. *Num quem &c.*] Fortasse *num quis maligne de se suspicatum audivit?* Ita Livineio videtur.

2. *Cachinnantem sævitiam.*] Id est, quam cachinno seu effuso risu dissimulabat. Domitianum notat, qui, quotiescunque sævire in quempiam destinabat, composito ad risus & jocos vultu, iracundiam tegebat.

3. *Servile vitium scit esse mendacium.*] Sumptum illud ex Plutarcho de institutione puerorum, δουλοπρεπὲς τὸ ψεύδεσθαι.

4. *Omnes bonos habet.*] An *amat*: nisi *habet* id significat, quod apud Græcos ἔχει pro tenet, retinet.

amicis

amicis optimus judex eſt. Si aliqui ſunt improbi tolerandi, familiarium vitiis immutabilis eſt amicus.

XXVII. At mutant ſecundæ res animos? Noſtrum principem ſi nondum mutaverint, quando mutabunt? Cujus unquam divinior felicitas fuit? Paulo ante [1] in laceratis Galliæ provinciis lapſus [2] inimicorum capitalium apertis armis, & occultis inſidiis petebatur; in pauculis menſibus divino munere Libyæ, Europæ, Aſiæque regnator eſt. Quæ majora expectabimus dei præmia, quæve uberiora dona fortunæ? Videte num ſecundis rebus elatus aliquid de prioris vitæ manſuetudine & moderatione mutaverit. Mutavit plane, mutavit. Nam civilior factus proſperorum infregit invidiam. Cui non vel illud tempus ſedatæ præbuit mentis indicium, quo horrendi belli metu republica liberata, elati ſumus cuncti geſtiente lætitia? Sed imperator, quanquam cœleſti ope ſalutem reipublicæ propagatam videret, & conditionem doluit humanam, &, offenſarum gratiam faciens, induit fratrem, & cujus armis [3] vitam impugnatam ſciebat; mortem ejus ornavit, ac poſtea ipſe juſta perſolvit. Et memoria, & oblivione mirabilis, [4] oblitus inimici, meminit hæredis.

XXVIII. Sed quid ego longius indicia mitis & manſuetæ mentis acceſſo? Hic ipſe, hic inquam ipſe dies præbuit civilis animi ſatis clara documenta. Ego & [1] collega meus, ne quid maximus imperator propenſius humanitatis ſtudio faceret verebamur. Itaque matutino crepuſculo palatium petimus. Adventare nos principi, forte tum danti operam [2] ſalutatoribus, nunciatur. Statim e ſolio [3] tanquam præceptus exiluit, vultu trepido atque ſatagente, qualis mens mea eſſe potuiſſet, ſi principi ſerus occurrerem. Ægre remotis populi qui nos prægrediebatur agminibus, ut quam longiſſime nobis obviam procederet laboravit. Illic, proh ſancta divinitas! gaudentibus cunctis, quo ore? qua voce? inquit, Ave [4] conſul ampliſſime. Dignatus oſculo oris illius divinis affatibus conſecrati dexteram dedit, illam dexteram, immortale pignus virtutis, & fidei. Poetæ ferunt altiſſimum illum, & cuncta poteſtate cohibentem deum, qui ditione perpetua divina atque humana moderatur, cum deſpiciat in terras

NOTÆ.

1. *In laceratis Galliæ provinciis.*] Acidalius legit *in laceratas Galliæ provincias.*

2. *Inimicorum.*] Nempe Conſtantii, ejuſque factionis.

3. *Vitam impugnatam.*] Rittershuſius legit *vitam ſuam impugnatam.*

4. *Oblitus inimici.*] Oblitus ſe inimicum fuiſſe, meminit ſe hæredem ejus eſſe imperii.

1. *Collega meus.*] Nevita, de quo non uno in loco Ammianus.

2. *Salutatoribus.*] Nam moris erat apud Romanos, ut viri principes ſeu qui ſupra ceteros potentia eminerent prima, & ſecunda hora matutina ſalutarentur. Martialis l. 4 ep. 8. *prima ſalutantes atque altera conterit hora.*

3. *Tanquam præceptus.*] Id eſt, præventus, ut Virgil. Æneid. 6. 105. *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.*

4. *Conſul ampliſſime.*] Utrum hoc honoris titulo cohoneſtabantur conſules, ut ad epigr. 9. l. 1. Apollinaris Sidonii obſervat Joan. Savaro? an quod Mamertinus ad conſulatum virtute ſua perveniſſet? *Is enim*, inquit Tullius pro Roſcio

[5] habitu oris tempestatum incerta mutare, ejus nutu mundum tremiscere, illius hilaritate turbines abigi, nubes fugari, nitentia per orbem serena refundi.

XXIX. Hoc ita esse, paulo ante oculis licuit experiri. [a] In quantam
5 laxatus est populus te consulibus tuis arridente lætitiam? Vidimus attonitos admirantium vultus, multiformes lætantium status, varios corporum motus. Clamores inconditos profundebat laudandi effusa libertas. Tripudiabat crebris saltibus multitudo. Nimiæ lætitiæ decoris sunt & gravitatis immemores. Illa jactatio togarum, illa exultatio corporum nes-
10 cientibus pene hominibus excitabatur. Omnem modestiam populi, omnem verecundiam tui gaudia effræna superaverant. Ave consul amplissime. Aveo plane, Imperator, & avebo. [b] Neque enim eventus esse potest optati hujus ambiguus; cum is avere jubeat, qui jam fecit ut averem. Consul amplissime. Sum plane & consul, & amplissimus consul. Quis enim me fuit
15 amplior consul, quem [1] sublimat & illustrat consulatus, quem tribuisti: amplitudo, quam tribuis. Post primæ salutationis fausta colloquia, quid pro jure consulari agere nobis placeat sciscitatur, senatorium impleturus officium si libeat [2] tribunal petere, si concionem advocare, si rostra conscendere. Sed nos ad curiam solennia hujus diei senatusconsulta duce-
20 bant. Itaque se comitem statim præbet, & utrumque latus consulatus prætextatis tectus incedit, non multum differens a magistratibus suis & genere & colore vestitus.

XXX. Superfluum forte videatur quæ vosmetipsi vidistis iterare, neque enim auribus expetuntur quæ fuerint usurpata luminibus, sed man-
25 danda sunt literis, inserenda monumentis, mittenda in posteros venturis seculis vix credenda miracula. Pene intra ipsas palatinæ domus valvas, lecticas consulares jussit inferri; & cum, honori ejus venerationique cedentes, sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gra-
30 dum moderans pene ad lictoris nutum, & [1] viatoris imperium. Credet hoc aliquis qui illa purpuratorum vidit paulo ante fastidia, qui ideo tantum honorem in suos, ne inhonoros contemnerent, conferebant? Credet aliquis tanto post veterem illam priscorum temporum libertatem

INTERPRETATIO.

a *In quantum gaudium effusus est populus, dum tuis consulibus adblandireris.*

b *Neque enim potest dubium esse successus hujus voti tui.*

NOTÆ.

Amerino n. 85. *Mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit.*

5. *Habitu.*] An *halitu*? Quanquam & *habitus oris* apud Lucanum dicitur.

1. *Sublimat.*] Extollit. Uox Ennii & Nonii.

2. *Tribunal petere,*] Nota varia consulum officia, tribunal petere, concionem advocare, rostra conscendere, in curia senatus consulta proferre. Hoc passim videre est apud historiæ Romanæ scriptores.

1. *Viatoris imperium.*] De viatoribus supra in Plinii *paneg*, n. 76. *not.* 8.

reipublicæ redditam? neque enim ego [1] Lucii Bruti, & Publii Valerii, qui primi exactis regibus potestate annua civibus præfuerunt, consulatum nostro anteponendum puto. Uterque bono publico, uterque Romanæ reipublicæ salutaris, uterque insignis principiis commodorum; sed habet aliquid unusquisque præcipuum. Illi potestatem consularem per populum acceperunt, nos per Julianum recepimus. Illorum anno libertas orta est, nostro restituta.

XXXI. Sed sint, sanctissime Imperator, ea quæ tu juste, moderate, civiliter facis aliis forte miraculo; mihi esse non possunt, qui te omnibus [1] humanis vitiis absolutum & liberum, sciam solo immortalitatis amore flagrare, dirigere omnes opes & cogitationes tuas ad memoriam posteritatis æternam, atque his maxime servire judicibus qui de rebus gestis tuis sine odio & gratia venturis seculis judicabunt. Non potest quidquam abjectum & humile cogitare, qui scit de se semper loquendum. Nunc si tibi, Imperator, parum ampla, nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quæso obtestorque te, meæ id naturæ potius quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum. Nemo unquam post homines natos ampliora præmia a regibus atque imperatoribus consecutus est; nulli plus oneris impositum. Non abnuam præfecturas, & consulatus multis esse delatos, sed his post immensos labores, honos quasi debitus restitutus est: mihi cum jam honorem adeptus sim, nunc demum ut merear laborandum est. Versa ratione temporum, permutata munerum vice, modo enitendum est ut præmio dignus existimer, cum jam præmium ceperim. O mihi festinæ tuæ benevolentiæ gravissimum pondus! Vereor ut aperte exprimere difficultatum mearum ordinem valeam. Facilius est, Imperator, bonis artibus mereri consulem fieri, quam industria & labore perficere ut videaris meruisse cum factus sis.

XXXII. Absit, Auguste, & istud sancta divinitas omen avertat, ut tu a quoquam mortalium expectes vicem beneficii! veruntamen, quod solum vel accipere potest ista fortuna, vel a nobis opibus tuis tribui, immortalitatem munerum tuorum colam officiis sempiternis. Omne negotium, omne otium meum in ornandis rebus tuis celebrandisque ponetur; neque solum vivente me ac vigente grati animi benevolentia declarabitur; sed etiam [1] cum anima defecerit, monumenta tui in me beneficii permanebunt.[2] In referenda autem gratia, sanctissime Imperator, hoc tibi polliceor, semperque præstabo, mihi neque in suggerendis consiliis

NOTÆ.

1. *L. Bruti, & P. Valerii.*] De his primis Romanorum consulibus abstineo referre, quæ habent fuse historiæ Romanæ scriptores.

1. *Humanis vitiis absolutum.*] Haud ita esse, ad Juliani vitæ finem observavi.

1. *Cum anima defecerit.*] In editione Puteana est *a me anima defecerit.* Duas voculas expunxi cum Acidalio. In aliis est *cum me anima defecerit.*

2. *In referenda autem gratia.*] Sumptum illud, ut vel omnium minime oculatis patet, ex *Ciceroniana oratione post reditum ad Quirites*, sub finem.

veritatem, neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neque in sententia simpliciter ferenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro republica teque lædendis libertatem, neque in laboribus perferendis industriam, neque in augendis imperii tui commodis grati animi
5 benevolentiam defuturam; idque omni vitæ meæ tempore summis opibus enixurum, elaboraturum, effecturum, ut honores in me tui non quia necesse fuerit ad quemcunque delati, sed quia oportuerit recte positi & ratione collocati esse videantur.

AD PANEGYRICUM XII.

VITA

FL. THEODOSII MAGNI.



Anno V. C. 1098. *Christi* 345. *Constantini imp.* 9.

FLAVIUS THEODOSIUS SENIOR, sive MAGNUS, patre non Theodoro, ut ait Aur. Victor. sed Theodosio, & matre Thermantia, nascitur in Hispania, ubi educatus est in urbe Cauca Gallæciæ provinciæ, ut refert Zosimus, vel ut Marcellinus ait, Italicæ in Trajani, a quo genus ducebat, patria.

An. V. C. 1119. *Christi* 366. *Valentiniani & Valentis Augg. imp.* 3. *Theodos. ætat.* 21.

Cum esset adhuc adolescens præclara habuit in patre bellicæ virtutis exempla, namque is Francos, & Saxonas ad Rhenum & Vahalim in Batavia, & ad Bononiam attrivit. *Pacati paneg.*

An. V. C. 1120. *Christi* 367. *Valentiniani & Valentis Augg. imp* 4. *Gratiani imp.* 1. *Theodos. ætat.* 22.

Theodosius pater in Britanniam cum exercitu missus quadriennio totam pacat, Valentinum tyrannum opprimit. Utroque in bello Theodosium sub patre meruisse indicat Ammianus, cum ait Maximum antequam in Britannia tyrannidem reprimeret, *Theodosii principis in Britannia commilitonem fuisse.*

An. V. C. 1123. *Christi* 370. *Valentiniani & Valentis Augg. imp.* 7. *Gratiani imp.* 4. *Theodos. ætat.* 25.

Theodosius pater post pacatam Bri-

tanniam Constantinopolim redit.

An. V. C. 1125. Christi 372. Valentin. & Valent. Augg. imp. 9. Gratian. imp. 6. Theodos. ætat. 27.

Dum pater tum equitum magister Alamannos metu dispersos aggressus per Rhætias partim cædit, partim in Italiam abducit, ipse Mœsiæ dux cum esset, bellum contra Quados infelici exitu susceptum instaurat & Sarmatas reprimit. *Ammianus l. 28.*

An. V. C. 1126. Christi 373. Valentin. & Valent. 10. Gratiani 7. Theodos. ætat. 28.

Theodosius pater Firmum Africæ tyrannum ad deditionem cogit, atque iterum rebellantem ad laqueum adigit. *Ammianus.* Idem Carthagine in Africa post susceptum baptismum iniquissima nece affectus est a Valente, quod huic de successore per magicas artes inquirenti, prima illius nominis elementa prodita fuissent THEOD. Theodorus vero quod sibi ob affinitatem nominis imperium præsumeret, scelestæ cupidinis justas pœnas persolvit. Quæsitus ad parem subeundam sortem Theodosii filius jam bellica virtute clarissimus fuga suæ saluti providit.

An. V. C. 1132. Christi 379. Gratiani 13. Valentin. jun. 5. Theodos. ætat. 34.

Cum Gratianus imperium a Germanis Gotthisque gravissime vexatum videret, Theodosium ex Italica patria, quo se post patris mortem ad declinandam Valentis ferociam receperat, evocatum imperii consortem facit Sirmii (quæ civitas est Illyrii) 14 aut juxta Socratem 17. Kal. Febr. Statim Gratianus in Occidentem profectus Alamannos vincit. Theodosio committitur Orientis cura. Is Gotthos, Scythas, Taifalos, Hunnos, fœderatis viribus adversus se congressos cum magna strage e Thracia pellit, a quibus acceptis obsidibus firmata pace ad Gratianum redit. *Sozom. Idat. Prosper. Theodoret.*

An. V. C. 1133. Christi 380. Gratiani 14. Valentin. iun. 6. Theodosi 2. imp. 2. ætat. 35.

Theodosius primum consul Thessalonicæ gravi morbo correptus ab Acholio ejus urbis antistite viro sanctissimo baptisatur, statimque convalescit. Sancit 3. Kal. Mart. ut ne quis aliam fidem profiteretur, nisi quam Damasus Pontifex Romanus & Petrus Alexandrinus a divo Petro acceptam fidelibus præscripserant. Procurante Gratiano, propterea quod, *ut ait Socrates,* Theodosius ægrotaret: pax firmatur cum Gotthis 8. Kal. Decemb. Maximum Philosophum Cynicum, de quo multa in Juliani vita dicta sunt, e Constantinopolitana, cui is præerat, ecclesia pellit Theodosius. *Greg. Nazianz.* Constantinopolim ingressus 18. Kal. Dec. Arianis ecclesias adimit. Gregorium Nazianzenum in ecclesiam introducit 6. Kal. Decemb. *Socrates, Idatius, Marcellinus Comes.*

An. V. C. 1134. Christi 381. Gratiani 15. Valentin. iun. 7. Theodos. imp. 3. ætat. 36.

Theodosius Athanaricum Gotthorum regem a suis pulsum, suam opem Constantinopoli implorantem perhonorifice excipit 3. Id. Januar. eundemque 8. Kal. Febr. mortuum regiis plane exequiis cohonestat. Qua Theodosii magnificentia deliniti Gotthi ab incursationibus abstinent. *Idat. Zosimus. Prosper. Marcell. Comes.* Eodem anno secunda Synodus œcumenica Constantinopoli habita est, in qua ab 150. episcopis contra Macedonium de Spiritus sancti divinitate decretum editum est cum fidei Symbolo.

An. V. C. 1135. Christi 382. Gratiani 16. Theodos. imp. 4. ætat. 37.

Theodosius Valentiniani Magni anno Christi 375. in Galliis apud Bergentionem cum Quadorum legatis responsum daret apoplexia mortui cadaver deportatum IX. Kal. Mart. regia munificentia excipit. Interim Clemens Maximus (sic enim a Severo appellatur) origine Britannus in Britanniis tyrannidem occupat, & sede imperii Treveris collocata Victorem filium imperii consortem adhibet. *Zosimus. Socrates. Aurel. Victor.*

An. V. C. 1136. *Christi* 383. *Gratiani* 17. *Valentin.* 9. *Theodos. imp.* 5. *ætat.* 38.

Theodosius filium Arcadium Augustum facit 17. vel ut ait Socrates 14. Kal. Febr ad quem moderandum Arsenius vir non minus integritate morum, quam eruditione insignis, a Damaso Papa Constantinopolim mittitur. Cum Maximus tyrannus Gratianum Germanicis bellis debilitatum aggressus Lugduni 8. Kal. Sept. dolo per Andragathium peremisset, is a Valentiniano ad imperii societatem, at ex necessitate admittitur. Theodosius ejus legatis id ipsum a se postulantibus nihil certi respondit, ne insidiæ quoque Valentiniano juniori ab eodem Maximo struerentur, antequam collectis copiis pupilli imperatoris pueritiam armis posset tutari. Hoc subodoratus tyrannus, quamvis fœdus cum Valentiniano iniisset, Mediolanum ubi Valentinianus versabatur venturus, numerosum exercitum apparat. Ille cum matre Justina & Probo Hyparcho Thessalonicam fugit, Theodosii opem imploraturus. Martinus Maximo prædixerat futurum, ut si in Italiam adversus Valentinianum veniret, primo quidem impetu victor esset, at parvo post tempore periret, ut reipsa contigit.

An. V. C. 1137. *Christi* 384. *Valentin.* 10. *Theodosii imp.* 6. *ætat.* 39.

Theodosius Persarum legatis ad se Constantinopolim pacis petendæ causa missis votum eo lubentius annuit, quod de bello adversus Maximum gerendo cogitaret. Relicto itaque Constantinopoli Arcadio filio cum Augusti nomine, Valentinianum Thessalonicæ convenit. Interim ei ex Placilla uxore, ut aiunt *Idat. & Marcell.* nascitur Honorius 5. id. Septemb. Themistius sextam orationem Theodosio panegyricam dicit. Iterum Ambrosius ad Maximum legatus mittitur ad Gratiani corpus repetendum.

An. V. C. 1138. *Christi* 385. *Valentin.* 11. *Theodosii imp* 7. *ætat.* 40.

Theodosius Arcadio Augusto consulatum dat.

An. V. C. 1139. *Christi* 386. *Valentin.* 12. *Theodosii imp.* 8. *ætat.* 41.

Honorium Cæsarem simul & consulem facit. Ipse una cum Arcadio triumphans, ut referunt *Idatius, Marcellinus, Zosimus*, Constantinopolim ingreditur 4. Id. Octobris ubi Placilla priore conjuge extincta, Gallam Placidiam Valentiniani Senioris & Justinæ filiam ea conditione ducit, inquit Zosimus, ut jam meditatam animo & promissam sæpius adversus Maximum expeditionem ocyus conficeret: promissis stetit, statimque Justinam cum filio Valentiniano & filia Galla navibus impositam Romam ablegat.

An. V. C. 1140. *Christi* 387. *Valentin.* 13. *Theodosii imp.* 9. *ætat.* 42.

Theodosius cum filio Arcadio, ut ait *Idatius* quinquennalia celebrat indictionibus & ludis. Sub id tempus teste Marcellino Maximus repente in Italiam, quo Valentinianum cum matre & sorore advenisse audierat, irrumpit. Ille metu perculsus iterum Thessalonicam ad Theodosium fugit, cui quidem tendere in transitu insidias Maximus frustra nititur.

An. V. C. 1141. *Christi* 388. *Valentin.* 14. *Theodos. imp.* 10. *ætat.* 43.

Cum Theodosius secundum consul ad bellum contra Maximum sese compararet, novum quoddam tributi genus Antiochenis indixerat. Illi exacerbati Placillæ statuam eversam per ludibrium raptant, qua injuria vehementer commotus Theodosius, missis jam qui pœnas expeterent militibus, Flaviani Antiochensium episcopi sancti & prudentis viri legatione placatur. Interim Maximus tota, præter Mediolanensem urbem quam episcopi sui Ambrosii sanctitas & industria servavit, vastata Italia in Urbem cogitabat. Quare Theodosius Sanctorum in primisque Joannis Anachoretæ ac Senuphii precibus commotus Aquileiam contendit. Hic ut ait Socrates Maximi exercitum plane delet VI. Kal. Sept. eumque captum & a Theodosii oculis abductum irati milites regiis ornamentis exuunt & interficiunt tertio ab Aquileia milliario, Kal. Aug. Victor Maximi filius haud multo post per Arbogastem Comitem in Galliis occiditur. *Zosimus.* Andragathius ejus Comes, qui fretum Ionium tenebat cum ingenti classe, audita Maximi nece sese præcipitem in mare misit.

An. V. C. 1142. *Christi* 389. *Valentin.* 15. *Theodosii imp.* 11. *ætat.* 44.

Theodosius Mediolano digressus cum Valentiniano & Honorio filio suo admodum adolescente quem Constantinopoli eam ob rem ad se evocarat victor ingreditur idibus Junii, Valentiniano non Italiam modo quam tenuerat, sed & Gallias, Hispanias, Britanniasque omnes quas ipse nunquam, sed soli pater avusque habuerant, ultro restituit. Hic Latinus Pacatus orationem panegyricam victori Theodosio dixit. *Justina autem* Valentiniani mater *ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est.* Prosper Pithœi, Sozomen.

An. V. C 1143. *Christi* 390. *Valentin.* 16. *Theodos. imp.* 12. *ætat.* 45.

Thessalonicenses Boterichum in Illyrico militiæ præfectum perimunt: quare ita exarsit imperator ut populum ad circenses ludos invitarum sine discrimine per milites eam ob rem in thearrum immissos ad septem hominum millia interfici jusserit. Id post cæsum Eugenium conrigisse ait solus Sozomenus. Ut ut est, Theodosius publicam pœnam ab illo impositam insigni pietatis exemplo persoluit. *Rufin. Theodor. Paulin. in vita S. Amb. Prosper.* Galla Theodosii conjux per Arcadium privignum suum ejicitur. *Marcellin.*

An. V. C. 1144. *Christi* 391. *Valentin.* 17. *Theodosii imp.* 13. *ætat.* 46.

Theodosius cum cetera omnia præclare dispensasset, urbis gubernationem Valentiniano reliquit. Inde cum filio (Honorio) *Constantinopolim iter capit, eoque adventat iisdem Tatiane, Symmachoque coss.* 4. *Idus Novemb.* Socrates.

An. V. C. 1145. *Christi* 392. *Valentin.* 18. *Theodosii imp.* 14. *ætat.* 47.

Valenriniano ab Arbogaste Comite apud Viennam in Gallia occiso; *Arbogastes oriundus e gente Francorum, quem secundum a Baudone duce* viro ejus temporis omnium potentissimo, *locum Gratianus imperator obtinere jusserat, illo rebus humanis exempto, fretus industria sua, citra principis auctoritatem, imperium sibi militare vindicaverat.* Is habebat in aula sibi a Ricomere commendatum & traditum ludi literarii magistrum Eugenium, cui summa doctrina pari conjuncta vitæ integritate & morum elegantia magnam in Galliis auctoritarem fecerar. Igitur amoliturus a se affectatæ tyrannidis invidiam, simul ut ipse sub ejus nomine administraret imperium, hunc Augustum in occidenre acclamat.

An. V. C. 1146. *Christi* 393. *Theodos. imp.* 15. *ætat.* 48.

Theodosius tertium consul contra tyrannum Eugenium ante sibi conciliato precibus ac jejuniis divino numine, relictoque Constanrinopoli Arcadio, atque etiam, si Socrati credimus, Honorio, quem Augustum in Hebdomo renuntiarat. 4. Id. Ianuar. ut ait idem Socrates, vel, ut alii omnes volunt 11. Kal. Decemb. cum numerosissimo Transistrianorum exercitu, quibus Gainem & Saulum præfecerat, Alpes ingreditur.

An. V. C. 1147. *Christi* 394. *Theodos. imp* 16. *ætat.* 49.

Theodosius primo quidem prælio quod Septembris initio datum, decem millia suorum perdidit: *ita permittente Deo,* inquit Ruffinus, *non ut Theodosius vinceretur, sed ne per barbaros vincere videretur.* Nocte vero prostratus in pedes Theodosius ab Apostolis duobus de victoria, quam ante Joan. Anachoreta, Theodosiusque sibi prædixerant, certior fit. Igitur pugna postridie mane commissa ad ripam amnis cui nomen Frigida prope Aquileiam, sublatus repente ventus vehementior, excutere clypeos de manibus hostium, abripere scuta, tela in ipsorum ora retorquere. Hic vero incredibilis Eugenianorum pavor & strages sese suis sagittis confodientium. Eugenius captus, ac detractis insignibus imperatoriis cum demississime vitam precaretur, interfectus est. Arbogastes rebus desperatis *biduo post prælium fugiens sua se manu perculit.* Orosius.

An. V. C. 1148. *Christi* 395. *Theodos. imp.* 17. *ætat.* 50.

Theodosius Aquileia, ubi post cæsum Eugenium aliquandiu restirerar Mediolanum reversus Arcadium & Honorium Constantinopoli ad se evocatos in ecclesia suscipit, & Ambrosio traditos commendar. Honorium unum evocatum esse aliqui as-

ferunt, eumque a Serena Stiliconis conjuge & Theodosii ex fratre nepte ad eum esse deductum, ac Stiliconis tutelæ commissum. His rebus ita compositis Theodosius aqua intercute 17. Kal. Febr. de nocte, cum ipse mane ludis circensibus interfuisset, obiit ætatis anno non 60. ut vult Socrates, sed 50. imperii vero 17. *Victor. Prosper, Marcellinus.* Corpus ejus magna pompa Constantinopolim translatum ibique sepultum est.

Non alius imperator aut plura aut difficiliora bella fortius suscepit, confecit celerius & gloriosius, ut dubitari possit, fortior fuerit, an felicior? Non sibi sed alus vincebat: oppressorum regum defensor simul & strenuissimus, & integerrimus. Vir animo rerum omnium capaci, quique ut nomen ipsum indicabat, ad totius orbis bonum & pacem divino quodam munere concessus videretur. Ad hæc Christianæ religionis pietate insignis, perpetua belli consuetudine nihilum efferatus, in omnes officiosus, imperatorum nulli secundus, si ad ceteras virtutes in iracundia moderatio accessisset.

DE AUCTORE PANEGYRICI ET QUO TEMPORE AC LOCO HABITUS SIT.

Hujus orationis auctor est Latinus Pacatus Drepanius, non Italus, aut Siculus, ut inepte quidam suspicantur, sed natione Gallus, ut apparet ex paneg. n. 24. *unde igitur ordiar*, inquit Pacatus, *nisi a tuis mea Gallia malis*? Patria Burdegalensis fuit, ut Elias Vinetus in Ausonium notat ex paneg. n. 2. ubi idem Pacatus Transalpinum se dicit, & ex ultimo Galliarum recessu. *Qua litus*, inquit, *oceani cadentem excipit solem, ac deficientibus terris sociale miscetur elementum.* Præterea fuit ei cum Ausonio Burdegalensi magna familiaritas, qui eum proconsulem non uno in loco appellat, ipsique nonnulla opuscula, ut epigrammata, ludum sapientum, technopægnion, & grammaticomastigem inscripsit. Eundem eximium poetam appellat Idyll. 7. Tamen utrum idem fuerit cum eo, cujus extant psalmi, hymnique aliquot, ac alia carmina, & in iis epistola elegiaca ad Augustodunensem episcopum, dubitat idem Elias Vinetus in Ausonium. Noster vero Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato negat hunc Pacatum nostrum eundem fuisse atque is, qui ad Uranium scribens S. Paulini vitam vincta numeris oratione scripturum se recepérat. Sed hunc Pacatum nostro tribus & quadraginta annis juniorem ait ad quem Symmachus mittit epistolam 12. l. 8. & ep. 58. & 69. libri 9.

Pronunciatus est hic panegyricus an. Christi 391. secundum Haloandri rationes; ad Kal. Septembr. ut tradit Marcellinus Comes; Romæ, quo relatam de Maximo tyranno victoriam gratulaturus e Gallia missus erat, coram imperatore, quem compellare præsentem videtur; spectante senatu, ut ipse ait panegyrici hujus initio.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

IN EXORDIO. Cum multa sibi dicenti metum afferant, tum in primis commoveri se ait, quod coram imperatore, coram senatu, Romæ, homo Gallus dicat: accedere se tamen ad laudandum Theodosium; & quia lon

longo locorum intervallo eam ob rem Romam venerit ; & quia laudandi principis nulla incumbit necessitas.

DISTRIBUTIO. *Videtur hac esse* I. *vita Theodosii privata* ; II. *vita ejusdem publica laudatur.*

I. PARS. *Theodosius difficillimis temporibus ideo a Gratiano in imperii societatem adsciscitur , ut inclinantem in praeceps rempublicam sustineat* , n. 2. *Non alium eligendum fuisse declarant , ejus patria* , n. 4. *parentis victoria , domus splendor* , n. 5. *formae praestantia* , n. 6. *aetas integra , & matura imperio* , n. 7. *A fortunae donis transit ad animi dotes. Usus belli quo puer jam fingebatur ad imperium* , n. 8. *res praeclare in bello gestae*, n. 10. *modestia in recusando imperio.*, n. 11. *in eodem administrando , minuendisque palatinis sumptibus frugalitas , in sanciendis legibus providentia* , n. 13. *in iis , quibus committeret arcana , quos promoveret ad magistratus, seligendis prudentia* , n. 15. *egregia in amicos fides* , n. 16. *in exequendis promissis religio* , n. 17. *erga eos , quorum ambitioni pro magistratuum paucitate facere satis non poterat , singularis humanitas commendatur* , n. 20.

II. PARS. *De publicis ejus virtutibus. Quam bonus & civilis in admittendis ad se omnibus , in eorum querelis audiendis* , n. 21. *De vultu non minus hostibus , quam civibus notus. Memorantur ejus victoriae de Gotthis , Hunnis , Saracenis , Scythis , Albanis , & Persis* , n. 22. *In extremam Galliarum partem cum exercitu progreditur adversus Maximum Galliae tyrannum , multarum legionum defectione* , n. 23. *quinquennii impunitate inflatum , perempto Gratiano in Gallia caedibus , rapinis , & omni genere crudelitatis grassantem* , n. 24. *Non sine divino auxilio factum , ut tyrannus ille foedus cum Theodosio utcunque initum violaret* , n. 30. *ut Theodosii adventum sustinere non potuerit* , n. 31. *ut ad Asciam fluvium fusus ac plane deletus sit* , n. 32. *ut Marcellini pariter exercitus profligatus sit* , n. 35. *Theodosius abjicienti arma vitam condonat* , n. 36. *Haemonam ingreditur victor : quanto populorum concursu* , n. 37. *Maximus quo fugiat incertus, Aquileia se includit* , n. 38. *Huc cum exercitu mira celeritate convolat Theodosius* , n. 39. *singulas imperatoris virtutes in hujus triumphi partem venisse, inprimis felicitatem qua factum est ut Maximus voluntaria nece turpiorem, qualis sceleri debebatur , mortem non effugerit* , n. 40. *ut spoliatus regiis ornamentis ad Theodosii pedes captivus adductus* , n. 43. *ut statim ab Imperatoris conspectu abductus eo inscio peremptus sit* , n. 44. *futurus posteris vindicatae tyrannidis exemplum. Laudatur summa victoris clementia* , n. 45. *Cinnae , Syllae , Marii , Caesaris dissimilis* , n. 46. *Theodosii in Urbem ingressus. Leges ab eo sapienter instauratae* , n. 47.

IN FINE. *Postremum sibi gratulatur , quod tantarum rerum testis futurus e Gallia Romam venerit. Quanta alacritate excipiendus sit a suis civibus , ea quae ibi viderit narraturus , qua auditorum frequentia stipandus , & quam multa poetis & oratoribus suppeditaturus argumenta scribendi.*

LATINI PACATI
DREPANII
PANEGYRICUS THEODOSIO AUGUSTO.

I. SI quis unquam fuit, Imperator Auguste, qui te præsente dicturus [1] ante trepidaverit, eum profecto me esse & ipse sentio, & his [a] qui consilium tuum participant videri posse video. Nam cum te semper ultra omnes retro principes laudari oportuerit, [b] nunc porro ultra quam alias prædicatus es, in ea urbe conveniat dicendo celebrari, cujus & libertatem [2] armatus asseruisti, & auxisti dignitatem togatus, quo tandem modo consequi majestatem utriusque vestrum oratione mea potero, hoc præcipue in tempore, quo [3] ambo ita mutuo crevistis, ut nec tu fueris adhuc major, nec illa felicior? Huc accedit auditor senatus, cui cum difficile sit pro amore quo in te præditus est de te satis fieri, [c] tum difficilius, pro ingenita [4] atque hæreditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc & incultum transalpini sermonis horrorem, præsertim cum absurdæ sinistræque jactantiæ possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit. [d] Quibus equidem cogitatis adeo solicitor, ut non eos tantum hodie arbitrer interesse quos cerno, sed assistere obversarique dicturo Catones ipsos, & Tullios, & Hortensios, omnesque illos oratores putem, qui me [5] in posteris suis audiunt. Ita multiplici circumventus metu, quasi parum habeam timere quod video, [6] video quod timeam.

INTERPRETATIO.

a *Qui tibi sunt a consiliis.*

b *Nunc cum præter laudes quibus olim celebratus es, laudandus sis in ea urbe &c.*

c *Propter innatam & quam a majoribus accepere facundiam, difficilius est ut impolita & imperfecta* hominis *trans alpes nati oratio non tædio sit, atque adeo horrida* videatur.

d *Quod quidem ita me cruciat, ut &c.*

NOTÆ.

1. *ANte trepidaverit.*] In Pithœano codice est, *jure trepidaverit*: in Bertiniensi, *in re trepidaverit*, in aliis *ore trepidaverit.*

2. *Armatus.*] Nempe victo, cæsoque Maximo tyranno. *Togatus*, id est, sapientissimis legibus.

3. *Ambo.*] Roma, & Theodosius.

4. *Atque hæreditaria.*] In aliis est, *atque adeo hæreditaria.*

5. *In posteris suis*] Quasi hodie in posteris suis reviviscentes huic meæ orationi coram intersint.

6. *Video quid timeam.*] Illud *video*, quod

II. Quid ergo ? novusne me pavor, &[a] inopina trepidatio in ipso dicendi tempore deprehendit ? Mihi vero ii omnes quibus [b] altrinsecus jactor æstus diu ante meditati, longeque prospecti sunt. Sed cum admiratione virtutum tuarum [1] ab ultimo Galliarum recessu, qua litus Oceani cadentem excipit solem, [c] & deficientibus terris sociale miscetur elementum, ad contuendum te, adorandumque properassem, ut bona quæ auribus ceperam etiam visu usurparem: timui, fateor, laboris officium ipsa taciturnitate corrumpere. [d] Ita dum obsequio interpretor impudentiam, dum in eundem hominem non puto convenire gaudium & silentium, duas res diversissimas junxi, metum & temeritatem. Quin & illud me impulit ad dicendum ; quod ut dicerem nullus adigebat. [2] Non enim jam coacta laudatio, & expressæ metu voces periculum [e] silentii redimunt. Fuerit, abieritque tristis illa [3] facundiæ ancillantis necessitas [f], cum [4] trucem dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat, cum gratias agebant dolentes, & tyrannum non prædicasse tyrannidis accusatio vocabatur. Nunc par dicendi tacendique libertas, & quam promptum laudare principem, tam tutum siluisse de principe. Libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri ; libet inquam, quia neminem magis laudari imperatorem decet [g] quam quem minus necesse est.

III. [1] De te igitur mihi sermonis hujus auspicium erit ille felicitatis publicæ auspex [2] dies, qui te primus inauguravit imperio. Nam ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam [3] ora convertimus a qua lucis exor-

INTERPRETATIO.

a *Repentinus metus invasit.*
b *Utraque ex parte.*
c *Et extremis terris cingitur Oceanus, ad te videndum &c.*
d *Sic dum obsequii nomine excuso impudentiam.*
e Quod est in *silentio.*
f *Cum improbi assentatores palpabant ferocem imperatorem publicos plausus inani ambitione aucupantem.*
g *Quam* eum *quem laudandi necessitas nobis incumbit.*

NOTÆ.

abest in editione Puteana, addendum visum est ex Livineio & Balduino. Sensus vero est, quasi non satis timoris incutiant, quæ versantur ob oculos, nempe senatus & imperator ; occurrunt præterea aliæ timoris causæ, nempe veterum oratorum cogitatio, quos hic intueri mihi videor.

1. *Ab ultimo Galliarum recessu.*] Ab Aquitania, ubi natum, & inde Romam missum Pacatum diximus.

2. *Non enim.*] Respexit ad illud Plin. paneg n. 2. *Quare abeant voces illæ, quas metus exprimebat &c.*

3. *Facundiæ ancillantis.*] Servilem in modum blandientis.

4. *Trucem dominum.*] Alludit ad Neronum, Domitianorumque tempora.

1. *De te igitur.*] Pulmannus legit, *det igitur mihi hujus sermonis initium ille &c.* Ita etiam Ant. Seonhovius ex veteri codice.

2. *Dies .qui te primus.*] Dies quo Theodosius a Gratiano primum ad imperii societatem est adscitus, fuit decimus quartus aut juxta Socratem 17. Kal. Februarii anni Christi 379.

3. *Ora convertimus.*] Fuit hæc olim pa-

dium est, sic ego vota verborum quæ olim nuncupaveram soluturus, id oratione mea tempus arripiam quo Romana lux cœpit. Jacebat innumerabilibus malis ægra, vel potius dixerim, [4] exanimata respublica, barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis. [5] Sed parcam replicare causas, & [6] placatum vulgus offendere. Nam cum per se vivax sit recordatio calamitatum, tum [a] mihi metus hanc gaudiorum præsentium lucem tristium commemoratione fuscare. Faciam ergo quod facere præstantes scientia medicos sæpevidi; altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, præsentisse, & singulos universosque rogitasse contentus, an cum inter omnes liqueret fessis rebus medendum, tali aliquo viro publicis gubernaculis admovendo, qui [7] imperatoris unius tueretur ætatem, [8] alterius juvaret laborem, potuerimus hujusmodi principem vel optare. In integro itaque rem totam esse faciamus, & in quodam orbis terrarum comitio quæri putemus quisnam sit ille qui debeat tantam molem subire, & nutantia Romanæ rei fata suscipere. Nonne is omnium suffragiis hominum [9] tributim centuriatimque legeretur, [10] cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui ætas integra, cui militarium civiliumque rerum usus contigisset?

IV. Cuncta igitur a capite proposito ordine prosequamur, jam profecto constabit eum principem declaratum qui & ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. Nam primum [1] tibi mater Hispania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atque adeo ditandæ impensius quam ceteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit. Quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusque temperie. Quæ hinc [2] Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde

INTERPRETATIO.

a *Vereor ne præsentis hujus lætitiæ sensum* rerum *tristium recordatione minuam.*

NOTÆ.

ganorum itidem & Christianorum consuetudo, ut ad orientem solem conversi preces suas funderent. Tertull. Apologet. ad gentes de Christianis. *Suspicio est*, inquit, *solem nos adorare, quod innotuerit ad Orientis regionem precari: sed & plerique affectatione aliquando & cælestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.*

4. *Exanimata respublica*] A Germanis, Gotthis, Scythisque gravissime vexata.

5. *Sed parcam.*] Id est, sed abstinebo a pervestigandis tot malorum causis. Infra n. 6. *parcam arcanum cæleste rimari.*

6. *Placatum vulgus*] Alii legunt *placatum ulcus*, ut dicat nolle se vulnus illud imperii jam sanatum refricare.

7. *Imperatoris unius.*] Valentiniani junioris, qui mortuo patre apud Bergentionem in Galliis, ipse cum adhuc quadriennis esset, ibidem creatus erat imperator. *Epit. Victoris.*

8. *Alterius.*] Gratiani, qui cum Gothos, Taifalos, atque omnium atrocissimos Hunnos, & Alanos, a Thracia & Dacia expellere unus non posset, consortem imperii Theodosium ex Hispania evocavit.

9 *Tributim, centuriatimque.*] Unde Comitia alia centuriata, alia tributa, alia curiata dicebantur.

10. *Cui felix patria*] Habes hic totius orationis summam.

1 *Tibi mater Hispania.*] Theodosium genere Hispanum fuisse in ejus vita diximus.

2. *Pyrenæis montibus.*] Hi sunt Hispaniæ limites. Pyrænæis montibus a Gallia, dividi-

Tyrrheni maris litoribus coronata naturæ solertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias civitates, adde culta, incultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus; adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula; quæ[3] ut sint vera, sunt singula. Nec jam excutio veritatem. Sint, ut scribitur,[4] Gargara proventu læta triticeo,[5] Mevania memoretur armento,[6] Campania censeatur[7] monte Gaurano,[8] Lydia prædicetur amne[9] Pactolo; dum Hispaniæ uni quidquid ubique laudatur assurgat. Hæc durissimos milites, hæc[10] experientissimos duces, hæc facundissimos[11] oratores, hæc[12] clarissimos vates parit: hæc judicum mater, hæc principum est. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Adrianum misit imperio; huic te debet imperium. Cedat his terris[13] terra Cretensis parvi Jovis gloriata cunabulis, & geminis[14] Delos reptata numinibus, & alumno Hercule nobiles[15] Thebæ. Fidem constare nescimus auditis, deum dedit Hispania, quem videmus.

V. Erat justæ compensationis occasio, ut qui de patriæ tuæ laudibus pauca dixissem,[1] patris saltem virtutibus prædicandis prolixius immorarer; sed quid faciam? Novam quandam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam, faciam? Quæ[2] Rhenus, aut Vahalis vidit aggrediar? Jam

NOTÆ.

tur, Oceano vero & mari Mediterraneo instar peninsulæ tribus lateribus circumflua est.

3. *Ut sint vera.*] Id est, *etiamsi vera essent*: quomodo apud Horatium Epod. lib. od. 1. *Non ut adsit, auxili latura plus præsentibus.* Plura ejus generis exempla, referre abstineo, ne infinitus sim.

4. *Gargara.*] Vertex est montis Idæ, item oppidum est ad ejusdem montis radices, apud Ilium urbem, Pergamis proximum, ubi planities maximæ ubertatis. *Ipsa suas mirantur Gargara messes.* Virgil. Georg. 1. 103.

5. *Mevania.*] Urbs Umbriæ ad Clitumnum fluvium in via Flaminia, Propertii patria, pascuis uberrima quam ideo Lucanus l. 1. Tauriferam vocat. *Est qua Tauriferis ubi se Mevania campis &c.*

6. *Campania.*] Regio Italiæ inter Anienem fluvium & Tiberim, juxta mare Mediterraneum extensa, pars Latii antiqui.

7. *Monte Gaurano.*] Gauranum mons Campaniæ prope Puteolos.

8. *Lydia.*] Asiæ minoris regio, inter Ioniam ad occasum, Phrygiam magnam ad ortum & boream: & Lyciam ad meridiem comprehensa.

9. *Pactolo.*] De Pactolo Lydiæ fluvio aureis arenis notissimo supra *pan.* 4. *n.* 16.

10. *Experientissimos duces.*] Ut Viriathum ducem strenuissimum, qui cum C. Lælium Prætorem, Q. Fabium Maximum Æmilianum Proconsulem & Servilianum ejus fratrem consulem adversus se missos variis præliis fregisset, tandem a Q. Servilio Cæpione corruptis suis legatis dolo peremptus est an. V. C. 614.

11. *Oratores.*] Puta Quintilianum & utrumque Senecam.

12. *Clarissimos vates.*] Lucanum Cordubensem, Martialem Bilbili haud ignobili oppido Celtiberiæ natum. Senecam eum qui tragœdias scripsit.

13. *Terra Cretensis.*] Insula haud multum distans a Peloponneso, Jovis natalibus inclyta, *Candie.*

14. *Delos.*] Maris Ægæi insula ad quam Latona cum Diana & Apolline liberis adrepsit.

15. *Thebæ.*] Civitas Bœotiæ primaria ad Ismenum fluvium, Pindari patria.

1. *Patris.*] Is Theodosius fuit, non ut Victori placet, Theodorus.

2. *Rhenus, aut Vahalis.*] Id tangit Zosimus l. 4. *Transrhenani barbari, qui quandiu Julianus superstes fuit, satis habuerant si ni-*

se mihi [3]Sarmatica cæde sanguineus Ister objiciet. Attritam pedestribus
præliis Bataviam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur.
Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines a-
vias omnis Alamannus, & uterque Maurus occurrent. Cum igitur impediat
5 turba dilectum; ad hoc viri tanti præstet gesta in summam referre, quam
enumerando tenuare. Dixisse sufficiat unum illum divinitus extitisse in
quo virtutes simul omnes vigerent quæ singulæ in omnibus prædicantur.
An si ejus seculo mos ille vixisset quo Romani duces [4]Macedonici, [5]Cre-
tici, [6]Numantini de vocabulis gentium subactarum adoptivum insigne su-
10 mebant: nonne hodie pauciora in annalium scriniis quam in vestræ domus
titulis cognomenta legerentur; cum ipse Saxonicus, ipse Sarmaticus, ip-
se Alamanicus diceretur, & quantum tota respublica habet hostium, tan-
tum una familia ostenderet & triumphorum?

VI. [a]Sed quid necesse est mitti in præteritum diligentiam curiosam?
15 Patrem, Imperator, tuum de te æstimemus. Nec difficilis conjectatio est.
Nam cum duo sint quæ claros duces faciant: summa virtus, summaque feli-
citas; scire obvium est qua præditus fuerit virtute [1]qui te docuit, qua fue-
rit felicitate præditus qui te genuit. O digna imperatore nobilitas, [b]ejus
esse filium principem, qui princeps esse debuerit, qui hunc Romani fastigii
20 apicem non solum fortitudine atque sapientia, sed decore etiam corporis
& dignitate potuerit æquare! Velut tua hæc forma venerabilis, quam for-
tunæ suæ par est? quam longe lateque conspicua commendat imperium?
Ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus, an
obtutibus vultus insinuet. [c]Non frustra plane opinione sapientium qui na-
25 turalium momenta causarum subtilius sciscitati, arcanis cœlestibus nobiles
curas intulerunt, augustissima quæque species plurimum creditur trahere

INTERPRETATIO.

a *Sed quid opus diligentius & curiosius versari circa id quod præteritum est?*

b *Ejus esse filium, qui imperator esse debuerit, quique supremam hanc Romanæ reipublicæ dignitatem meruerit, non tantum &c.*

c *Non temere creditur juxta mentem sapientum qui rerum naturalium causas curiosius perscrutati, cœlestia arcana magna cum cura investigant, præstantissimam quamque formam e cœlo ducere originem.*

NOTÆ.

mo eos molestaret, Iuliani morte nunciata, continuo sedibus egressi, bellum movebant; adversus quos Theodosius a Valentiniano missus an. 366. Bataviam a Francis & Saxonibus piratis liberavit *Ammianus l.* 27. 28. *&* 29.

3. *Sarmatica cæde.*] Idem Sarmatas ad Danubium obtrivit, Scotos Britanniam populantes dissipavit, Londinum victor ingressus; & Mauros superavit. *Ammianus l.* 27.

4. *Macedonici.*] Philippus Alexandri magni pater rex Macedonum.

5. *Cretici.*] Puta Metellum, ob Cretensem insulam an. V. C. 687. expugnatam, dictum Creticum. Vide *Florum l.* 3. *c.* 7. *de bello Cretico.*

6. *Numantini*] Nempe Scipionem dictum Æmilianum aut Juniorem Africanum Pauli Æmilii filium a Scipione Africano adoptatum, qui ob Numantiam an. V. C. 621. eversam dictus est Numantinus.

1. *Qui te docuit.*] Id est, parens qui te

de cœlo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius [a] metatur hospitium, sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, sive aliud ex altero crescit, & cum se paria junxerunt utraque majora sunt, parcam arcanum cœleste rimari. Tibi istud soli pateat, Imperator, [1] cum deo consorte secretum. Illud dicam quod intellexisse hominem, & dixisse fas est; talem esse debere qui a gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata, vel publica vota redduntur, a quo petit navigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium. 5

VII. Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam; sed patere[1] ea a me in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis sola laudari. Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret. An vero quidquam putamus in imperii tui declaratione præteritum, cum ductam esse rationem ipsorum etiam videamus [2] annorum? Cujus quidem rei tanta fuit cura majoribus, ut non solum[3] in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in præturis quoque, aut ædilitatibus capessendis ætas spectata sit petitorum, nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos[4] comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparit. Nec injuria id quidem. Nam & [a] qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, [b] ut non cadant, titubant. An non clarissimos nominis Romani viros [5] Sullas, Catulos, Scipiones loquor, aliquantisper 10 15 20

INTERPRETATIO.

a *Quos virtus sibi mancipatura est.* b *Etsi non labuntur* in scelus.

NOTÆ.

ad artem bellicam erudivit.

2. *Metatur hospitium.*] Respexit ad locum Eumenii plane similem n. 17. pan. 8. *Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari.* Et vero notum est Æthiopas & Indos in rege deligendo id primum observare solitos, ut aliis regendis qui præponerentur, insigni & excelsa corporis statura præcellerent. *Aristoteles l. 7. politic.*

3. *Cum deo consorte.*] Cum eo genio, qui consiliis tuis præest. Veteres erant in ea opinione, suum unicuique, in primis vero imperatoribus genium adesse.

1. *Ea a me.*] Fr. Balduini emendationem sequor, cum in Puteana editione sit, *sed patere eam in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis sola laudari.* Quod ferri non potest, nisi pro *solebant* legatur *solebat.*

2. *Annorum.*] Theodosius agebat annum 35. cum factus est Augustus.

3. *In amplissimis magistratibus.*] In cõsulatu.

4. *Comitiali lege.*] Legem Annalem intelligit qua definitum est *ab L. Villio tribuno plebis, quot annos quemque magistratum peterent, caperentque. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur.* Livius l. 40. c. 43. Quanquam id quidem fuerat multo ante definitum, ut ex Livio ipso, & aliis scriptoribus facile colligitur. At Villius dici potest eam legem aut renovasse, aut novo edicto sanxisse, ut religiosius servaretur. Sæpe autem gloriatur Tullius se magistratus omnes anno suo, idest legibus definito consecutum. Atque is quidem Quæstor in Siciliam ivit anno ætatis suæ 31. Ædilis curulis fuit an. 37. prætor an. 40. ac demum consul an. 43. Idem Tullius 5. Philippica n. 48. Alexandrum dicit *tertio & trigesimo anno mortem obiisse: Quæ est,* inquit, *ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.*

5. *Sullas, Catulos, Scipiones.*] Hos tangit

ſibi luxuria vindicavit ? Quos etſi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, & naufragos atque fluctantes, ab illis quibus merſabantur erroribus ægre ætas recepit. Bene igitur cuncta quadrarunt, & ceteris, quæ innumera congruebant,[c] anni quoque ſuum 5 junxere ſuffragium, qui ſoli in homine perfecti bono duarum potiuntur ætatum, virtute juvenum, & maturitate ſeniorum. Prius fortaſſe imperium inire debueris, ut diutius imperares; ſed[6] ſine exempli periculo providebitur ne quid amiſeris. Vita longiore penſandum quod ex præterito perdidiſti. Parum intereſt quando cœperit quod terminum non habebit.

10 VIII. Hactenus in te prædicata ſint, Imperator, dona fatorum, nunc ad ea proferamus gradum quæ tibi debes. Neque enim tua illa præterita bellicæ rei gloria, quam per tot laborum experimenta quæſiſti, adſcribenda fortunæ eſt. Cui hoc nomine etiam ſuccenſeri poteſt, quod quem ſceptro & ſolio deſtinaverat,[1] nunquam indulgenter habuit. Sed ut ſeveri 15 patres his quos plus diligunt filiis[a] triſtiores ſunt, ita ille te plurimis bellis, & difficillimis reipublicæ temporibus exercuit, dum aptat imperio. Et prius quidem quam ad illa veniam, quæ[2] ævi maturus egiſti, ſummatim tuum illud attingam cum patre divino caſtrenſe collegium, actas ſub pellibus hiemes, æſtates inter bella ſudatas, dies nocteſque præliando, aut 20 vigilando conſumptas, graviſſimas pugnas terra marique pugnatas. Non tam patiens[3] Africanus prima rudimenta militiæ ſub Paulo patre toleravit, nec pari indole[4] Annibal puer in tentoria Hiſpana ſucceſſit, nec futurarum ſpe certiore virtutum Philippæa caſtra Alexander nondum Magnus implevit. Quos etſi plurima laude dotaverit amplificatrix veri vetuſtas, nihil plus

INTERPRETATIO.

c *Ætas etiam convenit: quæ una in homine perfecta eſt.*

a *Aſperiores ſunt.*

NOTÆ.

Tullius oratione pro Cælio n. 28. *Equidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, non modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dedidiſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam ut dicitur recepiſſe, graveſque homines atque illuſtres fuiſſe.* De his fuſius agit Valer. Maximus l. 6. c. 9

6. *Sine exempli periculo.*] Abſque eo quod quiſquam ſperare idem poſſit.

1. *Nunquam indulgenter.*] Theodoſius enim poſt patrem imperatoris juſſu interfectum fugere in Hiſpaniam neceſſe habuit, ut periculo ſe ſubduceret, ibique delituit donec ad imperium revocaretur. Fuit & aliis adverſæ fortunæ caſibus exercitus, ut non immerito de eo Ambroſius in oratione funebri dixerit: *portavit jugum grave Theodoſius a juventute, quando inſidiabantur ejus ſaluti, qui patrem ejus triumphatorem occiderant.*

2. *Ævi maturus.*] Æneid. 5 73. *Ævi maturus Aceſtes*, & l. 9. 246. *Annis maturus Alethes.*

3. *Africanus.*] Scipio minor Æmilianus Pauli filius ſub patre bellum geſſit in Hiſpania an. V. C. 603.

4 *Annibal.*] *Amilcaris filius, novem annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit, exinde ſocius & miles in caſtris fuit.* Plura vide apud A. Victorem.

tamen

amen blandita præstitit quam ut eos in his annis secutos regum, aut ducum castra vulgaret, in quibus tu ita fortiter multa gessisti, ut ea non tantum Alexander, aut Africanus, aut Annibal videre dum discerent, sed parentes atque institutores eorum optassent facere dum docerent.

IX. [a] Quam tecta sunt semper consilia fortunæ! Quis, quæso, tum publicis rebus non putasset, inimicum [1] tuum illum a statione castrensi ad quietem receptum? Enimvero illa futurum [b] principem [2] comens idcirco paulisper voluit esse privatum, ut quia jam ad plenum bellicis artibus abundabas, usus civilis experiens sub otii tempore reddereris. Quod ego tuum otium aliorum negotiis anteverto. Non enim te amœna litora, nec dispositi [c] ad temporum vices habuere secessus, sed sive tu agris, sive oppidis tempus dabas, rem & famam pariter augebas. Et in urbibus quidem omnium ætatum ordinumque homines his, aut illis beneficiis [d] apprehendebas, amicorum commoda, absentium negotia assiduitate, consilio, re juvabas. Jam si placuisset [3] oppida rure mutare, ut tu vitæ oblitus urbanæ exequebaris agricolam? Audio etiam, Imperator, & credo sæpe [e] aliqua te laborum tibi injunxisse, & ne contraheres corporis veternum, cujuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem. Sic agrestes [4] Curii, sic veteres [5] Coruncani, sic nomina reverenda [6] Fabricii, cum indutiæ bella suspenderant, inter aratra vivebant; & ne virtus [f] quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. Inde est quod accepimus datos serentibus fasces, & missas cum curulibus suis per rura [7] palmatas, quod agricolas consulares,

INTERPRETATIO.

a *Quam occulta!*
b *Imperatorem sedulo exornans.*
c *Pro variis tempestatibus.*
d *Tibi obstringebas.*
e *Aliquid laboris tibi sumpsisse.*
f *Cessatione enervaretur.*

NOTÆ.

1. *Tuum receptum.*] Intelligo de tempore quo Theodosius statim a parentis nece in Hispaniam se recepit: ubi annum ferme integrum privatus vixit, donec a Gratiano inde ad imperii societatem revocatus est.

2. *Comens.*] An *conans*, ut vult Barthius adversar. l. 24. c 2.

3. *Oppida rure mutare.*] Horat. l. 1. od. 17. *Velox amœnum sæpe Lucretilem mutat Lycæo Faunus &c.*

4. *Curii.*] Intellige de Marco Curio Dentato, qui post Samnites, Sabinos & Lucanos variis bellis subactos rus concessit, ut privatus viveret. Supra *paneg. 2. n. 14. not. 5.*

5. *Coruncani.*] Is omnium primus de plebe a Romanis factus pontifex cum ad Teucam Illyriorum reginam esset legatus præter jus fasque interfectus est. Huic a populo Romano statuam dedicatam esse tradit *Plinius l. 34. c. 6.* Hujus continentiam laudant *Tullius pro domo sua, & Livius.*

6. *Fabricii.*] De Fabricii abstinentia supra dictum. Videri etiam potest Cicero in Catone, & pro Rosc. Amer. *Plinius l. 18. c 8. Columella l. 1. in præfatione. Seneca consol. ad Helviam. Valer.*

7. *Palmatas.*] Vestis palmata, seu triumphalis dicebatur qua triumphantes, aut certe qui palmam meruerant, uti solerent. Hinc illud Sidonii in paneg. *Post palmam palmata venit.* Videtur etiam ad consulem pertinuisse: nam Auson. paneg. *Palmata vestis ut in pace consulis est, sic in victoria*

pastoresque trabeatos, & Dictatores inter armenta [8] vestitos. Sed illos quidem angusta res familiaris addicebat labori, ut quibus ipsi suburbani horti, præcepsque [9] Janiculum, & jugera arctata pomœrio vomere essent, aut ligone versanda, [10] nec injuria opus reverteretur ad dominos, 5 cum deerant quibus juberent. Detrahit laudem patientiæ inopia: majoris exempli est labor sine necessitate.

X. Gaudent profecto divina [a] perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, 10 ut stare sol nescit, ita tu, Imperator, continuatis negotiis, [b] & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es. [c] Vix [1] tecta Hispana successeras, jam Sarmaticis tabernaculis tegebaris. Vix emerita arma suspenderas, jam hosti armatus instabas. Vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas. Ne tum quidem [2] cum in altiorem provectus gradum, jubere 15 tantum, & [3] dividere cum negotiis otium, & parta gloria [d] velut [4] reposito frui posses honore, operam remisisti, quin omnium castrensium [5] munerum numeros primus, aut cum primis obires, stare pro signis, excubias forte agere, [6] vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux 20 consilio esse, miles exemplo: ut jam tum posset intelligi alios imperatori pugnare, te tibi. Illud tamen præ ceteris mirum, quod cum omnia faceres ut imperare deberes, nihil tamen faciebas ut imperares.

INTERPRETATIO.

a *Continua actione.*

b *Et per aliquem circulum sibi succedentibus, semper te exerces.*

c *Vix in Hispaniam adveneras: & jam castra metabaris in Sarmatia, vix abjeceras arma victricia, jam &c.*

d *Tanquam deposito* militiæ *onere.*

NOTÆ.

triumphantis.

8. *Vestitos.*] Indutos consulum insignibus. Forte legendum *quæsitos* ut Claudian. de Consul. Mallii Theodor. v. 9. *In mediis consul quæsitus aratis.*

9. *Ianiculum.*] Collis est, qui transtiberinæ regioni imminet a Jano dictus. Romæ adjectus est ab Anco Marcio, huncque non muro solum, sed etiam sublicio ponte, tum primum Tiberi imposito conjungi Urbi placuit.

10. *Nec injuria.*] Quia enim deerant, quibus agri sui colendi curam committerent, necesse erat ut hunc ipsi laborem susciperent.

1. *Tecta Hispana.*] Tangit tempus cum Theodosius ad Valentis furorem evitandum sese in Hispaniam recepit an. Christi circiter 370.

2. *Cum in altiorem provectus gradum.*] Cum factus es imperator.

3. *Dividere cum negotiis otium.*] Tale illud Plinii l. 8. ad Arrianum: *Graviora opera lusibus, jocisque distinguo.* Velleius l. 1. *Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit.*

4. *Reposito honore.*] Velut deposita ad tempus dignitate. Alii pro *honore* legunt *onere*, ut est apud Catullum.

5. *Munerum numeros.*] Id est, partes & officia. Haud absimile illud Plinii, *omnes comitatis numeros obibat.*

6. *Vallum ferre.*] Terram ferre vallo extruendo.

XI. Argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu cum ad suscipiendam rempublicam vocabaris, oblatum imperium deprecatus es: nec id ad speciem tantum, ut cogi videreris, sed obnixe, & diu, & velut impetraturus egisti. Quippe aberat causa fingendi. Non enim te princeps solus & domi, & tanquam tentaret ambibat, sed publice & [1] in comitio, & ut aliud jam facere non posset. Prorsus [a] ut, nisi imperium affectu simplici noluisses, potueris velle securus. Expostulari hoc loco tecum reipublicæ verbis necesse est, quæ in summam tua cunctatione formidinem a media spe relapsa, [b] tali aliqua te profecto, sed quam solus audires, voce convenit. Parumne me, Theodosi, hactenus distulere fata, ut tu insuper tentes moras augere fatorum? An nescis rem tuam per momenta consumi? Nescis me tibi, [2] tuisque decrescere? Quidquid atterit [3] Gotthus, quidquid rapit [4] Hunnus, quidquid aufert [5] Alanus, [6] id olim desiderabit Arcadius. [7] Perdidi infortunata Pannonias; [8] lugeo funus Illyrici; [9] specto excidium Galliarum. [10] Principum senior in tanta bella non sufficit; alter etsi futurus sit aliquando fortissimus, [11] adhuc tamen parvus est. Tu dubitas excipere collapsam, & [c] ut nihil differas, sero reparandam? Hanc

INTERPRETATIO.

a *Ut nisi imperatoriam dignitatem vere & ex animo recusasses, potueris tuto illam admittere.*

b *Te sane hujusmodi verbis, sed quæ solus audivisti, compellavit.*

c *Serius instaurandam, vel si moram nullam adhibeas.*

NOTÆ.

1. *In comitio.*] Comitium vel pro consessu ipso sumitur, vel pro loco, in quo ad eligendos magistratus conveniebatur.

2. *Tuisque.*] Liberis.

3. *Gotthus.*] Gotthi populi ex Scandinavia oriundi, in Scythiam inde transgressi, paulo post in totam Europam exundarunt.

4. *Hunnus.*] Hunni Sarmatiæ Europææ populi juxta Mæoticam paludē olim incolentes, unde egressi in Pannonias primum, tum in Gallias migrarunt; ubi in Catalaunicis campis a ab Ætio & Merovæo junctis | Wisigotthorum Burgundionumque ducibus victi an. Chr. 4.1. *Jornande de rebus Geticis c.24. & Ammian l.3.*

5. *Alanus.*] Alani populi Scythiæ Europææ ad Mæotidas paludes, a fluvio cognomine nomen traxere.

6. *Id olim desiderabit Arcadius.*] Haud absimile illud quod Æneas de Ascanio filio Æneid. 4.354. *Me puer Ascanius, capitisque injuria chari, quem regno Hesperiæ fraudo & fatalibus armis.* Arcadius autem fuit Theodosii magni liberorum natu maximus.

7. *Perdidi Pannonias.*] Apparet, inquit Rhenanus, hoc tempore Pannoniam inferiorem, quæ hodie Hungaria nominatur, ab Hunnis occupatam Quid si intelligamus illud de Quadorum motibus in Pannonia, ob Gabinium eorum regem a Romanis interfectum, cum ita exarserunt ut Danubium transgressi, occupatam circa messes agrestem plebem trucidarint, parumque abfuerunt quin Constantii filiam Gratiano Augusto mox nupturam abduxerint. *Ammian l.29.c.35.*

8. *Lugeo funus Illyrici.*] Intelligit funestam cladem quæ an. Chr. 374. sub Valentiniano contigit. *Ammian. l.3.c.8.*

9. *Specto excidium Galliarum.*] Transrhenanis populis in Gallias irrumpentibus. *Ammianus.*

10. *Principum senior.*] Gratianus tum erat 20. annorum.

11. *Adhuc parvus est.*] Valentinianus Junior nonum tantum agebat annum, teste Ammiano, Idatio, Chronico Alexandr. &c.

mihi gratiam refers quod te etiam felix desideravi ? quod cum me Nerva tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret ; cum [12] mœnibus Augustus ornaret, legibus Hadrianus imbueret, finibus Trajanus augeret, parum mihi videbar beata, quia non
5 eram tua ? Quid tu mihi faceres si juris tui esses ? Orat ecce [13] te dominus meus, orat ecce te dominus adhuc tuus, &, qui posset cogere, mavult impetrare. Imperium quod ab imperatore defertur, tam tibi nolle jam non licet, quam velle non licuit.

XII. Solus igitur, Auguste, solus inquam omnium qui adhuc impe-
10 raverunt [1] ut princeps esses præstitisti. Alios empta legionum suffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia imposuere reipublicæ : te nec ambitus, nec occasio, nec propinquitas principem creaverunt. Nam & eras à familia imperatoris alienus, & [2] adsciscebaris tertius, & cogebaris invitus, invitus inquam. Audite hoc [3] publici parricidæ, qui [4] oblita fide, do-
15 minorum sceptra cepistis, & periculo non minore quam scelere, imperium vita paciscentes, sanguinis pretio regium nomen emistis ; repulsam patitur principatus, & unus est [5] ambitus candidati ne declaretur. Credetne hoc olim ventura posteritas, & præstabit nobis tam gloriosam fidem, [a] ut nostro demum seculo annuat factum quod tantis infra supraque tem-
20 poribus nec invenerit æmulum, nec habuerit exemplum ? Sed qui [6] vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet, nec abnuisse dubitabit imperium sic [7] imperaturum. Illi enim, illi avide regna desiderent, quos soluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indemnatos necandi, cupiditas privata rapiendi, libido honesta fœdandi jus atque
25 impunitatem requirunt. Quid tua intererat te principem fieri, qui futurus eras [8] in imperatore privatus ? [9] Nisi forte in te hodie aut pudicitiæ remis-

INTERPRETATIO.

a *Ut nostra tandem ætate fateatur contigisse quod &c.*

NOTÆ.

12. *Mœnibus ornaret.*] Balduinus pro *mœnibus* restituit *moribus*. Juxta illud Horatii l. 2. ep. 1. *Res Italas armis tuteris, moribus ornes.*

13. *Dominus meus.*] Gratianus.

1. *Ut Princeps esses præstitisti.*] An ut placet Acidalio addendum *restitisti* ?

2. *Adsciscebaris tertius.*] Tum enim Gratianus & Valentinianus imperium obtinebant.

3. *Publici parricidæ.*] Etsi hoc in multos cadere possit, tamen alludere mihi videtur potissimum ad Tyrannum Maximum Gratiani interfectorem. Recens enim erat factum.

4. *Oblita fide.*] Oblita καθάπαξ sumitur ut apud Virg. Ecl. 9. 53. *Nunc oblita mihi tot carmina.* Alii legunt *obliti cæde*, id est, contaminati.

5. *Ambitus candidati*] Nova species candidatus. Neque enim postulabat ut fieret, sed ut ne fieret imperator.

6. *Vitæ tuæ sectam.*] Respexit ad illud Plinii pan. n. 84. *Sed qui vitæ tuæ instituta, rationemque cognoverit ; facile fontem copiæ hujus inveniet.*

7. *Imperaturum.*] Id est, eum qui tanta cum laude erat administraturus imperium.

8. *In imperatore privatus.*] Qui in imperio privati hominis modestiam servaturus esses.

9. *Nisi forte.*] Εἰρωνικῶς illud accipio.

ſior cultus, aut minor ſanguinis humani metus, aut alienæ rei major eſt appetitus. Idem es qui fuiſti, & tantum tibi per te licet quantum per leges licebat. Jus ſummum facultate & copia commodandi, non ſecuritate peccandi experiris. Unum tibi præſtitit principatus, ut certum haberemus omnes, etiam ſub imperatoribus aliis vixiſſe te legibus tuis. Nam qui 5 nihil facit licenter cum poteſt, nunquam voluit.

XIII. Quin ubi primum te imperio præſtitiſti, non contentus ipſe [a] ultra vitia receſſiſſe alienis vitiis corrigendis curam adjeciſti; idque moderate, ut ſuadere, potius honeſta quam cogere videreris. Et quia vel [1] longo Orientis uſu, vel multorum retro principum remiſſione, tantus 10 quoſdam luxus infecerat, ut adulta conſuetudo laſciviæ haud quaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis ſe pati injuriam putaret, a te voluiſti incipere cenſuram, & [2] impendia palatina minuendo, nec ſolum abundantem rejiciendo ſumptum, ſed vix neceſſarium uſurpando [3] dimenſum, quod natura difficillimum eſt, emendaſti volentes. An quis 15 ferret moleſte ad principis ſemet modum coerceri? aut ſubtractum ſibi doleret de privata luxuria, cum videret imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viventem, modico & [4] caſtrenſi cibo jejunia longa ſolantem? ad hoc aulam omnem [5] Spartanis gymnaſiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem? neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regiam flagitare 20 remotorum litorum piſcem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem?

XIV. Nam delicati illi ac [1] fluentes, & quales tulit ſæpe reſpublica, parum ſe lautos putabant, niſi luxuria [a] vertiſſet annum, niſi hybernæ po- 25 culis roſæ innataſſent, niſi æſtiva [b] in gemmis capacibus glacie falerna

INTERPRETATIO.

a *Ab* omni *vitio immunem te præſtitiſſe.*
a *Tempeſtatum* ordinem *pervertiſſet.*

b *In poculis e gemmis grandibus.*

NOTÆ.

1. *Longo Orientis uſu.*] Propter geſta in Syria bella.

2. *Impendia palatina minuendo.*] Id quod ajunt alii Theodoſianæ vitæ ſcriptores negat Zoſimus Hiſtor. lib. 4. Quin potius tantum impendiorum in menſam regiam ait invectum a Theodoſio, ut *præ multitudine ciborum, & lautitia populoſa coquorum ac pocillatorum cohortes ſint inſtitutæ.* Sed quæ fides huic ſcriptori in iis quæ ad imperatores Chriſtianos ſpectant?

3. *Demenſum.*] Demenſum proprie dicebatur, quod ſervis in alimenta ſingulis menſibus dabatur. Terent. Phorm. Act. 1. ſc. 1. *Quod ille unciatim vix de demenſo ſuo ſuum defraudans genium, comparſit miſer.* Hic latius ſumitur pro quocunque victu neceſſario.

4. *Caſtrenſi cibo.*] Id eſt, *larido, caſeo, & poſca*, inquit Spartianus in Hadriano. Locus autem ille de Theodoſii frugalitate & temperantia ſumptus videtur ex Mamertini in Julianum paneg. n. 11.

5. *Spartanis gymnaſiis duriorem.*] Spartanos enim pueros ad Dianæ aram loris flagellari ſolitos, uſque dum ſanguis proflueret, nemini opinor non notum.

1. *Fluentes.*] Luxu diffluentes. Velleius, *Fluens mollitus Sardanapalus.* Item *otio ac*

fregiſſent. Horum gulæ anguſtus erat noſter orbis. Namque appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumptu æſtimantes, illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus Oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent, quos invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericla rapuiſſent. Ut taceam infami ſæpe dilectu 5 ſcriptos in provinciis aucupes, ductaſque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe conviviis, nonne cognovimus cujuſdam retro principis non prandia ſæpe, ſed fercula [a] ſeſtertium millies æſtimata, patrimoniorum Equeſtrium pretia traxiſſe? Tuæ, Imperator, epulæ, menſis communibus 10 parciores, locorum ac temporum fructibus inſtruuntur. Hinc certatim [c] in omnes luxuriæ pudor, parſimoniæ cultus inolevit, & quieſcentibus legum minis, ſubiit quemque privatim ſui pœnitentia. Sic eſt enim, ſic eſt, exaſperat homines [d] imperata correctio, blandiſſime jubetur exemplo.

XV. Sed cum hæc, & ad hunc modum cetera mores hominum & in- 15 ſtituta formarint, tum nihil abdicandis vitiis, adoptandiſque virtutibus impenſius ſentio profuiſſe, quam quod his te viris ſemper dediſti, [a] quos affectare publica deberet imitatio, qui, quam facile tibi fuiſſent [b] ſequaceſque diſcipuli, tam ceteris expetendi eſſent magiſtri. Ut de his ſileam, [c] quos tibi primus ille naſcentis imperii dies obtulit, tantis virtutibus præ- 20 ditos, ut non pro copia ſumpti, ſed ex copia viderentur optati, quot tu poſtea qualeſque legiſti, quibus provinciarum cuſtodiam, quibus militaris rei ſummam, quibus conſiliorum tuorum arcana committeres? Ergo cum duplex fuerit iſte dilectus, unus ex judicio, alter ex fato, incertum meliores viros ſapientia tua, an fortuna quæſiverit, cum tales vel [1] acceptos 25 habeas, vel repertos, ut & illi meruerint teneri, & iſti debuerint cooptari.

INTERPRETATIO.

c *Apud omnes luxuriæ odium & parſimoniæ amor invaluit.*

d *Correctio* cum *imperio conjuncta.*

a *Quos populi deberent imitandos ſibi proponere.*

b *Obſequentes.*

c *Qui magiſtratus gerebant, cum imperium adeptus es.*

NOTÆ.

mollitiis pene ultra fœminam fluens. Quintilianus pueros molles ac delicatos, *ſolutos* dicit *ac fluentes.* Plura intemperantiæ exempla vide apud Capitolinum in Ælio Vero, cujus convivium æſtimatum dicitur ſexagies L L S. & Vitellius novies millies ſeſtertium epulis abſumſit. *Tacit. hiſt. l* 2 Quæ poſterior ſumma libras Gallicas conficit 39375000.

2. *Seſtertium millies.*] Hunc in locum irrepſit manifeſtum mendum, cum ex Horatio, Juvenale, Plinio, ceteriſque conſtet cenſum equeſtrem fuiſſe tantum quadringentorum ſeſtertium. Quare legendum hic ſeſtertiis quadringentis, eo libentius puto, quod cum in antiquis exemplaribus haberetur fortaſſe D. L L. quadringentis ſeſtertiis facillimum fuerit librariis propter notarum affinitatem exſcribere CIↃ. LL. millies ſeſtertium. Porro ſumma illa quadringentorum ſeſtertium ad libras noſtrates 17500 reducitur, cum ſeſtertium millies ad 4375000. libras Gallicas excreſcat. Nota autem fercula etſi ut plurimum pro cibis ſumuntur interdum etiam pro machinis quibuſdam accipi, in quibus plures cibi menſæ imponebantur, ut videre eſt apud Petronium.

1. *Acceptos habeas.*] Id eſt a fato. Mox *vel repertos*, id eſt, induſtria tua.

XVI. Ecquis imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiumque an virtus judicabatur, nec palatiis digna, sed periculis habebatur. [1] Inde facilius inveneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem prompserint. [2] Optimus ille ditabat, non etiam diligebat, prodesse noverat, amare nesciebat. [3] Tu amicitiam, nomen ante privatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti, reque, non verbis asseruisti, principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior, [a] cum fide ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis imperator tribuas, quod privatus optaras. Quanquam [b] quæ capere vota potuerunt, quod plerique te principe consecuti sunt? Nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcunque conferre imperatori necesse est. Dux aliquis evehitur? Exigit disciplina castrorum. Præfectus attollitur? Imponendum est provinciæ caput. Consul creatur? [c] Habiturus est nomen annus. Ita in summis illis pulcherrimisque beneficiis, [d] est aliqua præstantis utilitas. A te, nova benignitate, is amicis honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur, nihilque ex eo ad te redundaret nisi dandi voluptas. Cui cum essent domi [4] filii, geminæ illæ spes oculique reipublicæ, dilatis eorum magistratibus [5] amicos consulatu ornavit. Si mehercule vir ille divinus, felicitatis publicæ auctor, [6] parens tuus viveret, quid aliud expectasset a filio, quam ut nepotibus anteferretur? Præstitisti igitur amicis, quo plus nec patri præstare potuisses. O benevolentiæ tuæ singulare consilium! Auges tempore dignitatem, quæ incrementum ex magnitudine non habebat. Renunciantur amici ante filios tuos consules, [7] quia non poterant plus esse, quam consules.

XVII. Eat nunc sui ostentatrix vetustas, & illa innumeris literarum vulgata monumentis jactet exempla. [1] Pirithoi fidem prædicet, &

INTERPRETATIO.

a Cum tua *fides sit par* tuæ *liberalitati.*

b *Quænam vota attingere* unquam *potuerunt, quod te imperante &c.*

c *Necesse est ut ab eo nomen imponatur anno.*

d *Aliquod commodum redit ad eum qui* illud *præstat.*

NOTÆ.

1. *Inde facilius.*] In principibus facilius est liberalitatis, quam fidei & amicitiæ exempla reperire.

2. *Optimus ille.*] Fortasse *optimus*. Mox *ille*, id est, Gratianus.

3. *Tu amicitiam.* [Sumptum illud ex Juliani pan. n. 23. ut ad eum locum observavi.

4. *Filii.*] Arcadius & Honorius.

5. *Amicos.*] Nempe Mamertinum, & Nevitam.

6. *Parens tuus.*] Theodosius.

7. *Quia non poterant.*] Beneficium consulatus quo nullum majus conferre amicis poteras, si spectetur supremi illius magistratus dignitas, fecisti ut majus esset, cum ut cito conferres, eos filiis etiam antetulisti.

1. *Pirithoi fidem.*] De Pirithoi & Thesei, Pyladæ & Orestis, Damonis & Pythiæ seu Pinthiæ, amicitia nihil dico, quoniam res nota est.

decantatum omnibus scenis Phocæi juvenis laudet officium; Pythiam etiam, si videtur, dicat & Damona, quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit. Ut hæc esse vera credamus, quæ mendaciis vatum in plausus aptata[a] cavearum,[2] fidem tempori debent: num
5 præstare credendo plus possumus, quam ut istos, qui amicitiæ laude censentur amicorum fuisse, quam sui diligentiores putemus? Sed cum instituente natura plus fere filios, quam nosmetipsos diligamus, omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos sibi præferebat.[3] Sed tu quidem,[b] ad exonerandam debentium verecundiam, quæ in tuos confers,
10 non vis videri præstare, sed reddere. Geramus tibi morem,[c] & beneficiorum summas tuorum pro tua voluntate ducentes, quidquid familiaribus tuis tribuis non expendi potius, sed rependi putemus; enimvero cum leviter cognitos, aut etiam semel visos iis honoribus simul ditas, quibus & amici possent esse contenti, nonne omnibus vis probare amicum tibi
15 esse qui bonus sit? Cuicunque quid publici mandatum fuerit officii, præmium spondetur, & redditur. Sibi humilitatem & tenebras suas imputet jacens virtus, quæ non obtulit se probandam.[4] Quod conscientiæ tuæ sufficit, honoratus est qui probatus.

XVIII. Velim tamen dicas unde, cum[1] tantis promissa persolvas,
20 quid cui promiseris scias, nec te vel reipublicæ cura, vel ipsa illa tuorum beneficiorum turba confundat,[2] ut parcior, tardiorve, tempore quem, modove decipias. Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu, quod promittis, appendis?[3] Nec imponi negligentibus arbitreris. Quotidie[a] in beneficia tua quærimus, & memoriam convenimus, & ne
25 singulis insidietur oblivio, cum altero quisque conferimus. Unum invenire non possumus, cujus spem atque expectationem non dicam fefelleris,

INTERPRETATIO.

a *Vetustati debent* quod *fidem* faciant.
b *Ut consulas pudori eorum quos obstringis.*
c *Et summa tua beneficia ex arbitrio.*
a *Beneficia tua animo computamus, & memoria repetimus ac ne quis ullus eorum obliviscatur, inter nos de iis quasi ea comparantes* colloquimur.

NOTÆ.

2. *Cavearum.*] Cavea proprie est area in medio theatro, in qua equitum subsellia constituta esse consueverant, quod velis tecta caveæ similitudinem referrent. Sæpe tamen uti hoc in loco pro toto theatro sumitur ut Æneid. l. 5. 340. *Hic totum caveæ consessum ingentis &c.*

3. *Sed tu quidem.*] Fortasse *& tu quidem,* ut notat Acidalius: ineoncinnum enim quiddam habet repetitio particulæ *sed.*

4. *Quod conscientiæ tuæ.*] Respexit ad pan. 8. n. 20. *Sibi imputet quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cum per te liceret ut viveret, (tu quod sufficit conscientiæ tuæ) etiam non merentibus pepercisti.*

1. *Tantis.*] Pro *tot.*

2. *Ut parcior.*] Ita ut alicui aut id non des quod promisisti, aut non des eo tempore quo daturum te promisisti.

3. *Nec imponi*] Sic agis cum iis quibus promisisti, quasi existimes eos ita diligenter observare promissorum modum tempusque, ut facile decipi non possint.

ſed, quæ [4] [c] delicatior eſt querela, diſtuleris. Solamne me, Imperator, benevolentiam tuam mirari putas? At ego miror etiam memoriam. Nam cui [5] Hortenſio, Lucullove, vel Cæſari tam parata unquam affuit recordatio, quam tibi ſacra mens tua loco momentoque, quo juſſeris, reddit omne depoſitum? [6] Utrum te tamen ipſe admones? an ut illi majeſtatis tuæ participi [7] deo, feruntur aſſiſtere fata cum tabulis, ſic tibi aliqua vis divina ſubſervit, quæ quod dixeris, ſcribat, & ſuggerat? Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promiſſo fidem ſubdas, & verba re ſancias. Nemo jam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis, quia [8] tam ſint certa, quæ ſpondes, ut tum videantur accepta, cum ſpondes.

XIX. Jam idipſum, quod [1] ante promittis, nonne de ſummo puriſſimæ mentis candore proficiſcitur? nam cujus eſt animi [2] nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis, ſed denunciare præſtanda, ut & prolixior ſit ſenſus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, & ſimiles reddat ingratis? animos enim noſtros, ſubitis affectibus impares, proinde lætitia ac dolor, ſi deprehendat, [3] externat. An non illa Romana [4] pietatis notiſſimæ mater, nuncio mali Cannenſis exterrita, filio reduce, quem flebat; [a] diriguit in mortem, nec par eſſe gaudio potuit quæ ſuperfuerat orbitati? Conſcius igitur cœleſtis arcani, & naturalium [5] depoſitorum, mavis hominibus ſperata procedere, quam

INTERPRETATIO.

c *Longe minor.* a *Mortis frigore rigefacta eſt.*

NOTÆ.

4. *Delicatior eſt.*] Delicatiorem vocat dilati, quam non dati omnino beneficii querelam; quia promiſſa denegare hominis eſt nullius fidei: differre vero, negligentiæ cujuſdam quæ in hominem quemvis cadere poſſe videatur.

5. *Hortenſio, Lucullove.*] Præſtantem hujus memoriam commendat *Tullius Tuſcul.* 1. & extremo *de Oratore l.* 3. ubi & Hortenſii meminit, itidem & *in Bruto n.* 301. Cæſarem vero tradit Plinius l. 7. c. 25. *ſcribere & legere ſimul, dictare & audire ſolitum, epiſtolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare: aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* De aliis præſtantis memoriæ exemplis a nobis ſupra dictum eſt.

6. *Utrum te tamen.*] Alii *utrum autem ipſe te.*

7. *Deo.*] Utrum vero Deo an Jovi? Etenim an Pacatus Chriſtianus fuerit incertum eſt. Jovi autem Martianus Capella l. 1. *Parcas ſuperum librarias aſſiſtere* ait, *ejuſque ſententias excipere.* Quod & ſcite ſuo more refert Lucianus, 366. Poetæ Græci & mythologici dicunt Parcas eſſe ſcribas Jovis.

8. *Tam ſint certa.*] Fortaſſe *tam ſunt certa* ut ad oram editionis ſuæ notat Livineius ex Viennenſi codice.

1. *Ante promittis.*] Promittis, antequam beneficium ullum conferas.

2. *Nec vota hominum fatigare.*] Id eſt, cito votis hominum annuere, vel etiam vota beneficentia & liberalitate antevertere.

3. *Externat.*] Attonat. Catul. in Argon. *Ah miſeram aſſiduis quam luctibus externavit ſpinoſas Erycina ſerens in pectore curas!*

4. *Pietatis notiſſima mater.*] Ita referunt Plinius l. 7. c. 53. A. Gellius l. 3. c. 15. Valer. Maxim l. 9. c. 12.

5. *Depoſitorum.*] Arcanorum, quæ pau-

insperata supervenire beneficia. Nec immerito. Namque fugitiva successuum repentinorum voluptas [6] ut occupat, sic relinquit; felicitas longior est, [7] expectare securum. Itaque cum hactenus a natura esset statutum, ut bona sua homines nescirent, & tum primum inciperent felicitate gaudere, cum cœpissent esse felices, tu promittendo præstanda invenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat, ut quos adepta solum juvabant, etiam adipiscenda delectent.

XX. Pari benignitate cum plures afficere honoribus velles, quam [1] honorum loca admitterent, & angustior esset materia voluntate; nec mentem tuam quamvis diffusum caperet imperium, quem nondum aliquo provexisti gradu, tamen [a] dignatione es solatus. Atque haud scio, an quibusdam consolatio ista suffecerit. Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est. Ita omnibus, qui te principe sibi jure confiderent, aut processit dignitas, aut satisfecit humanitas, humanitas inquam, quæ tam clara in imperatore quam rara est. [b] Nam cum indiscreta felicium pedissequa sit superbia, vix cuiquam contigit & abundare fortuna, [c] & indigere arrogantia. Cujus quidem ita majores nostros pertæsum est, ut graviorem semper putaverint servitute contemptum, ejusque impatientia sint coacti post [2] bellatores Tullos, [3] Numasque sacrificos, & [4] Romulos conditores regnum usque ad nomen odisse. Denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema hoc damnaverunt maledicto; & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocaverunt superbum, & putaverunt sufficere convicium. Quod si per rerum naturam liceret, ut ille Romanæ libertatis assertor, regii nominis [5] Brutus osor, [d] precariæ redditus vitæ, seculum tuum cerneret studiis virtutis, parsimoniæ, humanitatis imbutum ac refertum; nullum toto orbe terrarum superbiæ, libidinis, crudelitatis extare vestigium; jam te ipsum qua publice, qua privatim videret priscorum duri-

INTERPRETATIO.

a *Dignatus es* hunc *solari.*

b *Nam cum superbia eorum qui beati sunt indissociabilis comes sit.*

c *Et carere superbia.*

d *Impetrato precibus ad vitam reditu.*

NOTÆ.

eorum fidei commissa sunt, atque ut ita dicam in eorum manus deposita. Gruterus mavult *repositorum*, ut infra n.21. *nisi eos infra repositum* &c. Vide hunc locum.

6. *Ut occupat.*] Quam repente occupat, tam cito relinquit.

7. *Expectare securum.*] Expectare aliquid certi.

1. *Honorum*] Ita sensus postulare mihi videtur, non *honorum*. Itaque suspicatur. Puteanus ut ad oram editionis Livinejanæ adnotavit post Rittershusium.

2. *Bellatores Tullos.*] Tulli Hostilii in Sabinis Albanisque subigendis nota fortitudo.

3. *Numas sacrificos.*] Numæ Pompilii secundi Romanorum regis celebrata est insignis in instituendis sacris pietas & religio.

4. *Romulos conditores.*] Cui non notus Romanæ urbis conditor Romulus?

5. *Brutus.*] Respexit ad illud Martialis l. 11. ep. 5. de Trajano: *Si redeant veteres*

tia ducum, castitate pontificum, consulum moderatione, [6] petitorum comitate viventem; mutaret profecto sententiam tanto post suam; & cum Romanam dignitatem ac libertatem probaret, meliore in statu imperatore te esse quam consule se fuisset, necessario fateretur Tarquinium submoveri debuisse, non regnum. 5

XXI. Sed quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primum sacras ædes, & dicata numini summo delubra visamus, tum fora, atque gymnasia, & pro suis extenta porticibus ambulacra miremur, ita in laudibus tuis sanctos palatii ritus, & priscis æquanda cærimoniis instituta venerati, gradum ad illa proferimus, quæ in medio constituta & ad publicos usus facientia, [1] non partim, sed in commune conducunt, nec parietibus, sed orbe clauduntur, nec tecto, sed cœlo operiuntur. Velut primum illud est, ne statim summa captemus, quod [a] creber egressu expectantibus [b] populis te fateris, nec videri modo patiens, sed [2] facilis adiri, e proximo accipis vota hominum tuorum: [c] ut, quisquis ille consultor est, etiamsi meruerit, quod est rarum, repulsam, [d] ferat tamen visi numinis conscientiam. At [e] quam alter illorum principum mos fuit, quos loquar notum est, qui majestatem regiam imminui & vulgari putabant, nisi eos [f] intra repositum palatinæ ædis inclusos tanquam aliquod [3] Vestale secretum veneratio occulta consuluisset, [g] nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa, & silentia late conciliata vallassent. Quin siquando in lucem venire, & diem ferre potuissent, [4] lecticis [5] tensisque subvecti, & densissima circum supraque cooperti virorum armorumque testudine sensim atque ad numerum movebantur. Tum longe populus abigebatur, nec 10 15 20

INTERPRETATIO.

a *Crebro* in publicum *prodis*.
b Intuendum *te præbes* & *agnoscendum*.
c *Ut quisquis ad te de negotio aliquo refert*.
d *Saltem conscius sibi sit visi numinis*.
e *Quam dissimilis*.
f *Intra penetralia sacræ ædis*.
g *Nisi intra domesticos parietes solitudo quæsita &c.*

NOTÆ.

ingentia nomina patres, Elysium liceat si vacuare nemus. Te duce gaudebit Brutus.... Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris, si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

6. *Petitorum comitate.*] An legendum *prætorum comitate*, ut Balduino placet? Satis apte ad illud Plinii paneg. n. 9. *Vos mihi in tribunatu quietus, in prætura modestia* &c. Fortasse etiam *petitores* sumuntur pro candidatis.

1. *Non partim.*] Id est, *non privatim*, inquit Puteanus. Aliqui legunt *patentia*, alii *valentia*, alii *parti*.

2. *Facilis adiri.*] De hac loquendi forma supra *paneg.* 10. *n.* 14. *not.* 2.

3. *Vestale secretum.*] Alludit ad ignem illum, qui in intimis Vestæ penetralibus summa cum religione a Vestalibus custodiebatur.

4. *Lecticis.*] Lecticas ante Ciceronis tempora in agris, non in urbe; ad iter tantum, non ad desidiam urbanam adhiberi solitas notat Lipsius: postea vero easdem ita communes factas, ut ad certas personas, ætatem, ac certos dies restringi illas oportuerit. Vide *Lipsium Elect. l.* 1. *c.* 19. ubi plura de lecticarum varia forma.

5. *Tensisque.*] *Tensa*, seu ut alii scribunt,

otiosa [6] viatoris manus plebem verbere submovebat: ut secretum [7] esset in publico. At noster hic omnibus spectandus affertur, nec magis communem hunc diem atque solem quam nostrum imperatorem videri licet. Quin, cum vicinum habeant permissa fastidium, nunquam iste mirantes
5 explet oculos. Magis magisque visus expetitur, &, novum dictu, præsens desideratur.

XXII. Miremur in urbibus tuis, & a tuis populis te videri, quem fere nulla in solo suo natio externa non vidit, idque ita crebro, ut pene tam notus sit barbaris vultus iste quam nobis? Nec frustra, cum æstates
10 omnes foris, hyemes domi ducens, civibus hostibusque pari sorte anni spatia diviseris: & si qui forte sunt barbarorum, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint, nominis terrore perculsi & velut afflati quiescant. [a] Tua enim, Imperator, auspicia non hæ tantum gentes tremunt, quas ab orbe nostro silvarum intervalla, vel flumina, montesve distinguunt, sed
15 quas æternis ardoribus inaccessas, aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abjunctas natura disterminat. Non oceano Indus, non [1] frigore Bosphoranus, [2] non Arabs medio sole securus est; & quo vix pervenerat nomen ante Romanum, accedit imperium. Dicamne ego receptos ad servitium [3] Gotthos, castris tuis militem, terris sufficere cultorem?
20 Dicam a rebellibus [4] Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas? Dicam [5] interdictum Scythis Tanaim, & imbelles arcus etiam fugientis [6] Albani? Quæcunque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam nobis fuit, [7] aut [b] boni consulit ut quiescat, aut lætatur, quasi amica, si serviat. Persis ipsa, reipublicæ nostræ retro æmula, & multis

INTERPRETATIO.

a *Fortunam tuam.* b *Præclare secum agi putat, quod fruatur pace.*

NOTÆ.

thensa, erant sacri currus, quibus in ludis circensibus deorum simulacra vehebantur.

6. *Viatoris.*] De his dictum est. *Plinii paneg. n.* 76. *not.* 8.

7. *Esset in publico.*] Id est, ut etiam tum cum in publico versabantur, in secreto esse viderentur.

1. *Frigore Bosphoranus.*] Populus Sarmatiæ Europææ versus Bosphorum Cimmerium, ubi nunc pars Tartariæ Precopensis. De hujus regionis frigoribus cum Geographi omnes, tum in primis multa habet Ovidius lib. de Ponto.

2. *Non Arabs sole.*] Ex ipso Arabum colore nigro, unde in sacris literis Æthiopes dicuntur, satis patet quanto fervore solis regio illa ardeat.

3. *Gotthos.*] Qui Athanarico rege suo mortuo, sese Romano imperio dediderunt. *Marcell. in chronico. Oros. l.* 7. *c.* 34

4. *Saraçenus.*] Saraceni populi Arabiæ felicis.

5. *Interdictum Scythis Tanaim.*] Ita refert Oros. l. 7. c. 34. & Zonaras 3. tomo annal. Duplex autem est Tanais: alter in Moscovia, qui Asiam ab Europa dividens in paludem Mæotidem se exonerat: alter in Scythia Orientali, qui ex Parapamiso monte in mare Caspium profluit. Atque is quidem Jaxartes proprie dicitur, sed a Macedonibus Tanais nominatus est.

6. *Albani.*] Populi sunt Orientis inter Iberiam & mare Caspium, quos Strabo jaculandi peritos fuisse tradit l. a.

7. *Aut boni consulit.*] Frequens apud Tullium loquendi modus. *Boni consulere*,

Romanorum ducum famosa funeribus, quidquid unquam in principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio. Denique [8] ipse ille rex ejus, dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem, & in his te colit templis, in quibus colitur: tum legatione mittenda, gemmis, sericoque præbendo, adhoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis; etsi adhuc [9] non est fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est. 5

XXIII. Ne tamen, Imperator, existimes cuncta me [1] ad aurium gratiam locuturum, [2] triumphis tuis Gallicis, stupeas licebit, irascimur. Dum [3] in remota terrarum vincendo procedis, dum ultra terminos rerum, metasque naturæ [4] regna Orientis extendis, dum ad illos primæ lucis indigenas, & in ipsum, si quod est solis cubile, festinas, invenit tyrannus [5] ad scelera secretum. O quam parvis veniunt summa mala principiis! Sic in ultimum prope Italici generis excidium, [6] effracto Cnæi Lentuli ludo mirmillonum agmen emicuit. Sic bella consulibus ancipiti Marte pugnata [7] Cilix pirata conflavit. Sic [8] tenentibus arma fugitivis Romana diu pila cesserunt ferro ergastulorum. Quis non ad primum novi sceleris nuncium hominem risit? nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cum pauci homines, & insulani totius incendium continentis adolerent, & regali habitu exulem [9] suum illi [10] exules orbis induerent? At quantos parturiebat fortuna motus, quantum reipublicæ malum pestis augenda, quantam tibi gloriam restinguenda. 10 15 20

NOTÆ.

seu *æqui, bonique consulere.*

8. *Ipse ille rex.*] Artaxerxes, sive alius fuit, qui Richomere, & Clearcho coss. per legatos cum muneribus missos, pacem a Theodosio petiit, ut aiunt Socrates l. 5. Marcellinus Comes, & Claudian. de 6. consulatu Honorii: *missique rogatum fœdera Persarum proceres &c.*

9. *Non est fœderatus.*] At postea fuit, ut observat Puteanus ex Aurel. Victore, qui Persas cum Theodosio pacem pepigisse ait. Quod confirmat Orosius.

1. *Ad aurium gratiam.*] Tale est illud Trebonii ad Tullium: *Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare.* Tullii Ep. l. 12. Ep. 16. Id est, ne id putes a me dictum, adulandi causa.

2. *Triumphis tuis Gallicis.*] Maximus enim Gallias occuparat.

3. *In remota terrarum.*] Pacatus Romæ loquitur & coram imperatore Romano.

4. *Regna Orientis.*] Theodosio uni Orientis regnum obtigerat Gratiani a Maximo interfecti cæde.

5. *Ad scelera secretum.*] Locum aptum ad tyrannidem nefarie occupandam.

6 *Effracto Cn. Lentuli ludo.*] Tangit servile bellum; dictum Spartacium, quod in Italia suscitatum an. V. C. 681. auctore Spartaco, Œnomao, & Crixo: qui effracto Capuæ Lentuli ludo in quo alebantur cum 74. gladiatoribus quos Mirmillones appellat, vocatisque ad arma servis occuparunt montem Vesuvium & Claud. Pulchrum legatum, ac P. Vatinium prætorem bello vicerunt. *Florus l. 3 c. 20. Eutrop. Epit Victoris.*

7. *Cilix pirata*] Intelligit bella piratica a Pompeio confecta. *Florus.* Cilix autem populus oram Amano, & Tauro montibus, Pamphylia, & mari circumscriptam habitabat.

8. *Tenentibus arma fugitivis.*] Intellige de bellis servilibus, quæ gesta anno V. C. 681. & 683. refert Florus.

9. *Suum.*] Maximum, origine Britannum.

10. *Exules orbis.*] *Toto divisos orbe Britannos.* Virgil. Eclog 1. 67. & Horat l. 1. od. 35. *ultimos orbis Britannos.*

servabat? præcipue cum[11] perfidia ducum, defectione legionum contra
rempublicam foret versum quicquid pro republica fuerat armatum.

XXIV. Nolo tamen usquequaque miserorum vel factum[a] onerare,
vel fatum, qui dum carnifici purpurato, tua se & affinitate & favore ja-
5 ctanti, infeliciter credunt, gravissimum omnium nefas fecerunt affectu
innocentium. Intelligo quam difficilem in locum scopulosumque devene-
rim. Nam cum[b] revolvi id[1] lustrale justitium, aures tuæ respuant, laudes
petant; gloriæque intersit ad præsentium commendationem bonorum
mala decursa reputari, contra vero clementia summa beneficium suum
10 malit imminui, quam tristium enumeratione[c] cumulari, necesse erit me,
vel tacentem publica incommoda, vel loquentem, aut ingratum virtuti,
aut onerosum esse pietati. Sed tamen, Imperator, exiguam sensibus tuis
injunge patientiam. Nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si
nautas tempestatum, si medicos juvat meminisse morborum, cur non tu
15 quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas? Unde igitur
ordiar, nisi a tuis mea Gallia malis?[d] quæ ex omnibus terris, quas illa pe-
stis insederat, haud injuria tibi vindicas privilegium miseriarum, non au-
ribus modo, quarum[2] sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa
victoriam Maximi,[3] interitum Gratiani.[4] Alta licet vulnera, quod faten-
20 dum est, proximus nobis Italus, & contiguus ostendat Hispanus; sed in
dolore summo habet suum uterque solatium. Tyrannidem ille non vi-
dit, hic tyrannicidium vidit. Nos primi impetum belluæ furentis excepi-
mus, nos sævitiam ejus innocentium sanguine; nos cupiditatem publica
paupertate satiavimus. Apud nos semet exercuit crudelitas jam secura, &

INTERPRETATIO.

a *Aggravare.*
b *Commemorari.*
c *Quam adjecta rerum tristium narratione fœdari.*
d *Quæ omnium terrarum quas tyrannus ille populatus est gravissime vexata esse merito diceris.*

NOTÆ.

11. *Perfidia ducum.*] Nempe Merobaudis, inquit Vulgaris Prosper in Chronico.

1. *Lustrale justitium.*] Quinquennium intelligit, quo per vim & absque ullo legum & æquitatis usu tyrannidem Maximus occupavit.

2. *Sensus est levior.*] Nam ut ait Horatius de Arte poetica. *Segnius irritant animos, demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

3. *Interitum Gratiani.*] Qui, ut ait hoc loco Pacatus, item & Zosimus ac Prosper in Chronico, a Maximo victus; juxta aliquos vero ab exercitu proditus, atque a Maximo per dolum oppressus: juxta alios cum trecentis equitibus Parisiis Alpes & Italiam versus ad Valentinianum fratrem confugiens Lugduni per Andragathium a Maximo immissum interfectus est.

4. *Alta licet.*] Quamvis ad Italiam & Hispaniam Gallis conterminam Maximi fama pervaserit, ea re certe utraque recreatur, quod *ille*, id est, Hispania Maximi furorem non viderit: *Hic*, id est, Italia ejusdem cædem viderit. Nam apud Aquileiam, quam Plinius in decima Italiæ regione collocat, Maximus occisus est. Nota autem Pronomen, *hic* ad remotius nomen, *ille* ad propinquius contra solitum referri.

adhuc inops avaritia. Alibi malum publicum aut[f] cœpit, aut destitit; in Gallia sedit.

XXV. [a]Quis se nobis calamitate contulerit? Tyrannum & cum aliis tulimus, & soli. Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines? quid perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata, [1]capita deminuta, vitam ære taxatam? Vidimus redactas [2] in numerum dignitates, & [3] exutos trabeis consulares, & senes [4] fortunarum superstites & infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem; cum interim miseri vetabamur [b] agere miseros, imo etiam cogebamur mentiri [c] beatos, & cum domi atque secreto solis conjugibus ac liberis [5] credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum [6] non nostræ fortunæ vultu. Audires enim dicere delatorem, Quid ita ille tristis incedit? An quia pauper ex divite est? Non enim se vivere gratulatur? Quid ita hic publicum [7] atratus incestat? Luget, credo, fratrem. Sed habet filium. Ita fleri non licebat amissa, metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui degustato [8] Sardorum graminum succo, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis, & pectus laxasse suspiriis. Nulla major est pœna quam esse miserum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis explendi. Nec enim, ut natura fert, copiam satietas sequebatur, crescebat in dies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant. Ut ægrorum sitim po-

INTERPRETATIO.

a *Cujus terræ calamitas cum nostra conferri* potest?

b *Pro miseris nos gerere.*

c *Hilares.*

NOTÆ.

f. Cœpit.] In Britannia; *destitit* in Italia.

1. *Capita diminuta.*] Diminutio capitis apud Jurisconsultos est prioris status permutatio, cum scilicet aut libertatem, aut civitatem, aut familiam amittimus. Quare triplex est capitis diminutio, maxima, media, & minima. De quibus Jurisconsultos vide.

2. *In numerum dignitates.*] Seu *in ordinem*: utrumque enim eodem sensu sæpe apud Tullium aliosque scriptores dicitur, ducta metaphora, inquit Lipsius, vel a militia, vel a magistratibus. Quippe quia inter milites sunt extra vel supra ordines legati, tribuni, &c. ii cogi in ordinem videntur, cum spoliati suo munere pares habentur gregariis. Itidem in magistratu qui eminet, nec est in vulgi classe vel ordine, is redigi in ordinem dicitur, cum auctoritas ejus spernitur aut violatur.

3. *Exutos trabeis.*] Id est, consulatus insignibus spoliatos.

4. *Fortunarum superstites.*] Id est, senes prius fortunis, quam vita cassos.

5. *Credidissemus.*] Clanculum de malis nostris conquesti eramus.

6. *Non nostræ fortunæ.*] Vultu non conveniente nostræ conditioni.

7. *Atratus.*] Atra vestis propria fuit virorum in luctu. Nam quod ad fœminas spectat, alia aliis temporibus fuit: modo nigra, modo alba.

8. *Sardorum succo.*] Notum est, quod de Sardoa herba ferunt, ita eorum a quibus degustaretur ora contrahente, ut a gerent animam veluti ridentes. Unde Sardonicus risus celebratus pro ficto, aut amarulento risu. Quanquam non desunt, qui aliam

tus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, ſed augetur, ita coactæ publica egeſtate divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuebant.

XXVI. [1] Stabat ipſe purpuratus [a] ad lances, & momenta ponderum, [2] nutuſque trutinarum pallens atque inhians exigebat. Comportabantur interim ſpolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum. Hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum [3] cervicibus bullæ, iſtic dominorum cruore perfuſum appendebatur argentum. Numerari ubique pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi; cuivis ut intuenti non illud imperatoris domicilium, ſed latronis receptaculum videretur. Sed tamen latro raptis abutitur, & ablata aliis ſibi reddit; nec ideo vias ſaltuſque obſidet, ut theſaurum ſtruat atque defodiat, & cum ſcelere miſer ſit; ſed ut gulæ ventrique ſuppeditet, nec deſit ſumptus impendiis. Nam & effundit & negligit, eadem perdendi & quærendi facilitate. Noſter ille pirata, quidquid undecunque [4] converrerat, id nobis ſibique periturum, in illam ſpecus ſui [5] Charybdim congerebat. Charybdim loquor? quæ cum plena navigia ſorbuerit, dicitur tamen rejectare naufragia, & contortas fundo rates [6] Taurominitanis litoribus exponere. Bona noſtra ad ærarium una & perpetua via ibant, nullas eorum reliquias, nulla fragmenta vel ſero victa faſtidio illa communis vorago revomebat.

XXVII. Eſt improborum principum poſtrema defenſio, auferre donandi gratia, & invidiam rapinarum magnitudine munerum [a] deprecari; quæ, malum! ratio eſt, abſtuliſſe omnibus, quod nullus habiturus ſit? Et privatorum quidem avaritiæ licet mala, tamen aliqua defenſio eſt, timetur inopia, & [1] reponitur ſenectuti, & proſpicitur heredi. Quam affert cauſam concupiſcendi, qui, quantum ubique eſt, habet? Quin ego, ſi

INTERPRETATIO.

a *Et inclinationes ponderum, ac lancium motus* leviſſimos *anxie & avide obſervabat*. a *Excuſare*.

NOTÆ.

hujus rei originem referunt. *Sardi* autem, Sardiniæ inſulæ populi.

1. *Stabat ipſe.*] Ὑποτύπωσις hominis nequiter attenti ad eorum bonorum venditionem, quibus ſummis perfunctos honoribus viros, matronas, pupillos ac provincias integras ſpoliaſſet.

2. *Nutuſque trutinarum.*] Nutus trutinarum appellat, cum altera lanx deorſum vergit, propendetque.

3. *Cervicibus bullæ.*] *Bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea.* Aſconius. Quem morem a Tarquinio Priſco inductum ferunt, cum filium ſuum 14. annos natum de Sabinis victorem hoc honore donavit.

4. *Converrerat.*] Ita Balduinus poſt complures alios legit, pro *convenerat*, uti eſt in aliis editionibus.

5. *Charybdim.*] Fretum inter Italiam & Siciliam, contrariorum fluctuum colliſione rapta quæque abſorbens & eructans. Charybdim autem poetæ ferunt mulierem fuiſſe rapaciſſimam, quæ cum Herculis vaccas rapuiſſet, a Jove percuſſa fulmine, in monſtrum converſa eſt.

6. *Taurominitanis litoribus.*] Taurominium urbs eſt Siciliæ, cum portu in ora orientali inter Meſſanam & Catanam, hodie *Taormina*.

1. *Reponitur ſenectuti.*] Sic apud Horat. ſerm. l. 1 Sat. 1. *hac mente laborem ſeſe ferre*

fas

fas piumque mortalibus existimare cœlestia, nullam majorem crediderim esse principum felicitatem quam fecisse felicem, &[a] intercessisse inopiæ, & vicisse fortunam, & dedisse homini[b] novum fatum. Itaque imperatori propriam majestatem bene æstimanti, non tam illud videri suum debet, quod abstulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipsum voluantur omnia, & ut ille, qui cuncta ambit oceanus, quas suggerit aquas terris recipit e terris, ita quidquid in cives manat a principe redundat in principem; & rei & famæ bene consulit munificus imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram.

XXVIII. Sed illi quidem stulta omnis ratio captandæ laudis videbatur, qui, præter insitum pessimo cuique boni exempli odium, [a] summam felicitatem habendi ac nocendi fine determinans, non solum ut quam plurimum [b] quæreret, sed ut nihil cuiquam reliqui faceret, laborabat. Nec enim, qui regibus mos est, [1] exercendis invigilabat metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcesseret, & pararet innoxias nullo pauperiore divitias. Parum ille pretiosum putabat aurum, quod[2] de montium venis, aut fluminum glareis[1] quæsitor Bessus, aut scrutator[4] Callaicus eruisset, illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lacrymæ, non amnium aquæ abluissent, nec e terrenis specubus egestum, sed e cervicibus jugulisque cæsorum esset effossum. Sic cum immitis tyranni[5] & stilus timeretur & gladius, transierat in vota paupertas, & ut possemus effugere carnificem, optabamus[6] subire sectorem. Quod si cui ille pro ceteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, vestrum

INTERPRETATIO.

a *Removisse inopiam.*
b *Novam sortem.*
a *Ratus et se feliciorem fore; quo plus haberet ac noceret.*
b *Raperet.*

NOTÆ.

fines, aiunt, *ut in otia tuta recedant .... sicut parvula nam exemplo est magni formica laboris.*

1. *Exercendis metallis.*] Aut eruendis, aut conflandis, aut signandis.

2. *De montium venis.*] Aurum invenitur 1. in fluminum glareis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, & Gange Indiæ. 2. In puteorum scrobibus 3. in ruinis montium ac terræ visceribus. Ita ex Plinii l. 33, c. 4. notat Puteanus.

3. *Quæsiter Bessus.*] Bessi populi Thraciæ ad Hæmum montem incolentes, quos scrutandi per cuniculos auri peritissimos referunt Vegetius l. 3. c. 11. & Claudianus de cons. Mallii 39. *Quidquid fluviis evolvitur auri: quidquid luce procul venas rimata sequaces abdita pallentis fodit solertia Bessi.*

4. *Callaicus.*] Populus Hispaniæ eam regionem incolens, quæ nunc Gallæcia dicitur. Ubi magnam auri copiam fuisse tradit *Plinius l.* 13. *c.* 4.

5. *Et stilus.*] Id est, proscriptiones. Verbum juris est, sic Tullius pro Cluentio *stilum Censorium, gladiumque Dictatorium* appellat.

6. *Subire sectorem.*] Budæus eos proprie dicit *sectores* appellatos, qui delationibus faciendis confiscationes a principibus impetrabant, ut homines interdum insontes fortunis omnibus everterent. Ita censet Asconius & post eum Jurisconsulti pene omnes. Supra vero mentio est *pue-*

is vestrum, [7] Vallio triumphalis, & [8] trabeate Merobaudes recordetur interitum. Quorum alter post amplissimos magistratus, & purpuras consulares, [9] & contractum intra unam domum quendam honorum senatum, vita sese abdicare compulsus est; alteri manibus [10] satellitum Britannorum
5 gula domi fracta, & [c] inusta [11] fœmineæ mortis infamia, ut scilicet maluisse vir ferri amantissimus videretur laqueo perire quam gladio. Sed in illos fortasse speciales putaretur habuisse odiorum causas tyrannus; steterat enim uterque in acie Gratiani, & Gratianus utrumque dilexerat: quid de his dicimus, [d] qui honorum ac principum nescii, & tantum inter suos clari,
10 nobiles animas sub carnifice fuderunt?

XXIX. De virorum mortibus loquor, cum descensum recorder ad sanguinem fœminarum, & in sexum cui bella parcunt non parce sævitum? Sed nimirum graves suberant, invidiosæque causæ ut [1] unco ad pœnam [2] clari vatis matrona raperetur. Objiciebatur enim, atque exprobraba-
15 tur mulieri [3] viduæ nimia religio, & diligentius culta divinitas. Quid hoc majus poterat intendere [4] accusator sacerdos? fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, revera autem satellites, atque

INTERPRETATIO.

c *Imposito mortis ignavæ probro, quasi &c.*

d *Qui honorum & principum* amicitiæ *expertes.*

NOTÆ.

rerum sub fectore ludentium.

7. *Vallio triumphalis.*] *Balio* pro *Vallio* reponunt Balduinus, & Puteanus ex Ambrosii ep. 27. ubi Balio bellator egregius, cum a Maximo interfici jussus esset, sibi ipsi manus attulisse dicitur. Sunt qui Vallionem hunc, sive Balionem non alium fuisse putant a Saturnino, qui tum erat cum Merobaude consul, cum Gratianus interfectus est. Errant autem, qui pro Bautone consule illum accipiunt. His enim aperte refragatur Ambrosius: cum addit eodem loco Maximum de Bautone, quasi de altero Balione decernere voluisse.

8. *Trabeate Merobaudes.*] Id est tum consul, cum Gratianus cæsus est. Merobaudem ortu Hispanum fuisse, eundemque eloquentiæ in primisque poeticæ studio præstantem refert Idatius in chronico. Is cum fugienti Gratiano socium sese adjunxisset, quo ipsum in Italiam ad Valentinianum fratrem deduceret, uterque Lugduni ab Andragathio opprimitur. Quare graviter hallucinatur Prosper vulgaris in chronico, cum dicit Gratianum *Parisius Merobaudis magistri militum proditione superatum fugisse.*

9. *Et contractum.*] Postquam magistratus omnes, ac dignitates senatus in familiam suam intulisset.

10. *Satellitum Britannorum.*] Nam Maximus tyrannidem primum in Britannia occuparat.

11 *Fœmineæ mortis.*] Ignavæ.

1. *Unco ad pœnam.*] Reos unco ad mortem raptari solitos supra diximus in Plinii paneg. n. 33. not. 11.

2. *Clari vatis matrona.*] Euchrocia uxor Delphidii poetæ, de quo *Auson. de profess. Burdegal. carm.* 6. Illa autem ob Priscilliani errores Treveris cum multis aliis ejusdem noxæ consortibus morti addicta est. *Prosper in Chronico.*

3. *Vidua.*] Mortuo Delphidio.

4. *Accusator sacerdos.*] Idatium episcopum innuit; mox enim addit: *qui nominibus antistites, re vera autem satellites.* Idatium autem ideo excommunicatum narrat Ambrosius, quod Priscilliani errores proscribere non contentus, ejus sanguinem

adeo carnifices, non contenti miseros avitis [a] evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum jam pauperum. Quinetiam cum judiciis [5] capitalibus astitissent, cum gemitus & tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, cum lictorum arma, cum damnatorum [b] [6] fræna tractassent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant, & cærimonias quas incestaverant mentibus, etiam corporibus [c] impiabant. Hos ille [7] Phalaris in amicis habebat, hi [8] in oculis ejus, atque etiam in osculis erant; nec injuria, [d] a quibus tot simul votiva veniebant, avaro divitum bona; cruento innocentium pœna; impio religionis [e] injuria.

XXX. Tandem in nos a oculos deus retulit, & bonis orientis intentus, ad mala nostra respexit, & [a] hunc sacerrimo capiti [1] objecit furorem, ut [2] fœdus abrumpere, [3] jus feciale violare, bellum edicere non timeret. An ego sine divino numine factum putem, ut qui sub nomine pacis ludere, & [4] primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumque vexillum latrocinii civilis attolleret, & superatis [5] Alpibus Cottiis, Julia quoque claustra laxaret, tibique, Imperator, imponeret, servatæ adhuc

INTERPRETATIO.

a *Evertisse.*
b *Vincula.*
c *Polluebant.*
d *Per quos tot res optatissimas simul consequebatur.*
e *Violatio.* a *Homini improbissimo injecit.*

NOTÆ.

in consistorio regis peteret, sanctos viros bene multos, in primisque S. Martinum, tanquam ejusdem erroris reos, apud imperatorem accusaret. Quod sævitiæ exemplum cum secuti essent, ex iis qui in Maximi aula erant plures episcopi, cum iis communicare noluit D. Ambrosius.

5. *Capitalibus.*] Id est, ubi de reorum capite ageretur.

6. *Fræna.*] An potius *funera*, ut emendat Livineius.

7. *Phalaris.*] Phalaridis Agrigentinorum tyranni nota crudelitas, ut ferocis alicujus tyranni exemplum quærenti, statim ille occurrat.

8. *In oculis eius.*] *Esse alicui in oculis*, Ciceronianus, Terentianusque loquendi modus pro *amari unice* : *esse* vero *in osculis*, ubi præterea legatur haud scio.

1. *Objecit furorem.*] A diis iratis mala consilia in hominum mentes immitti veteres existimabant. Quare Pacatus hoc loco deo totius Orientis patrono Maximi furorem tribuit. Sic Homerus Iliad A. V. 8. τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι. *Quisnam ipsos deorum contentione commisit pugnare?* Tullius pro Milone. n. 88. *Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioso, ut huic faceret insidias; aliter perire pestis illa non poterat.* Sic apud Virgil. Æneid. 10. 72. *Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra egit?*

2. *Fœdus abrumpere.*] Maximus suscepto invadendæ Italiæ consilio, veritus ne in Alpium transgressu occideretur, Domnino, quem Valentinianus Aquileia, quo se receperat sibi legarat, pacem petenti in speciem annuit, at redeuntem cum exercitu suo occulte insecutus, Italiam subito occupavit *Prosper Pithœi.*

3. *Jus feciale violare.*] Id est bellum inferre ante missos feciales. Neque enim licebat bellum inferre, nisi hi & justa causa susceptum declaravissent, & prius indixissent. *Varro.*

4. *Primi sceleris.*] Occupati imperii pœnam effugere.

5. *Alpibus Cottiis.*] Alpes aliæ *Cottiæ*

veniæ fidem, vincendi necessitatem. Agebat eum, credo, præcipitem vindicanda jam proximo ultore respublica, & extinctus aperto[6] dominus parricidio pœnas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia; non temeritas, sed necessitas erat; nec ultro lacessebat ille te bello; 5 sed ulterius[b] se negare supplicio non poterat. Alioquin quomodo tantam concepisset audaciam, ut rueret in ferrum, & obviam morti venire tam ignavus & timens mortis auderet, ut qui se non potuerit postea vel victus occidere? Et te quidem, Imperator Auguste, ad asserendam rempublicam, usurpandamque victoriam sufficeisset in bella vel solum venire. 10 Nam si olim domini adversum rebelles servos dimicaturi[7] flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientiæ fuit, ut ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora darent terga verberibus: nonne tu quoque legionibus otiosis rem totam visus, egisses?

XXXI. An sustinere te coram, & solum oculorum tuorum ferre 15 conjectum ille quondam domus tuæ[1] negligentissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa potuisset? Non statim totum subisset hominem præterita sui tuique reputatio? Non ipse sibi objecisset te esse[2] triumphalis viri filium; [a] se patris incertum? te hæredem nobilissimæ familiæ; [3] se clientem? te omni retro tempore Romani exercitus ducem, liberta- 20 tis patronum; [b] se [4] orbis extorrem, patriæque fugitivum? jam vero te principem in medio reipublicæ sinu, omnium suffragio militum, consensu provinciarum, ipsius denique ambitu imperatoris optatum; se in ultimo terrarum recessu, legionibus nesciis, [c] adversis provinciarum studiis, nullis denique auspiciis in illud tyrannici nominis aspirasse furtum? postremo 25 tecum fidem; secum perfidiam; tecum fas; secum nefas; tecum jus; secum injuriam; tecum clementiam, pudicitiam, religionem; secum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium scelerum, postremo-

INTERPRETATIO.

b *Se subducere morti.*
a *Se incerti patris.*
b *Se ejectum ab omnibus & patria pulsum.*
c *Adversantibus.*

NOTÆ.

aliæ *Juliæ*: *&c* supra Plin. pan. n. 14. not. 10.

6 *Dominus.*] Gratianus.

7. *Flagra in aciem.*] Id de Scythis referunt Herodotus initio Melpomenes. Justinus l. 2. & Claudianus l. 1. in Eutropium 508. *Ut Scythis post multos rediens exercitus annos cum sibi servili pro finibus obvia pubes iret, & arceret dominos tellure reversos, armatam ostensis aciem fudere flagellis.*

1. *Negligentissimus vernula.*] Nempe Maximus, quem mox *statarium lixam*, Ausonius *armigerum lixam* appellat Pacatus. Atqui Zosimus l. 4. Maximum Theodosii commilitonem fuisse dicit. Sed quæ, ut jam sæpe dixi, huic auctori fides esse debeat. Nisi forte commilitonem Theodosii vocet, qui ei pugnanti instar calonis aut vernulæ ministrasset. *Vernula* autem is est, qui ex famula natus. Ita *glossa editionis Basileensis.*

2. *Triumphalis viri filium.*] Theodosii pater triumphalia meruerat post Gotthos superatos.

3. *Se clientem.*] Tuæ familiæ.

4 *Orbis extorrem.*] Quia ex divisa toto orbe Britannia esset oriundus.

rumque vitiorum ſtare collegium? Res ipſas interrogemus, &, quæ certiſſima conjectatio eſt, [d] colligamus gerenda geſtis. Num tandem dubitari poteſt, quid fuerit eo præſente, facturus, quem non vidit, & fugit?

XXXII. Quamvis igitur, Imperator, hoſte tali abutereris, nec tam ad prælium conſerendum quam ad ſupplicium de nefario capite ſumendum venires, conſiliis tamen tantis, tantiſque rationibus bellum adminiſtrabas, [1] ut cum Perſe aliquo decertaturus, aut Pyrrho, aut cum illo ipſo Annibale videreris. Nam primum fidem regum, quibus limes orientis ambitur, data atque accepta dextera firmas, quo foris ſecurus agitares, ſi nihil ſollicitum & ſuſpectandum domi reliquiſſes. Tunc copias tuas [a] trifariam dividis, ut & hoſtis audaciam multiplicato terrore percelleres, & [b] fugam circumfuſus ambires. Poſtremo [2] populis barbarorum, ultroneam tibi operam ferre voventibus commilitonum munus [c] indulges, ut & [3] limiti manus ſuſpecta decederet, & militi auxiliator accederet. Qua tua benignitate pellectæ omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluebant, ut, quem remiſeras tuis, barbaris videreris imperaſſe dilectum. O res digna memoratu! Ibat ſub ducibus vexilliſque Romanis hoſtis aliquando Romanus, & ſigna contra quæ ſteterat ſequebatur, urbeſque [4] Pannoniæ, quas inimica dudum populatione vacuaverat, miles impleverat. [5] Gotthus ille, & Hunnus, & Alanus reſpondebat ad nomen, & alternabat excubias, [d] & notari infrequens verebatur. Nullus tumultus, nulla confuſio, nulla direptio, [e] ut a barbaro, erat. Quin ſi quando difficilior frumentaria res fuiſſet, inopiam patienter ferebat, [f] & quam numero arctarat annonam, comparcendo laxabat; pro omni præmio omnique mercede id unum repoſcens, ut tuus diceretur. Quanta eſt virtutis ambitio! [6] Accipiebas beneficium quod imputares.

XXXIII. Memorabile putavit antiquitas, quod [1] Actiaco aliquando bello ducibus motibuſque Romanis peregrina Ægyptus arma permiſcuit,

INTERPRETATIO.

d *Ex geſtis* rebus *gerendas æſtimemus.*

a *In tres partes.*

b *Fugiendi viam undequaque involvens præcluderes.*

c *Tribuis ut ſuſpecti homines de finibus abſcederent, & copiis tuis auxiliares ſe adjungerent.*

d *Et metuebat ne officio defuiſſe accuſaretur.*

e *Ut barbari ſolent.*

f *Et quam annonam ob multitudinem &c.*

NOTÆ.

1. *Ut cum Perſe,*] De Perſe Macedonum ultimo rege, quem vicit Æmilius, Vide Livium l. 40. Juſtinum l. 33. & de Pyrrho Epirotarum rege vide Plutarchum. *De Annibale paneg. 6. n. 13. not.* 8.

2. *Populis barbarorum.*] Scythicas nationes, ut mox ait.

3. *Limiti.*] Iſtriano.

4. *Pannoniæ.*] De Pannonia ſupra in *Plinii paneg. n.* 8. *not.* 5. & *pan.* 5. *n.* 10. *not.* 8.

5. *Gotthus ille.*] De Gotthis ſupra *pan.* 3. *n.* 17. *not.* 2.

6. *Accipiebas beneficium.*] Ita conferébant in te beneficium, ut te magnam a ſe gratiam inire putarent.

1. *Actiaco bello.*] Virg. Æneid. l. 8. 685.
Hinc ope barbarica variiſque Antonius armis
Victor ab Auroræ populis, & litore rubro

tantumque res credita est habere novitatis, [a] ut nisi frequenter isset in literas, apud posteros videretur facti fides laboratura. Nam quis annalium scriptor, aut carminum tuas illas, [1] Cleopatra, classes, & [b] eborata navigia, & purpurea cum auratis funibus vela tacuit? Quin ita crebro histo-
5 ria recantata est, [c] magis ut ab eisdem sæpedicta, quam ut ab aliquo intermissa videatur. Non contendam duces. Nec enim principem nostrum non dicam victus Antonius, sed victor Augustus æquaverit. Quid in ceteris saltem simile deprehendimus? maxime [d] si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus, & [3] hos illosque populos animorum subjicia-
10 mus oculis. Illos vela facientes [e] data ventis classis attulerat, hi longum iter [4] sub armorum [f] fasce carpebant. Illos [5] peregrino igne suspirans regina pellexerat; hos amor laudis, & participandæ gloriæ cura rapiebat. Illos tepens [6] Pharus, & [7] mollis Canopus, læviumque populorum [8] altor Nilus emiserat; hos [9] minax Caucasus, & [10] rigens Taurus, & ingentium cor-
15 porum [11] durator Ister effuderat. Illos tenero perlucentes amictu, & vix leve carbasum [g] vitando sole tolerantes alterno concussa tinnitu [12] sistra ducebant; hos [h] loricis onustos, inclusosque ferro [13] fractæ voces tubarum, ingentiumque lituorum clangor acuebat. Quæ tandem, ut collatio posset es-

INTERPRETATIO.

a *Ut nisi sæpe traditum fuisset literis factum istud, vix apud posteros inventurum esset fidem.*
b *Ebore ornata.*
c *Potius.*
d *Si conditionem rerum & temporum utraque ex parte conferamus.*
e *Ventis permissa.*
f *Onere.*
g *Ad arcendum solem.*
h *Cataphractis.*

NOTÆ.

Ægyptum viresque Orientis & ultima secum Bactra vehit.

1. *Cleopatra.*] De Ægypti Regina Cleopatra ejusque classe magnifica passim extat apud historiæ Romanæ scriptores.

3. *Hos illosque populos.*] Elegans Antonii & Theodosii oppositio.

4. *Sub armorum fasce.*] Tale illud Virg. Georg. 3. 346. *Non secus ac patriis acer Romanus in armis injusto sub fasce viam cum carpit &c.*

5. *Peregrino igne.*] Antonii amore incensa.

6. *Pharus.*] Olim insula fuit Nili ostio objecta, dicique unius navigatione a continente dissita, hodie vero Alexandriæ ponte conjuncta. Hic ingens turris fuit, in qua noctu accensæ faces navigantium cursum regebant, unde speculæ similem in usum constructæ *Phari* appellatæ sunt.

7. *Mollis Canopus.*] Urbs Ægypti ad ostium Nili, dictum ex ea Canopicum. *Mollis dicitur*, quia molles Ægyptii.

8. *Altor Nilus*] De Nilo propter Ægyptum, quam suis eluvionibus fœcundat ejus regionis altore supra in Plinii paneg. n. 30.

9. *Minax Caucasus.*] Pars Tauri montis, inter Pontum Euxinum & mare Caspium. *Minax* dicitur quia altus ac præceps ac ruenti similis.

10. *Rigens Taurus.*] Propter nives, quibus ut plurimum mons iste opertus est.

11. *Durator Ister.*] *Indurator*, Germani procero corpore.

12. *Sistra ducebant.*] Virg Æneid 8. 696. de Cleopatra Regina *in mediis patrio vocat agmina sistro.* De forma & figura sistri vide Ruæum nostrum in hunc Virgilii locum.

13. *Fractæ voces tubarum.*] Inconditæ. Virgil. Georg. 4. 72. *Et vox auditur fractos sonitus imitata tubarum.*

ſe populorum,[1] etiamſi tanta non eſſet diſſimilitudo cauſarum, ut ab illis fuerit Romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas. Quo tibi, Imperator, indignius videbatur [l] ejus piaculi quemquam inveniri potuiſſe conſortem, cujus ſe barbarus agebat ultorem.

XXXIV. Sed illi quidem nefario ſanguine belli primitias imbuentes, par pœnæ culpæque documentum fuerunt. Teſtis eſt[1] Siſcia, teſtis[2] pulcherrimi Savæ conflictus, ſi conflictus ille dicendus eſt, quo ita in publicos proditores animi plenus miles[a] invaſit, ut eum nec numerus reſiſtentium, nec maximi fluminis altitudo remorata ſit, quin, ut erat ex longiſſimo itinere anhelus atque pulvereus, equos calcaribus incitaret, amnem nando conjungeret, ripam inſiliret, paratos denique expectanteſque deprehenderet. Sermo iſte prolixior eſt, quam illa res fuerit. Vix fluvium manus invicta tranſierat; jam locum belli tenebat. Vix hoſtem invenerat; jam urgebat. Vix pectora viderat; jam terga cædebat. Datur debito rebelle agmen exitio; volvuntur impiæ in ſanguine ſuo turbæ; tegit totos ſtrages una campos, continuiſque funeribus cuncta late operiuntur. Jam qui ad muros[b] differenda morte properaverant, aut foſſas cadaveribus æquabant, aut[c] obviis ſudibus induebantur, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte claudebant. At quorum ſe fugæ impervius ripis amnis objecit, trepidando collecti, & alterum quiſque complexi, per abrupta glomerantur. Spumat decolor cruore fluvius,[d] & cunctantes meatus vix eluctatis cadaveribus evolvit,[e] utque ſe tibi poſſet ſpeciali imputare militia, ipſum illum[3] vexillarium ſacrilegæ factionis avidis gurgitibus abſorbuit; &, ne morti ſepultura contingeret, cadaver abſcondit. Nonne[f] utroque credendus tuæ ſtuduiſſe vindictæ, & adjuvando victoriam, &[4] occupando clementiam?

XXXV. En tibi alteram pugnam, alteramque victoriam. Dilectas in prælium Marcellinus cohortes, & ipſum factionis nefariæ robur illa

INTERPRETATIO.

i *Vel ſi cauſæ non adeo diverſæ eos ad* bellum impuliſſent, *ut illi Romani imperii libertatem impeterent, ſi iſti ſuam tuerentur.*

l *Ullum ejus ſceleris reperiri potuiſſe conſcium cujus* vel ipſi *barbari ultores eſſe non recuſabant.*

a *Irruit.*

b *Ad differendam necem.*

c *Impingebant in adverſos ſudium* mucrones.

d *Et fluctum ægre agit.*

e *Ut ſuo modo tibi militare poſſet ac favere.*

f *Utraque re.*

NOTÆ.

1. *Siſcia.*] Seu *Syſcia* nobilis urbs Pannoniæ ad Savum ſeu ſævam fluvium, & Segeſticam ejus inſulam, qua ex Pannonia itur in Italiam. De qua *Strabo l. 5. & Plinius l. 3. c. 25.* Hic primum victus eſt Maximus.

2. *Pulcherrimi Savæ.*] A Puteano diſcedo in quo eſt *pulcherrimus amne conflictus,* ut Cuſpiniani codicem ſequar. *Savus* enim ſeu *Savus* Siſciæ fluvius, eſt ad quem pugna commiſſa eſt, victuſque a Theodoſio Maximus.

3. *Vexillarium ſacrilegæ factionis.*] Andragathium intelligit.

4. *Occupando clementiam.*] Clementiæ

[1] belli ciuilis Megæra rapiebat, tanto ceteris satellitibus audentior, quanto [2] exertiorem operam navabat tyranno frater tyranni. Quo quidem maxime, tuus gaudebat exercitus, cum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat [3] quam timeri; adeo quidem, ut castris ad castra collatis,
5 quod [a] præcipiti die manum conserere non poterat, spe victoriæ cum luce venturæ [b] pervigil ageret, tardum solem, desertorem diem, [c] annuum noctis æstivæ tempus criminaretur. Ecce lux tandem, & jam omnis campus horrebat exercitu: [4] divisi in cornua equites, leves ante signa [5] velites, dispositæ [6] manipulatim cohortes, [d] & gradu pleno ferentes agmina
10 [7] quadratæ legiones universa late, qua visus agi poterat, occuparant. Nondum se virtus [e] experiebatur; jam disciplina vincebat. At postquam intra conjectum teli acies utraque promovit, & effusis hinc inde jaculorum sagittarumque nimbis [8] res venit [f] ad capulos, milites pristinæ virtutis, Romani nominis, imperatorum denique memores, causam publicam manu
15 agere. Hostes venditam operam, laceratam Italiam, spem in ferro reliquam cogitantes, [10] gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed in vestigio stare, vel cadere.

XXXVI. At ubi impulsa acies, fronsque laxata, & [1] fiducia in pedes

INTERPRETATIO.

a *Inclinante.*
b *Noctem ageret.*
c *Æstivam noctem accusaret*, quasi *anno longiorem.*
d *Et confertis ordinibus agentes agmina, procul loca, quæ oculi pertingere poterant, repleverant.*
e *Expromebat.*
f *Ad gladios.*

NOTÆ.

locum non relinquendo.

1. *Belli civilis Megæra.*] Marcellinus tyranni Maximi frater. Altera autem Maximi clades ad Petavionem contigit, cum cæsus est Marcellinus, ut innuere videtur Ambrosius ep. 29.

2. *Exertiorem.*] Statius *exertum bellum* dicit pro *aperto.* Hic sumitur pro *acriore*, vehementiore. Exerit enim se, qui omnes exercet nervos, qui nihil relinquit inexpertum.

3. *Quam timeri.*] Similis locus apud Claud. versu 235. & 240. *Res mira relatu, ne timeare times.*

4. *Divisi in cornua.*] In exercitu cornua dicuntur partes aciei ab utroque latere prominentes. Alterum dextrum est, alterum sinistrum; quod inter utrumque interjectum est, media acies dicitur.

5. *Velites.*] Milites levis armaturæ, & expeditiores ad cursum propterea quod gravioribus armis non uterentur: Alii velites dictos putant quasi velatos, quod vestiti essent potius quam armati: Alii velites a celeritate dictos putant, quasi volites o in e mutato. Alii rursus ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est, a jaculando, quod jaculis potissimum & fundis pugnarent *Livius 6. belli Punici.*

6. *Manipulatim.*] Id est, per manipulos. *Manipulus* autem, auctore Livio, leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Vegetius vero *l. 2. de re militari* scribit manipulum vocari contubernium decem tantum militum sub uno eodemque tecto degentium. Vide *Lipsium de milit. Rom. l. 2.*

7. *Quadratæ legiones.*] Legio quadrata dicebatur a forma, & ordine quem in acie teneret, non quod ex quatuor militum millibus constaret, ut male putant nonnulli. Sed de his supra.

8. *Res venit ad capulos.*] Id est, cum cominus agi cœptum est educto ense.

1. *Fiducia in pedes versa est.*] Ac spes in

versa

versa est, ire præcipites, aut [a] globo fugere, & se invicem festinando tardare. Armati, inermes, integri, saucii, primi, postremique misceri. Miles urgere eminus, cominus, gladiis, hastis, [2] punctim, cæsim ferire. Alii [3] poplitibus imminere, alii terga configere, aut quos cursu non poterant [4] contingere, jaculis [b] occupare. Arma, tela, equi, homines, 5 viva, perempta, prona, supinaque corpora passim, vel in acervo jacere. Illi mutilis excisisque membris, reliqua sui parte fugiebant; hi dolorem vulnerum sequebantur; isti [c] mortes receptas in silvas, & flumina deferebant. Illic postremum spiritum in admiratione nominis tui, & sui ducis detestatione fundebant. Nullus finis cædendi, insequendique, nisi 10 subtraxisset aliquando victoribus mors hostem, & nox diem. At quanto melius [d] manus illa consuluit, quæ submissis precabunda vexillis petiit [5] veniam necessitatis, & terram in osculis premens calcanda [e] vestigiis tuis corpora & arma projecit? Quam tu non superbe, ut victam, non irate, ut ream, non negligenter, ut parum necessariam, præteristi, sed blande 15 liberaliterque tractatam jussisti esse Romanam. Junguntur socia agmina, & sub uno capite diversa reipublicæ membra coalescunt. Ambo pari gaudio feruntur exercitus. Hic opera sua gaudet, hic venia, uterque victoria.

XXXVII. Nec pia [1] Hæmona cunctantius, ubi te affore nunciatum, impulsis effusa portis obviam provolavit, &, ut est omne desiderium post spem impatientius, parum credens patere venienti, festinavit occursare venturo. [a] Fingit quidem, ut scimus, timor gaudium, sed ita intimos mentis affectus proditor vultus [b] enunciat, ut in speculo frontium imago extat animorum. Velut illa civitas a longa obsi- 25

INTERPRETATIO.

a *Turmatim.*
b *Assequi.*
c *Acceptas lethales plagas.*
d *Turba illa.*
e *Gressibus tuis.*
a *Lætitiam simulare* potest.
b *Indicat.*

NOTÆ.

fuga poni cæpta est. Sumptum illud ex pan. 10. n. 28. *ubi relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum in pedes versa est.*

2. *Punctim, cæsim ferire.*] Modo cuspidem intentantes, modo totam gladii molem vibrantes: qua loquendi formula utuntur Livius & Vegetius. Ipsaque cessit in proverbium, pro eo quod est *totis viribus, omnique conatu rem agere.*

3. *Poplitibus imminere.*] Tale illud Horatii l. 3. od. 2. *Mors & fugacem persequitur virum, nec parcit imbellis juventæ poplitibus, timidove tergo.*

4. *Contingere.* [Ita restituo cum Grutero, pro *continere.*

5. *Veniam necessitatis.*] Postulavit ignosci sibi, quod necessitate impulsa contra te pugnasset.

1 *Hæmona.*] Urbs Aquileiam ex urbe Siscia tendenti in itinere hodie *Lanbach.* Rhenanus vero errat ut Livineius recte advertit, cum pro *Hæmona* reponit *Narona.* Nam quomodo Theodosius exercitum properantem, *ut spatio lucis unius Illyrico continuaret Aquileiam* (sic loquitur Pacatus) longissimo tractu retro agat in imum pene Illyricum, ubi est Narona? Balduino videtur id de Aquileia ipsa intelligendum, ubi postremum victus est Maximus. Sed

dione respirans, quod eam tyrannus Alpibus objacentem tanquam bel limen attriverat, tanta se & [c] tam simplici exultatione jactabat, ut ni esset vera lætitia, nimia videretur. Ferebant se obviæ tripudiantium catervæ. Cuncta cantu, & [2] crotalis personabant. Hic tibi triumphum chorus; ille
5 contra tyranno funebres [3] nænias & carmen exequiale dicebat. Hic perpetuum victis abitum; ille victoribus crebrum optabat adventum. Jam quocunque tulisses gradum sequi, circumcursare, præcedere; vias denique, quibus ferebaris, obstruere. Nullus cuiquam sui tuive respectus blandam tibi faciebat injuriam [d] contumacia gaudiorum Quid ego referam [e] pro
10 mœnibus suis festum liberæ nobilitatis occursum, conspicuos veste nivea senatores, reverendos [4] municipali purpura flamines, [5] insignes apicibus sacerdotes? Quid portas virentibus sertis coronatas? Quid [f] aulæis undantes plateas, accensisque funalibus auctum diem? Quid effusam in publicum turbam [6] domorum, [7] gratulantes annis senes, pueros tibi longam
15 servitutem voventes, matres lætas, virginesque securas? Nondum omne confeceras bellum, jam agebas triumphum.

XXXVIII. Ibat interim Maximus, ac te post terga respectans in modum amentis attonitus avolabat. Nec ullum ille consilium, ullamve rationem, aut denique spem, quæ [1] postrema homines deserit,
20 [a] sequebatur; quin ipsos viæ implicabat errores, & [b] nunc dexter, aut lævus, nunc vestigiis suis obvius incertum iter ancipiti ambage texebat. Quoties sibi ipsum putamus dixisse, [2] quo fugio? Bellumne

INTERPRETATIO.

c *Tam non fucata.*
d *Significatio lætitiæ* nimis *obstinata.*
e *Ad mœnia.*
f Ornatas *undantibus tapetis.*

a *Reliquum habebat.*
b *Modo in hanc, modo in illam partem ferebatur: modo vestigia sua relegebat.*

NOTÆ.

male mea quidem sententia.

2. *Crotalis.*] Crotalum erat crepitaculum ex ligno, ære, aliave materia ita concinnatum, ut efficere sonum posset manu pulsum. Crotala dicta sunt ἀπὸ τοῦ κρούειν a percutiendo.

3. *Nænias.*] Quintilianus l. 8. c. 2 *Carmen funebre, propriæ nænia dicitur*, a νεάτῳ ultimum. Erat enim ultimum quod defunctis caneretur, ad tibiam ante cadaver sepultum. Horat. l. 2. od. 20. *Absint inani funere næniæ, luctusque turpes & querimoniæ &c.*

4. *Municipali purpura flamines.*] Videtur ex hoc loco nonnullarum civitatum flamines habuisse jus purpuræ.

5. *Insignes apicibus.*] Id est, insigniti pileis in acumen desinentibus, quos quia æstivo tempore citra molestiam ferre non poterant, & nudis penitus capitibus incedere nefas erat, filo religarunt: unde flamines dicti sunt, quasi filamines.

6. *Domorum.*] Id est, effusam e domibus multitudinem. Aliqui legunt *honorum.* In aliis editionibus vox illa plane expungitur.

7. *Gratulantes annis senes.*] Simile quiddam est in Plinii paneg. n. 22. *Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, &c.*

1. *Postrema homines deserit.*] Notus ille Tibulli versiculus l. 2. eleg. 6. *Spes fovet, & melius cras fore semper ait.* Plura ex selectissimis auctoribus in unum collegit Aldus Manutius in suis ad Catilinam notis.

2. *Quo fugio.*] Pro *quo fugiam*? Ut passim apud Tullium, quid ago pro *quid agam*?

tentabo? [d] Ut quem viribus totis ferre non potui parte sustineam! Alpes Cottias [e] obserabo? [3] Quia Juliæ profuerunt! Peto Africam? quam exhausi. Repeto Britanniam? quam reliqui. Credo me Galliæ? sed [4] invisus sum. Hispaniæ committo? sed notus sum. Quid ergo faciam, inter arma & odia medius? A tergo premor hostibus, a fronte criminibus. Si morerer [5] evaseram? Sed ecce [f] nec animum sequitur manus, nec manum gladius; labitur ferrum, tremit dextera, [g] mens fatiscit. O quam difficile est miseris etiam perire! Ergo ut clausæ cassibus feræ quæsito diu exitu, desperatoque, consistunt, & præ timore non fugiunt, ita ille, ipso quo agitabatur metu, alligatus in oppidum semet Aquileiense præcipitat; non ut vitam defenderet resistendo, sed ne pœnam frustrando differret. Quamquam quæ poterat ulterior esse dilatio? cum ita vestigiis ejus ac tergo ardens miles insisteret, ut pene omnem, quæ est secuta pompam ultio festinata [6] percepit.

XXXIX. Recte profecto [a] germana illa [1] pictorum, poetarumque commenta, victoriam finxere pennatam, [b] quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed volatus. Ille ab ultimo orientis sinu festinatis itineribus raptus exercitus, [c] tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus, in alio orbe, & sub alio, pene dixerim, sole positus, spatio lucis unius [d] Illyrico continuavit Aquileiam. Nihil tamen sibimet hoc nomine [2] vindicant, & siquando [3] mirantium circulos contrahunt, aut convivia nostra sermone producunt, [e] operam omnem suam sine Alpium terminantes, deberi sibi abnuunt illam celeritatem, quod expertes laborum pervenisse se viderint, quo ire non senserant. Negant imo se suis vectos esse corporibus, sed tanquam per ali-

INTERPRETATIO.

d *Ut cui resistere cum integro exercitu non potui.*

e *Præcludam.*

f *Nec voluntati manus paret.*

g *Animus deficit.*

a *Pictoribus & poetis communia figmenta.*

b *Quod quibus favet fortuna non tam eunt, quam volant.*

c *Tot regionibus peragrandis.*

d *Ex Illyrico venit Aquileiam.*

e *Susceptos a se labores.*

NOTÆ.

Nota autem elegantem & factum ex presse Maximi dialogismum.

3. *Quia Juliæ profuerunt.*] Εἰρωνικῶς: Juliæ enim nihil profuerant, easque perruperat Theodosius.

4. *Invisus sum.*] Propter Gratianum interfectum.

5. *Evaseram.*] Hæc mala effugeram.

6. *Percepit.*] Lege cum Acidalio & Livineio *præceperit.*

1. *Pictorum, poetarumque.*] Magna pictores inter & poetas affinitas. Horat. de arte poet. 361. *ut pictura, poesis erit &c.*

2. *Vindicant.*] Nullam sibi laudem ob id tribui volunt milites tui.

3. *Mirantium circulos contrahunt.*] Et si quando res gestas narrant in circulis, ac cœtibus hominum ad eos se audiendi causa confestim certatimque applicantium: quomodo apud Horatium canente Alcæo l. 2. od. 13. *pugnas & exactos tyrannos densum humeris bibit aure vulgus.*

quas imagines somniorum ferrentur[4] absentes, præbuisse gestantibus ventis otiosorum ministeria membrorum.[1] Nec fides anceps. Nam si olim severi credidere majores[5] Castoras geminos, albentibus equis, & stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tyberis
5 abluentes, & nunciasse victoriam,&[g] imputasse militiam, cur non[h] tuæ publicæque vindictæ confessam aliquam immortalis dei curam putemus annixam? Nisi forte majorem divini favoris operam res Romana poscebat Macedonico augenda regno, quam tyrannico eximenda servitio. Ego vero, si[i] cœleste studium pro dignitate causarum æstimandum sit, jure contenderim
10 equites tuos[6] Pegasis,[7] talaribus pedites vectos ac suspensos fuisse.[8] Neque enim quia se divina mortalibus dedignantur fateri, idcirco quæ visa non fuerint dubitavimus facta, cum facta videamus, quæ dubitaverimus esse facienda.

XL. [a] Anguste fortunam tuam, Imperator, expendit quisquis id
15 de te tantum, quod fieri potest, credit. An ego, cum ab Alpibus Juliis otioso[b] feriatoque ferro non prælium fuisse videam, sed triumphum, dubitaverim illam specialem quandam[c] felicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidem, Imperator, ita te cuncta administrasse,[d] ut non possint se tibi [e]imputare successus, sed fatearis necesse est quantum te in bello, tantum for-
20 tunam tuam egisse post bellum.[e] Cui si vocem demus, & judicem, nonne prolixe suam enumerabit operam, & ut virtutibus tuis multa concedat, [1] sibi aliquam vindicabit? Et cur, quæso, non demus, ut accipiamus[2] utriusque partis afferta, cum sit quæ viceris tua?[3] Audio constantiam dicere, bellum atrox periculosumque suscepi; memorare patientiam, im-
25 mensum iter, tempus anni grave semper armata, sæpe jejuna toleravi; te-

INTERPRETATIO.

f *Nec fides incerta.*
g *Operam dedisse* Romanis in eo prælio.
h *Manifestam tuæ publicæque vindictæ adlaborasse*
i *Deorum favor.*

a *Nimis parce de tua felicitate sentit.*
b *Cessante.*
c *Fortunæ* quasi *tibi militantis obsequium.*
d *Ut casibus nihil debeat.*
e *Et si pro se coram judice* diceret.

NOTÆ.

4. *Absentes.*] Forte *obsequentes* ut suspicantur Livineius & Acidalius.

5. *Castoras geminos.*] Id est, Castorem & Pollucem fratres gemellos ex Leda & Jove: de his supra *paneg.* 10. *n.* 15. *not* 2.

6. *Pegasis.*] De Pegaso poetarum fabulis notissimo supervacaneum est dicere.

7. *Talaribus.*] Per talaria intelligit alas, quas in pedibus Pegasus habuisse dicitur.

8. *Neque enim.*] Etenim cum divina mortalibus oculis se subducant, dubitare non debemus illud contigisse, quod visum non fuerit, cum factum videamus, id est, victum Maximum, quæ vix fieri posse putabamus.

1. *Sibi aliquam vindicabit.*] Respicit ad locum Tullii pro Marcello, *n.* 6.

2. *Utriusque partis afferta.*] Quæ sibi unaquæque pars vindicaverit: sive enim quæ fortunæ, sive quæ virtuti tribuetur, tua est.

3. *Audio constantiam.*] Plena artis Prosopopœia, ad Theodosii virtutes percur-

nere prudentiam, [4] partita sum militem, & multiplicavi arte terrorem; asserere fortitudinem, [5] bis conflixi cum hoste, bis vici; omnes postremo clamare; quid tibi debemus fortuna, [6] quam fecimus? Sed si illa dicat, properationem militum ego juvi, ego fugam hostium præpedivi, ego Maximum in muros coegi, & quem vos cogebatis mori, vivum domino reservavi, non 5 video, [f] quod possit esse judicium, quin cum ista pars imputet tyranni fugam, illa custodiam; respublica quæ utrique pariter obnoxia est, ita utramque conjungat, ut fateatur uni semet victoriam, alteri debere vindictam.

XLI. Sed nec tu debitam gratiam beneficii inficiator abjuras. Nam 10 etsi per te confeceris quæ volebas, per fortunam tamen plus adeptus es quam volebas. Agedum, si videtur, præteritas cogitationes tuas consule, [a] & vota conveni. Num amplius speravisti, quam ut Maximus tibi nunciaretur occisus, quam ut semivivum ejus caput, nondum clausis tota morte oculis, ex acie referretur, quam ad summum ut fugiens, resistensve 15 caperetur? Ceterum quando quod factum est vel optasti, ut se tibi ipse servaret, ut consciscere sibimet interitum nollet, & posset? Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeo maximo [b] lux amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari. At si ultima supra caput steterit hora, & venerit dies nunquam reversurus, 20 [c] ac se confessa mors fuerit, non timentur extrema, cum certa sunt. Hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor, & ex desperatione securitas, & ad locum supplicii voluntaria, carnifice non trahente, properatio. Ut de his taceam qui, cum fatis [1] fortius paciscentes, incertum exitum certo [d] occupaverunt; ut nihil de servis loquar, qui verbe- 25 ra vitavere suspendio, [e] & motus heriles usque ad præcipitia fugerunt; quis unquam [f2] ultra spem timuit? quis idcirco semet occidere noluit, ut occideretur? Nisi vero vel [g] levior manus aliena quam propria, vel fœdior

INTERPRETATIO.

f *Quæ super* ea contentione *sententia ferri possit: nisi cum altera pars* sibi *asscribat fugatum tyrannum, altera vivum reservatum; respublica quæ utrique multum debet, ita conciliet utramque ut fateatur &c.*

a *Ac vide quid optaveris maxime.*

b *Vita.*

c *Ac mortis manifestum fuerit periculum.*

d *Prævenerunt.*

e *Et ut herorum manus fugerent, ruerunt in præcipitia.*

f *Amissa spe.*

g *Minus timenda.*

NOTÆ.

rendas aptissima.

4. *Partita sum militem.*] *Trifariam* ut supra dixit, *n. 32. Ut & hostis audaciam multiplicato terrore percelleret, & fugam circumfusus ambiret.*

5. *Bis conflixi cum hoste.*] Ad Sisciam & Aquileiam.

6. *Quam fecimus.*] Quæ nobis debes quodcumque es, sive quod.

1. *Fortius paciscentes.*] Fortiore animo pactionem cum morte facientes, hoc est eam minus refugientes.

2. *Ultra spem timuit.*] Cum spei nihil æque adversetur ac timor: notatum tamen

mors privata quam publica, vel longior pœna ferro incumbere, & corpore vulnus onerare, & recipere interitum statim totum, [h] quam supplicium dividere, poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam, fortasse non unam.

5 XLII. [a] Et tamen quando secum ille ferro transigendum putabat, non potius ignem, laminas, crucem, [1] culeum, & quidquid merebatur, timebat? [b] Nunquam profecto tam bene de sceleribus suis sensit, ut mortem potuerit sperare, qua periit. Si igitur nec præsumere veniam reus, nec sperare fugam clausus, nec mortem potuit timere moriturus, [c] & certo 10 extremorum levior videri debuit voluntarius quam coactus, honestior privatus quam publicus, postremo brevior occupatus quam expectatus interitus, [2] num, cui dubium est in eo, quod non habuit rationem, fuisse fortunam? Illa, illa tyranni consilia cæcavit, illa & animum ejus obtudit & gladium, illa expeditam in vulnus manum [3] percussit & tenuit. Nisi vero tu 15 tuum, venerabilis Gratiane, carnificem [d] Diris comitatus ultricibus obsidebas, & irata [4] minax umbra ob os ejus oculosque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angue flagra quatiebas, [e] ne morti honestæ vacaret, ne regalem illum sacrosanctumque vestitum impio cruore pollueret, ne [f] cultus olim tuus, [5] ac deinceps fratrum futurus, funestum 20 [g] sanguinem, vel dum vindicatur, acciperet, ne postremo te manus ulcisceretur tyranni, & deberes Maximo vel [6] suam mortem.

INTERPRETATIO.

h *Quam mortem per partes ferre.*

a *Quæ cum ita sint, an Maximus quando sibi ipse manus afferre decernebat, non minus hoc mortis genus reformidasse censendus est, quam &c.*

b *Notiora ei semper sua scelera fuerunt &c.*

c *Et qui extrema vitare non potest.*

d *Furiis.*

e *Ne honestam mortem cogitaret.*

f *Insignia regia.*

g *Cruore macularetur.*

NOTÆ.

est a sapientissimis viris, ubi omnis omnino sublata spes est, ne timorem quidem posse subsistere. Pendeat enim oportet metuentis animus; qui si spei, quo sustentetur, nihil prorsus reliquum sit, plane jacet. Atque hoc eleganter admodum expressisse videtur adolescens Terentianus. Andria act. 2. sc. 1. *Ut misero mihi! ut animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit, ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.* Muretus Var. lection. l. 12. c. 8.

1. *Culeum.*] Culeus uter fuit, seu saccus ex lino, vel cannabe, vel corio factus, ab occulendo, sive claudendo; quod nocentes eo inclusi in profluentem mitterentur: quod parricidæ supplicium fuit,

2. *Num, cui dubium est.*] Quis dubitare potest, id ubi rationi locus non fuit, totum fortunæ fuisse tribuendum?

3. *Percussit.*] Utrum *perculsit* ut volunt aliqui an *repressit*?

4. *Minax umbra.*] Nota veterum opinionem, interfectorum manes iis, a quibus interfecti sunt, infensos esse. Quod & a Platone traditur *l. 9. de legib.* sic Oresten in tragœdiis persequitur mater: sic Virgiliana Dido l. 4. 386. Æneæ minatur, *omnibus umbra locis adero: dabis improbe pœnas.*

5. *Ac deinceps fratrum.*] Valentiniani, qui Gratiani frater.

6. *Suam mortem.*] Non erat majestati tuæ conveniens, ut Maximo deberes vel suam mortem.

XLIII. Et plane ita cuncta ceciderunt, ut [a] non servata modo ultio, sed ordinata videatur. Nam unde, quæso, tam repentina conversio, ut qui oppetere timuerat interitum, [b] non timeret expetere, & quem incluserat metus, proferret audacia? Hic nulla jam reliqua festinandis rebus mora. Actutum fortissimi duces instruendo accinguntur triumpho, capiti diadema [c] decutitur, humeris vestis aufertur, pedibus ornatus evellitur, totus denique homo aptatur [d] ad interitum. Publice publicus spoliator exuitur, nectuntur manus rapaces, nudantur crura fugitivo, talis denique tuis offertur oculis qualem offerri decebat victori captum, domino servum, imperatori tyrannum. Nec tu illum, qua es clementia, in conspectum tuum venire voluisses, ne oculos istos omnibus salutares [e] homo funebris impiaret, nisi famam confutare mendacii, teque purgare eodem teste, [f] quo insimulatore voluisses. Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, aut ipsa sibi carnifex conscientia est; aut, quod magis credo, [g] omni sævius quæstione est a te interrogari. Ad primam tuam vocem nefario pectori excussa confessio est, nec cunctari saltem, aut mussitare potuit, quin consilium omne [h] nudaret, se videlicet favoris tui obtendisse prætextum, quod aliter non potuisset allicere militum societatem, [i] nisi [1] auctoramenti sui te finxisset auctorem.

XLIV. Et post hanc tu vocem non illum in crucem tolli, non culeo insui, non discerpi in frusta jussisti, non postremo illam tanti ream mendacii linguam radicitus erui præcepisti, cum eorum parte [a] vitalium, quorum fuerat locuta commentum? Quin jam cœperas de ejus morte dubitare, & dejeceras oculos, & vultum rubore suffuderas, & cum misericordia loquebaris. Sed bene est, quod non omnia potes. [1] Tui te vindicant & invitum. [2] Rapitur ergo ex oculis, & ne quid licere posset clementiæ, inter innumeras manus fertur ad mortem. Ecce iterum, Imperator, averteris, [b] & illam tyrannici exitus relationem gravaris. Jam jam esto securus, geram clementiæ tuæ morem; quod noluisti videre non audies. Huc huc to-

INTERPRETATIO.

a *Non modo sumpta vindicta, sed etiam cum ordine* sumpta *videatur*.
b *Non dubitaret.*
c *Dejicitur.*
d *Ad mortis supplicium.*
e *Morti destinatus pollueret.*
f *Qui accusator tuus fuerat.*
g *Dirius omni tormento.*
h *Palam faceret.*
i *Nisi se auctoritatem abs te accepisse simulasset.*
a *Præcordiorum, quorum mendacium protulerat.*
b *Et illum de exitu Tyranni narrationem refugis.*

NOTÆ.

1. *Auctoramenti sui.*] Hunc locum restitui ex Viennensi editione omniumque interpretum emendatione. In aliis est, *nisi se auctoramenti tui finxisset auctorem.* De hac voce supra in *paneg. 5. n. 12. not. 5.*

1. *Tui te vindicant.*] Sumptum illud ex *pan. 7. n. 20.* ubi Eumenius ad Constantinum de Maximiano simili plane ratione a militibus occiso. *Dii te vindicant*, inquit, *vel invitum.*

2. *Rapitur ergo ex oculis.*] Ita refert Socrates.

tas pii vates doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus linguis literisque celebrate. Nec sitis de operum vestrorum perennitate solliciti. Illa quam præstare historiis solebatis[1] ab historia veniet æternitas. Vos quoque, quibus[4] secunda sors cessit dare famam rebus, artifices, vulgata illa
5 veterum fabularum argumenta despicite,[5] Herculeos labores, & Indicos Liberi triumphos, & anguipedum bella monstrorum. Hæc potius, hæc gesta solertes manus[c] ducant; his fora, his templa decorentur; hæc ebore [d]reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in æra moveantur, hæc[6] gemmis augeant pretium.

10 XLV. Pertinet ad securitatem omnium seculorum, [a] quod est factum videri, ut si quis unquam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum temporum [b] recensitis per oculos [c] hauriat innocentiam. Quisquis purpura quandoque regali vestire humeros cogitabit; Maximus ei exutus occurrat. Quisquis aurum gemmasque privatis pedibus optabit; Maximus
15 ei plantis nudus appareat. Quisquis imponere capiti diadema meditabitur; avulsum humeris Maximi caput, &[1] sine nomine corpus aspiciat. Scimus quidem[d] nihil unquam novandum, cum Romanum semper imperium aut tuum futurum sit, aut tuorum; pertinet tamen ad geminam reipublicæ securitatem, quod fieri non potest etiam non timeri. Sed utcunque virtutis
20 tuæ opera curiosæ posteritatis oculis artificum manus reddet, cum te vel Alpium dorsa superantem, vel flumina objecta tranantem, vel agmen hostile triumphalibus vestigiis atterentem pictorum atque fictorum assequetur imitatio, clementia, Imperator, tua quo cœlo, quo [e] pigmento, quo ære, aurove ducetur, qua tu ipsius[2] victoriæ victor ita omnem cum
25 armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum, certe nemo post Maximum? Paucis Maurorum hostium, quos secum velut agmen Infernum moriturus[3] incluserat, & duobus, aut tribus furiosi gladiatoris[4] lanistis [f] in belli piaculum cæsis, reliquos omnes, venia complexa, velut

INTERPRETATIO.

c *Exprimant.*
d *Exhibeantur.*
a *Quod gestum est, conspici* a posteris.
b *Perlectis.*
c *Discat.*
d *Neminem unquam res novas molliturum.*
e *Colore.*
f *Ad expianda belli scelera.*

NOTÆ.

3. *Ab historia.*] Ab historiæ ipsius dignitate.

4. *Secunda sors.*] Vos quoque artifices in quibus altera post vates ac scriptores immortalis gloriæ spes posita est.

5. *Herculeos labores.*] De Herculis laboribus plus satis diximus in *pan.* 2. *n.* 4. *not.* 3.

6. *Gemmis augeant pretium.*] Majus enim gemmæ pretium, quæ arte laborata nobile aliquod facinus, aut principis alicujus vultum repræsentat.

1. *Sine nomine corpus.*] Tale illud Virgilii Æneid. 2. 557. *Jacet ingens litore truncus, avulsumque humeris caput & sine nomine truncus.*

2. *Victoriæ victor.*] Sumptum illud ex Tullio pro Marcello n. 12. *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti &c.*

3. *Incluserat.*] In urbe Aquileiensi, ubi obsessus a Theodosio captusque est.

4. *Lanistis.*] Lanistæ dicebantur præfe-

quodam

quodam materno sinu clausit. Nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius præterita dignitas imminuta. Nemo affectus [g] nota, nemo convicio, aut denique castigatione perstrictus, culpam capitis [5] aurium saltem molestia luit. Cuncti domibus suis, cuncti conjugibus ac liberis, cuncti denique, quod est dulcius, [h] innocentiæ restituti sunt. Vide, 5 Imperator, quid hac clementia consecutus sis. Fecisti, ut nemo sibi victus te victore videatur. Spectabas hæc a tuis collibus, Roma, & [6] septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris.

XLVI. Tu, quæ experta [1] Cinnanos furores, & Marium post exilia crudelem, & Sullam tua clade felicem, & Cæsarem in mortuos misericordem, ad omne civilis motus classicum tremiscebas; quæ præter stragem militum utraque tibi parte pereuntium extincta domi senatus tui lumina, suffixa pilo consulum capita, [2] Catones in mortem coactos, [3] truncosque Cicerones, & [4] Pompeios fleveras insepultos; cui damna graviora scissus in partes civium furor quam [5] portis imminens Pœnus, [6] aut receptus muris Gallus intulerat; cui [7] Alliensi die [8] Æmathia funestior, [9] Cannis [10] Collina feralior, tam altas olim reliquerunt cicatrices, ut, gravius semper tuam quam alienam experta virtutem, nihil tibi magis quam te timeres; vidisti civile bellum hostium cæde, militum pace, Italiæ recu-

10

15

INTERPRETATIO.

g *Probro.* h *Innocentiæ famam ac decus recuperaverunt.*

NOTÆ.

cti ludis gladiatoriis magistri, qui gladiatores instituerent, exercerentque ad mutuam lanienam.

5. *Aurium molestia.*] Nemo quam culpam capite luere debuit, audienda saltem objurgatione dependit.

6. *Septena arce.*] Virgilius Æneid. 6. 783. De urbe Romana. *Septemque una sibi muro circumdabit arces.*

1. *Cinnanos furores.*] De Cinna *pan.* 9. *n.* 20. *not.* 1. De Mario *paneg.* 6. *n.* 13. *not.* 9. De Sylla *pan.* 9. *n.* 20. *not.* 4.

2. *Catones.*] Catonem innuit dictum Uticensem, quod Pompeio victo Uticæ sibi manus violentas attulerit, ne victoris Cæsaris vultum intueri necesse haberet. Plura vide supra *paneg.* 2. *n.* 14. *not.* 5.

3. *Truncos Cicerones.*] Augustus & Antonius gravissimis odiis inter se pugnantes pacta Ciceronis morte conciliati sunt.

4. *Pompeios insepultos.*] Pompeius enim satellitibus a Ptolemæo missis peremptus in Nilum fluvium projectus est.

5. *Portis imminens Pœnus.*] Cui non notum illud *Annibal ad portas.* Quantum Urbi Romanæ terrorem injecerit, supra dictum est, *paneg.* 3 *n* 10. *not.* 1.

6. *Receptus muris Gallus.*] Tangit Senonensium Gallorum in Urbem irruptionem, cum direpta Italia in Capitolium ascendissent, ni M. Manlius Capitolinus clangore anseris excitus eos repulisset.

7. *Alliensi die.*] Cum Romani a Gallis fusi, fugatique ad Alliam. *Allia* autem fluvius est a Crustuminis montibus quadragesimo ab Urbe lapide in Orientalem Tiberis partem defluens.

8. *Æmathia.*] Celebrem pugnam intelligit Pompeium inter & Cæsarem in campis Æmathiis commissam. *Æmathia* autem proprie regio est Thraciæ finitima, quod nomen primum alicui Macedoniæ regioni, tum toti Macedoniæ, atque etiam ipsi Thessaliæ a poetis attributum est.

9. *Cannis.*] Cannensem pugnam tangit, ubi ab Annibale cæsa Romanorum quadraginta millia. *Cannæ* autem vicus est in Apulia, ad Aufidum fluvium.

10. *Collina feralior.*] Collina porta, quæ

peratione, tua libertate finitum. Vidisti, inquam, finitum civile bellum, cui decernere posses triumphum.

XLVII. Hactenus memet, Imperator Auguste, præteritas res tuas attrectasse fas fuerit. At cum tempus admoneat meminisse præsentium, finem sermoni facere maluerim, quam [1] amplissimi ordinis munus invadere. Dabitur utcunque venia piæ temeritati, si usurpasse communia, non occupasse videamur aliena. Licuerit mihi, quæ in barbaris gentibus, longinquisque provinciis [2] pro summa re fortiter feliciterque fecisti, & annuente numine tuo, & senatu favente dixisse. Ea vero, quæ Romæ gesta sunt & geruntur, ingeniis permittenda Romanis sunt, [3] qualem te Urbi dies primus invexerit; quis [4] in curia fueris, quis in rostris; ut pompam præeuntium [5] ferculorum curru modo, modo pedibus subsecutus, alterno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia triumpharis; ut te [6] omnibus principem, singulis exhibueris senatorem; ut crebro, civilique progressu non publica tantum opera lustraveris, sed privatas quoque ædes divinis vestigiis consecraris, remota custodia militari, tutior publici amoris excubiis. Horum hæc linguis, horum, inquam, voce laudentur, qui de communibus gaudiis & dignius utique quæ maxima, & justius poterunt prædicare quæ propria sunt. O mea felix peregrinatio! O bene suscepti, & exhausti labores! Quibus ego intersum bonis? [a] Quibus paror gaudiis? Quæ reversus urbibus Galliarum [b] dispensabo miracula? Quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore, cum dixero, Romam vidi, Theodosium vidi, & utrumque simul vidi; vidi illum [7] principis patrem; vidi illum [8] principis vindicem; vidi illum [9] principis restitutorem? Ad me longinquæ convenient civitates; a me gestarum ordinem rerum stilus omnis accipiet; a me argumentum poetica; a me fidem sumet historia. Compensabo tibi istam, Imperator injuriam; si, quando de te ipse nihil dixerim, [10] quod legendum sit, instruam qui legantur.

INTERPRETATIO.

a *Quæ mihi gaudia parantur.* b *Enarrabo.*

NOTÆ.

fuit in colle Quirinali sita, unde & nomen accepit. Hic celebris fuit Syllam inter & Marium pugna, de qua. *Velleius histor. l.* 2.

1. *Amplissimi ordinis.*] Senatus. Collige ex hoc loco orationem hanc Romæ dictam in Senatu.

2. *Pro summa re.*] Pro recuperanda Italia, Gallia, & Britannia.

3. *Qualem te Urbi.*] Triumphalis Theodosii in Urbem ingressus post cæsum Maximum.

4. *In curia.*] Quid sit *curia* vide Plinii paneg n. 66 not. 2. *ibid.* n 65. not. 1

5. *Ferculorum.*] De *ferculis* supra in Plinii paneg. n. 17. not. 5.

6. *Omnibus principem.*] Tua majestate omnes protegens, *singulis senatorem.* Eximia tua comitate singulos compellans.

7. *Principis patrem.*] Id est, Honorii, quem Pacatus præsentem intuebatur.

8. *Principis vindicem.*] Gratiani a Maximo cæsi.

9. *Principis restitutorem.*] Valentiniani junioris.

10. *Quod legendum sit.*] Cum nihil dixerim qod venturum sit ad posteros, ab iis legendum. Alios ego, quorum scripta ætatem latura sunt, docebo quæ scripturi sint.

FINIS.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM, QUÆ IN PLINII PANEGYRICO LEGUNTUR.

Prior numerus paginam, posterior paginæ lineam indicat.

A.

B.

C.

D.

E.

exquisita

F.

Plinius.

G.

H.

I.

INDEX

irrogatione.

L.

M.

N.

O.

P.

parentem,

Pliaim.

Q.

R.

S.

ſalutem.

Plinius.

ſ.

T.

V.

FINIS.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM, QUÆ IN SEQUENTIBUS UNDECIM PANEGYRICIS CONTINENTUR.

Prior numerus paginam, posterior pagina lineam indicat.

A.

B.

C.

D.

debeatu

E.

emerita

F.

G.

H.

I.

imperatorem

K.

L.

M.

N.

VOCABULORUM.

P.

pateba

Q.

R.

revexerunt.

S.

T.

INDEX

X.

VOCABULA OMISSA.

FINIS.